Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
15A
173

14-15-A-3

Collegij Romani Soc. Iesu Catalo. inscript. Biblioth.
55

D. ARNOBII AFRI,

VETVSTI PARITER AC laudatiſſimi ſcriptoris Commentarij, pij iuxta ac eruditi in omnes Pſalmos, per [redacted] proditi & emendati.

Eiuſdem DISPVTATIONVM *aduerſus Gentes libri* VIII. *Sigiſmundi Gelenij cura caſtigati, cum Indice copioſiſſimo.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA V. EMANUELE

FRO BEN.

BASILEAE M. D. LX.

S. D. N. ADRIANO

HVIVS NOMINIS SEXTO PONtifici Romano nuper electo [redacted] S. D.

QVVM FACILE *diuinarem* Beatiſſi*me pater,quanta gaudiorum ambitione ſtrepituq; Roma foret exceptura lõge gratiſſimi pontificis aduentum, præſertim tot iam menſibus deſideratum; ratio mihi quæſita eſt, ut inter tot milia gratulantium,inter tot acclamantium,& applaudentium agmina,inter tubarum uoces,& bombardarum tonitrua,tamen humilem,exili uoce,denique procul etiam abſentem non omnino mutum agnoſceres* Eraſmum , *ut quondam tuæ doctrinæ* Theologicæ *auditorem,& integritatis admiratorem , ita nunc tuæ ſollicitudinis* Apo*ſtolicæ ouiculam.* Sic Zachæo *puſillo quæſitum ſycomori præſidium,ut uideret* Ieſum *& ab eodem uideretur.* I*mo non tam hæc ratio mihi quæſita eſt quàm ultro oblata.* Benignitas *enim domini* Ieſu,*cuius peculiari uoluntate ad iſtuc muneris aſcitum eſſe te perſuaſum eſt omnibus, quum pollicita ſit inuenturos eos qui quæſiſſent,mihi non quærenti, organum,ni fallor,aptiſſimum obtulit; quo tibi gratulationis officium,haud quidẽ uulgari more , perſoluerem .* Obtulit *enim pſalterium* Dauidicum, *digitis* Arnobij,*peritiſſimi pſalmiſtæ,mea ſententia dulciſſime reſonans .* Et *ſi quid faciunt ad magnificentiam,*

tædarum ac funalium flammæ, habet hoc organum non ſolum efficacem & amabilem pijs auribus tinnitum, uerum etiam habet & ignem ſuum, habet ſuas & faculas, de Chriſti igne lucentes, quem ille uenerat ſparſurus in terras. Hoc ut longe magis decorum eſt uere Theologo *& integerrimo Pontifici, ita non dubito quin ſit & multo gratius futurum animo tuo, quàm lituorum cantus, aut tormentorum æneorum crepitus, aut inconditæ populi tumultuantis acclamationes. Sed ne moleſtus ſim ænigmatis, rem ut habet ſimpliciter eloquar.* Eodem ferme *tempore, quo huc rumor omnibus lætiſſimus allatus eſt, te magno conſenſu Cardinalium aſcitum ad pontificij* Romani *culmen, miſſi ſunt ad nos è uenerabili collegio ac diſciplinæ regularis nomine cum primis commendato, quod inter* Vuormaciam Vangionum *ciuitatem, et Spiram* Nemetarum *urbem ſitum, uulgo dicitur* Frankental, *commentarij in pſalmos* Dauidicos, Arnobij *titulum præ ſe ferentes. Qui mittebant, non confidebant placituros, uel quod ieiuni uiderẽtur, uel quod impolito ſermone paſſim manifeſtarijs ſolœciſmis ſcatẽtes. Verum ſimulatq; deguſtandæ lectionis gratia, unam atq; alteram pagellam euoluiſſem, ſenſi protinus non illam eſſe uulgarem infantiam, ſed expolitiſſimam impolitiem, & copioſiſſimam breuiloquentiam.* In *uerbis duntaxat eſſe parſimoniam ac neglectum, in ſenſibus ampliſſima ſplendidiſſimaq; eſſe omnia. Quoq; ſum altius ingreſſus, hoc magis mihi creuit operis admiratio, ut planè ſentirem mihi theſaurum quempiam inſignem oblatum ſed ut* Pauli *more dicam, in uaſculo fictili. Cœpit me ſemper fateor, in*

autoribus etiam ſacris ſermonis mundicies, & offendit balbuties. At utinam nobis contingant plures,qui de myſterijs ſcripturarum ſic balbutiant,ut hic Arnobius,tanta luce,tãta eruditione,tam fœcunda breuitate,tãta denique ſanctimonia. Sed ſermonis inconditi, multisq́; locis ſolœci præiudicium operis autoritatem eleuet, præſertim apud eos, qui ex orationis uitijs, prudentiam etiam aut eruditionem æſtimare ſolent ſcriptoris, priuſquam aggrediar de laudibus autoris & operis dicere,primum illud lectorem admonitum uolo, quicquid hic eſt ſolœciſmorum, non eſſe profectum ab inſcitia, ſed à iudicio, nec homini imputandum,ſed tempori. Quum enim Arnobium eloquentiæ profeßione clarum fuiſſe conſtet, etiam antequã fidei noſtræ myſterijs initiaretur, quumq́; Lactantius diſcipulus ſatis declaret, quàm non infans fuerit ille præceptor, quumq́; Catechumenus ſcripſerit eloquentißimos libros aduerſus gentes,Tertullianum imitatus,quemadmodũ hunc imitatus eſt Lactantius,non poteſt imperitiæ uideri, quod in hoc opere,tot ſolœciſmi comperiantur, præſertim adeo manifeſti, ut uix Holcot aut Bricot ſolœciſſet craßius. Nec eſt, quod hinc ſuſpicemur hunc Arnobium eſſe diuerſum ab illo,cuius opus aduerſus gentes etiam ob orationis elegantiam laudatur. Idem ſcripſit,ſed nõ ſcripſit iiſdem. Illud opus ſcripſit eruditis,hoc ſcripſit uulgo. Conſtat autem apud Hiſpanos, Afros, Gallos, reliquasq́; Romanorum prouincias, ſic ſermonem Romanum fuiſſe uulgo communem, ut Latine concionantem intelligerent etiam cerdones, ſi modo qui dicebat, paululum ſeſe ad uulgarẽ dictionem

accommodaſſet. Declarant hoc conciones ac diſputationes quædam Auguſtini apud populum habitæ, quas ex ipſa re conſtat non ab Auguſtino ſcriptas fuiſſe, ſed à notarijs exceptas, qui non ſolum retulerūt in ſcriptum, quod dicebatur, ſed etiam quod agebatur. Quos ſiquis poſtulet ſibi ceu digito commonſtrari, unde huius rei poſſit experimentum certum capere, legat diſputationem Auguſtini cum Maximino, & conferat initium diſputationis à notarijs exceptum, cum eius operis fine, quem ipſe deſcripſit, quod Maximinus ſe ſubduxiſſet diſputationi. Legat duas conciones, quibus expurgat famam de clericis ſuis ſparſam in populo, Legat orationem, qua ex populi ſuffragijs ſibi deſignat epiſcopum ſucceſſurum, & in leuioribus negocijs futurum uicarium, Legat cantionem aduerſus Donatiſtas, quam uulgo canendam lingua uulgari deſcripſit. Hæc ſi quis conferat cum his quæ ſcripſit eruditis, ueluti de Trinitate, de Ciuitate dei, facile colliget quantum interfuerit inter ſermonum eruditorum et imperitæ multitudinis. Ac ne Romæ quidem eo tempore quo maxime florebat ea lingua, omnes loquebantur quēadmodum loquebatur Cicero. Et iam tum uulgus uſurpabat ſibi quædam ſuo iure, quæ docti damnabant. Dixerit aliquis, quid uenit in mentem Arnobio uiro facundiſſimo, ut hos Commentarios plebeiæ linguæ committere uoluerit. Primum olim nihil erat popularius pſalmis Dauidicis, adeo ut hinc & arator aliquid modularetur ad ſtiuam, & nauclerus ad clauum, & nauita ad remum, & foſſor ad glebam, & textor ad ſtamen, & uxor ad colū. Denique infantes hinc aliqu id geſtirent canere nutrici,

priuſquam

priuſquam fari noſſent. Tantus amor olim habebat omnes huius diuinæ muſicæ, quam nunc plerique faſtidiunt etiam ſacerdotes. Proinde uoluit Arnobius ab omnibus intelligi, quod uidebat cantari ab omnibus. Perſuaſit hoc illi Chriſtiana charitas, quæ ſtudet prodeſſe quàmplurimis. Maluit balbutiens utilitatem adferre multis, quàm eloquentiæ laudem auferre apud paucos. Et hanc linguam popularem intelligebant & eruditi, ut nec illis periret fructus myſticæ cognitionis, quo percepto non oportet orationis phaleras efflagitare. Adijciam & alteram cauſam ex mea ſuſpitione, ut ego quidem arbitror, non improbabilem. Refert diuus Hieronymus in appendice quadam, quam attexui chronicis Euſebij Cæſarienſis, hunc Arnobium quum ethnicus adhuc in ciuitate Sicca iuuentutem inſtitueret ad declamandum, in ſomnijs adactum fuiſſe ut flagitaret baptiſmum. Quumq́; non impetraret ab epiſcopis quod petebat, quod illis perſuaderi non poſſet illum ſyncero animo uelle profiteri religionem, quam hactenus impugnaſſet, elucubrauit aduerſus priſtinam religionem luculentiſſimos libros, atq; his tandem uelut obſidibus datis, pietatis fœdus impetrauit. Porrò ne quid ſuſpicionis etiam hæreret in animis ſimplicium Chriſtianorum, qui ſuperbam illam & artificio fucatam eloquentiam uel oderant, uel habebant ſuſpectam, in his Commentarijs depoſuit omnem rhetorices ſtrepitũ, ſeſeq́; ad infimæ plebis orationem deiecit, quo declararet ſeſe toto pectore Chriſtianum eſſe. Nam opus hoc ſuſcepit iuſſu duorum epiſcoporum, Ruſtici & Laurentij, quemadmodum ipſe teſtatur ſua præfatione. Atq;

hoc factum obedientiam uocat, ut coniectura ſit, aut catechumenum loqui, aut certe recens Chriſtianum. Proinde ſi quis reputet, quibus iſta ſcribat Arnobius, non debet uideri ſolœciſmus, ſi quid inciderit diuerſum à conſuetudine loquentium emendatius, imò ſolœciſmus erat, niſi ſic fuiſſet locutus. Veluti ſi quis uulgo Romanorum hodie loquatur, quemadmodū olim loquutus eſt diuus Gregorius, quū adhuc eſſet ſermo popularis incorruptior, aut ſi quis apud Hiſpanos uerba faciens, ſecus loqueretur quàm habet publica illius gentis conſuetudo, duplex incommodum lucrifaceret: Primum, non intelligeretur ab ijs quibus loqueretur: Deinde ut Barbarus offenderet ac rideretur. Quare ſcriptoris huius exemplum nihil ſuffragatur his, qui quum ſcribāt literatis, & ea lingua, quæ temporibus his nihil habet commercij cum populo tamen laudi ſibi quoq; uerti uolunt, quod ineptis ſenſiculis, ſermonis ineptiam uincunt. Nam præcipua uis eloquentiæ in rerum inuentione ſita eſt. Quanquam nunc quoq; non eſt faſtidienda in ſcriptore Chriſtiano munda ſimplicitas, modo ſicut abſunt phaleræ, lenociniaq;, ſic abſint & ſordes. Neq; enim Arnobius ſi nūc ſcriberet iiſdē uteretur ſolœciſmis, ſed aut planè Gallice ſcriberet, ſi uulgo Gallorū ſcriberet, aut purè Latine, ſi ſcriberet literatis. Nimirum huius generis erat Apoſtolorum ſermo, quo nobis nouum teſtamentum literis prodiderunt. Sic tum aurigæ loquebantur et nautæ. Talis erat ſermo, quo primum in linguam Latinā translati ſunt noui teſtamenti libri, in quibus ſi qui ſolœciſmi nunc offendunt aures literatorum, magis aſſcribendi ſunt illorum temporū re

ceptæ conſuetudini, quàm interpretum imperitiæ. Sed ut tum expediebat ſic ſcribere, quia populo ſcribebatur, ita nunc ineptum ſit affectare ſolœciſmos, qui nec illiteratis proſint, & literatos offendant, & rem obſcurent, & autoritatem ſcriptoris eleuent. Cæterum ut ſatis conſtat populum corrupiſſe Romani *ſermonis puritatem, ita ueriſimile eſt apud alias nationes, alijsq́; temporibus aliter fuiſſe corruptum.* Certe *duo quædam deprehendimus in hiſce Commentarijs, quæ diuus* Aurelius *Auguſtinus teſtatur ætate ſua uulgo corrupte ſolere pronunciari.* Nam *in commentario pſalmi centeſimi triceſimi octaui, oſſum pro os, unde ducitur paternus caſus oßis, & multitudinis caſus oſſa:* Et *floriet pro florebit, non ſemel ab hoc poſitum eſt, & ita, ut ſatis appareat non eſſe caſu factũ: & quũ dixiſſet os, uelut interpretans populo, adiecit, id eſt, oſſum.* Vtriuſq; *rei meminit diuus* Aurelius Auguſtinus *in opere cui titulum indidit de doctrina* Chriſtiana*. Siquidem libri tertij capite tertio ſcribit hunc in modum, de uocibus ambiguis differens:* Nam *quod ſcriptum eſt,* Non *eſt abſconditum à te os meum, quod feciſti in abſcondito, non elucet legenti, utrum correpta litera os pronunciet an producta. Si enim corripiat, ab eo eſt quod ſunt oſſa. Si autem producat ab eo quod ſunt ora, intelligitur numerus ſingularis. Sed talia linguæ præcedentis inſpectione dijudicantur.* Nam *in* Græco *non ςόμα, ſed ὀςοῦν poſitum eſt.* Vnde *plerunque conſuetudo loquendi uulgaris utilior eſt ſignificandis rebus, quàm integritas literata.* Mallem *quippe cum* Barbariſmo *dici, non eſt abſconditum abs te oſſum meum,*

 quàm

quàm ut ideo eſſet minus apertum, quia magis Latinum eſt. Idem libro ſecundo capite decimotertio de uitijs ſermonis diſputans: Illud, inquit, etiam quod iam auferre non poſſumus de ore cantantium populorum: ſuper ipſum floriet ſanctificatio mea, nihil profecto ſententiæ detrahit. Auditor tamen peritior mallet hoc corrigi, ut nõ floriet, ſed florebit diceretur, nec quicquam impedit correctionem, niſi conſuetudo cantantium. Ex his colligere licet hos commentarios & Afris fuiſſe ſcriptos, & priſcis illis temporibus. fortaßis præſtiterit & alios aliquot barbariſmos indicare, quo minus offendatur præmonitus lector quum inciderint, néue ſtatim mutet ſcripturam à librarijs deprauatam ſuſpicans. Pœnitemini uerbum, non raro uſurpat deponentaliter. Item tribulantes frequenter ponit pro ijs qui affliguntur, non qui affligunt. Similiter confundentes pro erubeſcentes, quaſi tribulari & confundi deponentia uerba ſint non paßiua. Hoc flos, & hoc ros conſtanter pronunciat genere neutro, nimirum ad formam os oris. Carendi & utendi uerbo adiungit accuſatiuum. Hæc manna mannæ inflectit, ut nos anna annæ. Græcorum exemplo ſæpenumero nominatiuum ponit abſolute loco ablatiui, uelut in commentario pſalmi centeſimi decimiquarti, & pſalmi octogeſimiquarti. Nonnunquam adiungit caſum, non quem recipiunt ea uerba quibus utitur, ſed quem admittit uerbum quod circumloquitur, ueluti pſalmo octogeſimooctauo: Memor eſto Apoſtolos pro memento Apoſtolos. Adtropare dixit alicubi, uoce nimirum id temporis uulgata magis q̃ proba, pro eo quod erat per Tropologiam

am applicare. Hanc uocē *paratura*, *quæ* Tertulliano *pe-culiaris eſt, nonnunquam & apud hunc inuenies, qui ut ætate præceßit* ARNOBIVM *ita gentis eiuſdem fuit. His non dißimilia quædam obuia ſunt in libris Auguſti-ni maxime ijs, quibus loquutus eſt apud populum, uelut ſubdiacones & diacones, & baptiſmum genere neutro. Hæc referre uiſum eſt, ne cui ſordeſcat opus eruditum iuxta ac pium, ob hæc & eiuſmodi ſermonis uitia, quæ apud eos quibus tum ſcribebat adeo uitia non erant, ut ſi ſecus dixiſſet, habitus fuiſſet barbarus. Poteram mu-tata phraſi & adiectis paucis exiguo labore totius ope-ris gloriam in me transferre, ſed primum illud ſemper alienißimum fuit à moribus meis, alieni meriti gratiam mihi ſuffurari.* Deinde *uiſus eſt* ARNOBIVS *indi-gnus, qui hac portione laudis apud poſteros fraudare-tur.* Interciderunt *illi laudati libri, quibus pugnat aduer ſus gentes.* Saltem *hoc ſuperſit illius toties* Hieronymo *laudati ingenij monumentum. Atq; huius quidem ope-ris in catalogo ſcriptorum illuſtrium non meminit* Hie-*ronymus.* Fortaßis *in cauſa fuit, quod is liber, ut uulgo ſcriptus, tantum in Africa circumferebatur, aut notior erat, omniumq; manibus tritior, quàm ut* Hieronymus *putarit recenſendum.* Ita *rebus nonnullis nimia celebri-tas obliuionem induxit.* Hac *nimirum occaſione nunc de ſideramus titulos operum* Origenis. *Simili caſu fuera-mus ignoraturi libros* Tertulliani, *niſi nuper aliquā par tem felicior ſtudijs* Deus *prodidiſſet. Proferam & aliud argumentum, unde præter ſtili coniecturam poßis anti-quitatem ſcriptoris colligere. Aliquot hæreticorum per*

occa-

occaſionem meminit, Manichæi, Nouati, et Arrij, ſed nullius, cuius ætas poſterior fuerit ætate ARNOBII. Nã Arrianam hæreſim apparet huius ætate fuiſſe exortam. Floruit enim ſub imperatore Diocletiano, circiter annũ orbis redempti trecenteſimum uigeſimum nonum. Cæterum nec Donatiſtarum, nec Pelagianorum meminit, quũ utraque peſtis hæc exorta ſit in Africa, quorum priores hoc defuncto, aut admodum ſene exortos apparet, alteros ætate Auguſtini conſtat extitiſſe. Et tamen ARNOBIVS hic uno atq; altero loco diſputat de libero arbitrio, ubi non tacuiſſet Pelagium, ſi ille fuiſſet antiquior. Quum igitur demonſtratum ſit in his quæ ſola poterant offendere, nihil eſſe quod debuit quenquam offendere, quum & autorem tantopere nobis commendet Hieronymi autoritas, quum opus ipſum tanta commendet antiquitas, nunc paucis aperiam quæ me tantopere rapuerint in huius uoluminis admiratiouem. Primum illud in confeſſo eſt, inter omnes ſacræ ſcripturæ libros, nullum eſſe myſterijs abſtruſioribus plenum, quàm librum pſalmorum, neo alium eſſe maioribus tenebris opertum uerborum ac ſententiarum. Atq; in tali argumento ſimul et breuem eſſe & dilucidum, quod hic utrunq; mire præſtat, mihi uidetur hominis pariter & exquiſitæ facũdiæ, & penitus intelligentis rem de qua loquitur. Nullus enim paucis explicat, quæ parũ intelligit. Nullus tam obſcura tam dilucide poſſet efferre, niſi dicendi rationibus omnibus exercitatiſſimus. Nuſquam eſt præfationum ac digreſſionum ambagibus moleſtus, ſed ubiq; præclarus artifex feſtinat: & in medias res, non ſecus ac notus auditorem

torem rapit, quod in Homero laudauit Flaccus. Nec uſ-
quam eſt ambitioſus in citandis ſacrorum uoluminum te
ſtimonijs, ſed totus ſermo uelut ex emblematis ac teſſel-
lis arcanæ ſcripturæ cōcinnatus eſt ac frequenter ita con
texit pſalmi quem exponit uerſus aliquot, ut paucis uer-
bis additis, etiam illa lucem habeant, quæ non interpreta
tur, ſed ita refert, ut perpetui ſibiq; cohærentis ſermonis
tenor ſuam habeat gratiam. Iam quod in perſpicuis eti-
am argumentis difficillimum eſt, ſic docet aperte ut nihil
ſinat frigere ab affectibus. Plus indicat oratio quàm lo-
quitur, ac properans multum, & cogitationum & acu-
leorum relinquit in animo, ut neſcias utrum prius in te
efficiat, ut intelligas, an ut rapiaris. Iam hoc non ſolum
eſt eruditi, uerum etiam amantis quod docet. Si quid inci
dit, quod ex reconditis antiquarum rerum hiſtorijs, aut
ex eorum libris, qui de naturis animantium, aliarumue
rerum ſcripſere, petendum erat: nihil eſt tam abſtruſum
apud ethnicos, aut ſacros etiam ſcriptores, quod hic pau
cis uerbis non indicet, nihil interim oſtentans aut iactitās
uarietatē eruditionis, quod in nonnullis etiam magni no
minis ſcriptoribus ſæpe nobis moleſtum eſt. Sed rem ue-
rè ſacram Apoſtolica quadam ſimplicitate ſynceritateq;
tractat. Nec congerit aliena, nec uſquam uim facit diui-
næ ſcripturæ, ſed quicquid adducit, ei loco natum eſſe di
cas. Maluit enim optima referre quàm plurima. Porrò
quum à iocis abſtineat, quos argumenti ſeueritas non pa
tiebatur, tamen ſentias per totam dictionē fuſam eſſe per
petuam quandam feſtiuitatem & iucunditatem. Nuſquā
ipſe languet aut dormitat, & ſemper alacritate dictionis

ſubleuat

ſubleuat ac recreat lectorem. Sic incipit, ut ilico reficiat: ſic properat, ut nõ poßit ſomnus obrepere: ſic finit, ut ſitientem adhuc & plura cupientem dimittat. Iam quum in Tertulliani, Origenis, ac omnium penè ueterum libris quædam admixta ſint, quæ aut manifeſtum habent errorem, aut ſuſpecti dogmatis ſunt, hic ſic ubiq; temperat calamum, ut nihil uſquã compererim, quod ulli hæreſi ſit affine. Nam quod ſcribit in commentario pſalmi decimi quarti. Ieſus immaculatus ſolus uirgineam aulam ingreſſus ipſum tabernaculum à maculis carnalibus liberauit. Nõ ſenſit de maculis quæ ante ingreſſum Chriſti fuiſſent in Maria, ſed quæ in alijs fœminis eſſe conſueuerunt, à quibus Chriſtus ſuam matrem ſeruauit immunem, & auxit caſtitatem potius quàm uiolauit. Quin & eccleſiæ Romanæ uidetur hoc honoris deferre, ut extra catholicam eccleſiam ſit, qui ſit ab hac alienus, & ut exul à uera fide ſiue transfuga eliminatus, quæ totius eccleſiæ teneat principatũ, quæq; Petrum Apoſtolorum principem meruerit habere paſtorem, Locus eſt commentario centeſimo ſexto, & in Commentario pſalmi centeſimi triceſimi octaui. Docet eximiam quandam poteſtatem Petro tributã à Chriſto, quem ter negauerat, haud dubie loquens de poteſtate paſcendarum ouium. De uotis aliquoties meminit, ſed his duntaxat quibus in baptiſmo Chriſtum profeßi, mundo ſatanæq; renuntiauimus, non quod arbitrer illum reliqua uota contẽpſiſſe, ſed quod hæc, ut ſunt, præcipua duxerit. Nec dubito quin in his cõmentariolis, Origenis induſtria fuerit adiutus, qui in nullum opus diuinæ ſcripturæ frequentius ædidit cõmentarios quàm in pſalterium.

*teriū. Nam locis aliquot declarat ſe Græca calluiſſe. Sed
interim dixerit mihi quiſpiam,quid hic gratiæ tibi poſtu
las,qui nihil largiris de tuo?* Non *recuſo quo minus tota
laus ſit penes* Arnobium,*modo quàm plurimum utilita-
tis hinc manet ad ueræ pietatis candidatos. Et tamen eſt
aliquid prodidiſſe librum ante hac obſcurum,atq; etiam
ob dictionis uitia contēptum. Eſt aliquid huc perpuliſ-
ſe* Ioannē Frobenium,*ut ſuo ſumptu ſuoq́; periculo nouū
opus excuderet ſuis formulis.* Non *enim ſemper æque fe-
liciter illis cadit æditionis alea. Poſtremo uix quiſquam
credat quantum fuerit negocij in caſtigandis erroribus
ſcribæ,quod ut facerem, ſæpe totus pſalmus erat relegen
dus,ut illinc ſubodorarer lapſus occaſionem.* Erant *obſer
uandi familiares huius operis ſolœciſmi ac barbariſmi.*
Alicubi *res planè* Delium *quempiam natatorem poſtula
bat,aut* Sibyllam *potius.* Huius *generis unum exemplum
dabo commentario ſeptuageſimo ſeptimo. Scriba non in
telligens ſic pinxerat: quod aures inficiens.* His *uerbis
quum nihil omnino ſignificaretur,diuq́; me torſiſſem,di
uinaui id quod res eſt ſcriptum fuiſſe, quod auxeſin fa-
ciens.* Nam *in pleriſq; ſcripturis figura huius literæ x,nō
multum abhorret ab r.* Itaq; *ſcriba Græcè prorſus igna-
rus, & Latine minimum doctus, ex auxeſin fecerat au-
res in.* Item *cōmentario centeſimo quinto ſcriptum erat:
Suſcipiat regulam pœnitentiæ, excluſo noua ita ut cente
ſimum quintum pſalmum &c.* Nos *ex coniectura reſti-
tuimus: ex .luſo* Nouato,*ſiue* Nouatiano. *Nā uterq; fuit
eiuſdem hæreſis,nec admittebat pœnitentem.* Nouum *igi
tur opus nouo* Pontifici, *ſanctum ac theologicum opus*

integerrimo

integerrimo Theologo Pontifici dedicamus. Id,uti ſperò tua ſanctitas hoc libentius accipiet,quod hoc munuſculò nihil uenamur(Sumus enim noſtra quamuis tenui fortunula contenti)niſi ut hoc opus tuis auſpicijs exeat in manus hominum,hoc nimirum uberiorem pietatis fructum allaturum, ſi tuo calculo fuerit comprobatum, quem ad iſtud dignitatis faſtigium non ambitio, nõ ullus fauor humanus,ſed ut confidimus omnes, propitij numinis uoluntas euexit, ut eſſet non minus optimus integritate, quàm maximus autoritate,qui hos impios orbis Chriſtiani tumultus,iam heu nimium diutinos, ac ſemper in peius gliſcentes aliquando componat. Videmus duos præcipuos orbis monarchas infenſis animis inter ſe conflictari, uix ullam eſſe portionem orbis noſtri immunem à bellis,à cædibus, à prædationibus. Et quanquam religio Chriſtiana,quæ olim omnes mundi plagas occuparat,nunc Europæ anguſtijs minor ſit, tamẽ hæc quoq; ſectarum ac ſciſmatum pernitioſis diſſidijs miſere diſſecta eſt. Atq; interim ſic tumultuantibus imminet Turca.In rebus tam afflictis,magna quædam ſpes habet animos bonorum omnium fore,ut diſcuſſis tempeſtatibus, per te nobis ſerenitas ac tranquillitas redeat. Pollicentur hoc nobis quum aliæ res permultæ,tum eruditio tua non uulgaris,deinde iſta morum integritas à primis annis ad hanc uſq; ætatẽ ſpectata cunctis.Præterea ſenectus iſta, quæ non ſinet te te aliò ſpectare, quàm ad gloriam Chriſti, ac profectum Chriſtianæ pietatis.Poſtremo ſummus cum Cæſare Carolo conſenſus, cuius autoritas ac potentia hoc præſtabit, ut poſſis etiam efficere,quod optimũ eſſe iudicabis.Certè

ad tantam corruptiſſimorum morum luem emouendam ualidis incantamentis eſt opus, ac uenefico quodam artifice, qui incantet ſapienter. Eam ad rem nos organum aliquod nouum porreximus, non quod deeſſet pſalterium Dauidicum, ſed quod apud pleroſq; iaceret. Habet hoc, ut ferunt, humana muſica, ut affectus hominum aut concitet, aut moderetur, ſi quis artifex certas harmonias apte moduletur. Timotheus ſolitus fertur Alexandri Macedonis animum ad bellum certis modis accendere. Pythagoras ſpondeos ad Phrygium modum occinens, amore lymphatum adoleſcentē ad grauitatē immutauit. Simile quiddam feciſſe narratur Empedocles, qui certis modis muſices adoleſcentem iam ira percitum & in cædem ruentem, ad ſanitatem reuocarit. Et quanquam fabuloſa uidentur quæ de Mercurij atq; Orphei cithara prodidere ueteres, tamen hæc ipſa figmenta nata ſunt ex artis miraculis. Certe Terpandrum atq; Arionem apud Lesbios atq; Ionios multis & grauibus morbis, harmonijs muſicis mederi ſolitos, narrant rerum geſtarum ſcriptores. Iſmenias Thebanus apud Bœotos multis Iſchiaticis cruciatum, apto modulamine exemiſſe legitur. Nam quod ait Vergilius,

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis, ut à poeta dictum contemni poterat, niſi noſtræ quoq; literæ meminiſſent uenefici incantantis ſapienter, & aſpidis ſurdæ. Dauid ſua cithara ſuccurrebat Sauli, quoties à ſpiritu domini malo agitabatur. Quod ſi tantam uim habet humana muſica, ad mutandas affectiones corporū & animorū, quanto credenda eſt efficacior cœleſtis hæc

ac diuina muſica ad purgandos animos noſtros, à morbis ſpiritualibus, ac ſpiritibus huius ſeculi malis. Ingens morbus eſt ambitio, peßimus ſpiritus eſt liuor et odium. Atque huiuſmodi peſtibus maxima pars Chriſtianorum tenetur, nec his ſæpe liberis, quos oportebat alijs mederi. Prophanis olim erant & uerba & uoces, quibus animi dolorem lenire poſſent, & magnam morbi deponere partem, & Chriſti muſica non habet uerba & uoces, quibus excantemus animis noſtris amorem rerum fluxarum & incantemus amorem rerum cœleſtium? Pythagoras habuit modos, quibus iuuenem amore furentem ad ſobrietatem reuocaret, Et Chriſtianus pſaltes nõ habet modos quibus principes inſanißimis bellis, ſic inter ſe ſine fine tumultuantes ad pacis amorem reuocet? Sed ipſi prius nobis hac muſica medeamur oportet, quã aliorum morbis mederi paremus. Nulla eſt ſcripturæ ſacræ pars, quæ non habeat efficaces modos, modo ne uelut aſpides ſurdæ obturemus aures noſtras, ne penetret in animos noſtros diuinæ uis incantationis. Sed mea ſententia nulli efficaciores, quàm pſalterij, in quo diuinus ille ſpiritus ſecretißimas ſuorum myſteriorum delicias nobis reconditas eſſe uoluit, ac modos quoſdam efficacißimos repoſuit, quibus transformaretur in affectum Chriſto dignum, tantum adſit, qui ſcite moueat huius pſalterij chordas. Hoc peculiare munus eſt epiſcoporum ac ſacerdotum. Et tamen ſibi quiſque pſaltes eſſe poßit, aderit mouenti chordas, & arcanam uim aſpirabit intus, ſi modo purus & ardens adſit animus, hoc eſt, ſi purgatæ mentis aures. Vtinam tua ſanctitas nobis referat illum

huius muſices peritißimum Dauid, *qui non ſolum ipſe modulatus eſt,ſed & alios cantores multos inſtituit.* Da*uid autem typum gerebat* Ieſu *Chriſti pſaltæ noſtri, qui nablio corporis ſui in cruce tenſo,nihil uulgare aut terrenum ſonuit,ſed harmoniam patri gratißimam,& nobis efficacißimam modulatus eſt. Quàm ſuaue ſonuit illa charitatis chorda:*Pater ignoſce illis,*quia neſciũt quid faciunt.* Habet & *mundus organa ſua, ſed quæ inferne reddunt ſonitum inamabilem. Quid enim loquitur iræ fides?* Vlciſcere, *ſpolia, eijce, occide. Quid ſonat ambitionis neruus?* Dilata ditionem, *nec iuris iurandi, aut pietatis ſit ratio, quoties agitur de imperio. Quid crepat auaritiæ chorda?* Vides *nemini bene eſſe, niſi qui plurimum poßidet, per fas nefasq́; congere, rape, ſerua. Quid ſonat luxus ac libidinis chorda?* Hic *ſuauiter uiue, quid poſt hanc uitam habiturus ſis, incertus. Sic peßimam harmoniam reddit liuoris & obtrectationis chorda.* Hæc *nimirum eſt mundi muſica quæ modis huiuſmodi peßimis incantat nobis peſtiferas cupiditates,ac* Sirenum *in modum male dulcibus cantilenis nos pellicit in perniciem.* His *modis ebrij lymphatiq́; ſic belligeramur,tumultuamur,ambimus,rapimus,iraſcimur,ulciſcimur,mordemus inuicem,ac mordemur. Sed ille cœleſti muſica tactus erat qui dixit: Quàm dilecta tabernacula tua* Domine *uirtutum, concupiſcit & deficit anima mea in atria* Domini.Rurſum *ille:* Factum *eſt cor meum tanquam cera liqueſcens in medio uentris mei.* Afflauerat Apoſtolos *huius harmoniæ uis quum aiunt:* Domine *quò ibimus? uerbi uitæ habes. Suauißimus*

autem ac modulatiſsimus concentus eſt, quoties è charitate, pudicitia, ſobrietate, modeſtia, cæterisq́; uirtutibus concors quædam uarietas reſonat. Habet & modulos ſuos *pro argumento diuerſos hæc muſica. Sunt quibus flebili, ſed deo gratiſsimo cantu deploremus peccata, Sunt qui nobis animos ac robur addant ad fortiter reſiſtendū diabolo, ſunt alacres ac læti, quibus gratias agamus deo pro ſuis in nos beneficijs. Sunt quibus conſolemur ac deliniamus afflictum,* Deniq; *nihil malorum habet hæc uita, quod nō facile feramus, ſi quemadmodum* Coloſs. *ſcribit* Paulus: Nos Inuicem *doceamus, & cōmonefaciamus cantionibus ac laudibus, & cantilenis ſpiritualibus cum gratia canentes in corde noſtro domino.* Et *quicquid egerimus ſermone aut facto, omnia in nomine domini* Ieſu *faciamus, gratias agentes deo & patri per filium.* Erit *aūt hæc muſica gratior deo, ſi frequens chorus concordibus animis ac uocibus, moduletur. Sed ut ad pſalmos* Dauidicos *redeam, nemo poteſt huius modulationis ſentire dulcedinem niſi ſenſum myſticum perceperit.* Quid *eſt enim alioqui quod pleriq; monachi ac ſacerdotes tanto cum tædio pſalmos hos ſonant?* Nimirum *quia ſpiritu canunt non mente.* Quod *ſi quibus non uacat prolixos aliorum commentarios euoluere, horum faſtidio ſuccurret* ARNOBIVS, *qui ſæpe pſalmo ipſo breuior eſt, ut qui huius commentariolum legit, ſimul & pſalmum cecinerit & didicerit.* Sit *igitur hæc præcipua cura ſacerdotibus, ut ſemel intelligāt, quod quotidie recinūt,* Ita *fiet, ut plus capiant ſolatij ex uno pſalmo, quem intellectum mente cecinerint, quàm ex quadraginta ſpiritu decantatis.* Illud

in

*in primis oportet eſſe perſuaſiſſimum pſaltæ noſtro, ſic
uiſum eſſe ſpiritui ſancto, & optimo conſilio uiſum, ar=
cana ſapientiæ cœleſtis huiuſmodi figurarum inuolucris
obtegere. Eruendi myſterium ipſe Chriſtus in* Euange=
lio, et A*poſtolicæ literæ uiam nobis aperiunt.* H*orum ue
ſtigijs ingreſſi, ueteres orthodoxi reliqua nobis prodide
runt.* S*ed mea ſententia nemo ſanctius* ARNOBIO.
Q*uanquam is potiſſimum occupatus eſt in ſenſu expli=
cando, qui pertinet ad* E*uangelicam hiſtoriam, ut quem=
admodum ſcribit* P*aulus* A*poſtolus, ex fide in fidem ma=
gis in nobis confirmetur ſcientia* C*hriſti, dum quicquid
in* E*uangelicis literis geſtum legimus, in pſalmis prædi=
ctum conſpicamur.* A*tq; hæc ſanè pars in tractando dif=
ficilima eſt, qua recte comperta, facile uel ex ſeſe reli=
quos ſenſus addiuinant, qui in myſticis literis ſenſus ha=
bent exercitatos. qua de re nonnihil attigimus in cõmen
tario quo nuper explanauimus pſalmũ:* Q*uare fremue=
runt gentes.* S*ed ut aliquando finiam beatiſſime pater,
orat & expectat illud abs te cum primis populus* C*hri=
ſtianus, ut arrepto pſalterio* C*hriſti, melodiam aliquam
uere apoſtolicam incinas, quæ principum ac populorum
animos iungat* C*hriſtiana concordia, quæ pernicioſas o=
pinionum pugnas diſcutiat, quæ ad cœleſtium bonorum
amorem inflammet, regno cœleſti deſtinatos.* N*on gratu
lor tibi dignitatem iſtam, non gratulor patriæ, atq; etiã
dioceſi mihi tecum communi, cui nunc primum contige
rit* R*omanum habere põtificem.* N*on ambio ut apud te
mihi proſit, uel patriæ affinitas, uel uetus inter nos con=
ſuetudo: ſed orbi* C*hriſtiano gratulabor, ſi quod fore con*

fidimus, ita tractaris munus iſtud Apoſtolicum, ut mundus intelligat tandem Romæ contigiſſe pontificem, cui Chriſti gloria nihil ſit antiquius, quiq; Petri ac Pauli ſpiritum referat uerius, quàm titulos. Qui Chriſti uicarium ſic gerat, ut orbis ſentiat Chriſti ſpiritum in illo uerſantem, & agentem. Audiet mihi crede populus ueri paſtoris uocē ac prompte ſequetur grex Chriſti ueſtigijs præeuntem, neq; grauatim agnoſcet Apoſtolicam poteſtatē, ſi ſenſerit Apoſtolicam pietatem. Hæc conanti præcor, ut aſpiret dominus Ieſus paſtorū princeps Amen,

Baſileæ Calendis Auguſti. Anno.

M. D. XXII.

INDEX

INDEX PSALMORVM IVXTA SERIEM ALPHAbeti, priore numero pſalmi ordinem, poſteriore libri paginam ſignante.

A

AD dominū cū tribul. Pſal.119.	Fol.365
Ad te domine clamabo	27. 61
Ad te domine leuaui	24. 54
Ad te leuaui oc.	122.370
Afferte domino filij dei	28. 62
Attendite popule meus	77.201
Audite hoc omnes gentes	48.122

B

BEatus uir qui non abijt	1. 2
Beatus uir qui timet dominum	111.320
Beatus uir qui intelligit	40.102
Beati immaculati in	118.336
Beati quorum remiſſæ	31.70
Beati omnes qui timent dominum	127.378
Benedic.an.m.domine	102.271
Benedic.an.m.d.dom.	103.275
Benedic.domino in omni tem.	33.76
Benedictus dominus deus	143.428
Benedixiſti domine terr.	84.226
Bonum eſt confiteri d.	91.246

C

Cantate domino canticum 95.256
Cantate domino cant.no.quia 97.260
Cantate domino.cant.nou.laus 149.448
Cœli enarrant glor. 18.39
Confitebor tibi domine 9.15
Confitebor tibi domine 137.402
Confitebor tibi d. 110.318
Confitebimur tibi deus 74.193
Confitemini domino & inuocate 104.284
Confitemini domino quoniam bonus 105.297
Confitemini domino quoniam bonus 106.300
Confitem.dom.quoniam b. 117.331
Confitem.d.quoniam bonus 135.395
Conſerua me domine 15.26
Credididi propter quod 115.329
Cum inuocarem exaudiuit. 4.5

D

DE profundis clam. 129.381
Deus deus meus reſpice. 21.46
Deus auribus noſtris 43.108
Deus noſter refugium 45.116
Deus deorum dom. 49.125
Deus in nomine tuo ſaluum 53.94
Deus repuliſti nos 59.150
Deus deus meus ad te de 62.156
Deus miſer.noſtri & b.n. 66.166
Deus in adiutorium m.int. 69.179
Deus iudicium tuum 71.184

Deus ue=

Deus uenerunt gentes.	78.210
Deus ſtetit in ſynagoga	81.219
Deus quis ſimilis erit	82.220
Deus laudem meam ne	108.310
Deus ultionum dominus	93.250
Diligam te domine	17.32
Dilexi, quoniam exaudiuit	114.327
Dixit inſipiens in	13.23
Dixit iniuſtus ut	35.85
Dixi cuſtodiam uias meas	38.96
Dixit inſipiens in corde	52.135
Dixit dominus domino meo	109.316
Domine quid multiplicati	3.4
Domine ne in furore tuo	6.9
Domine deus meus in te ſperaui	7.10
Domine dominus noſter	8.13
Domine quis habitat in	14.25
Domine in uirtute tua	20.44
Dominus regit me	22.50
Domini eſt terra	23.52
Dominus illuminatio	26.58
Domine non eſt exalt.	130.383
Domine probaſti me	138.404
Domine clamaui ad te	140.418
Domine ne in furore tuo	37.92
Domine deus ſalutis meæ	87.233
Domine refugium tuum	89.241
Domine exaudi orat. meam & clamat.	101.266
Dominus regnauit exult.	96.258

Domine exaudi orationem 142.442
Dominus regnauit iraſcantur populi 98.262
Dominus regnauit decorem 82.249

E

Ecce quam bonum 132.389
Ecce nunc benedicite 133.390
Eripe me de inimicis meis 58.147
Eripe me domine ab homine 139.412
Eructauit cor meum 44.111
Exaudi domine iuſtitiam 16.29
Exaudiat te dominus 19.45
Exaltabo te domine 29.64
Exaltute iuſti in domino 32.72
Expectans expectaui dominum 39.99
Exaudi deus orationem meam 54.137
Exaudi deus deprecationem 60.153
Exaudi domine orat. meam cum deprecor. 63.158
Exurgat deus, & diſsip. 67.167
Exultate deo adiutori 80.216
Exaltabo te deus 144.431

Fundamenta eius in 86.230

I

Inclina domine aurem 85.228
In conuertendo dominus 125.374
In domino confido 10.19
In exitu Iſrael de Aegypto 113.324
In te domine ſperaui 30.67
In te domine ſperaui non 70.180

Iubilate deo omn.terr.	65.163
Iubilate deo om.terr.ſeruite	99.263
Iudica me domine,quoniam	25.56
Iudica domine nocentes	34.80
Iudica me deus &	42.107
L	
Lauda anima mea	145.434
Lauda Hieruſalem	147.442
Laudate pueri dominum	112.322
Laudate dominum omnes gentes	116.330
Laudate nomen domini	134.391
Laudate dominum q.b.eſt pſalmus	146.435
Laudate dominum de cœlis	148.444
Laudate dominum in ſanctis	150.451
Lætatus ſum in homine	121.369
Leuaui oculos meos	120.367
M	
Magnus dominus & laudabilis	47.119
Memento domine Dauid	131.384
Miſerere mei deus ſecund.miſeric.	50.128
Miſerere mei deus,quoniam	55.141
Miſerere mei deus,miſerere mei	56.143
Miſericordias domini in æter.	88.235
Miſericordiam & iudicium	100.264
N	
Niſi quia dominus	123.371
Niſi dominus ædific.	126.376
Niſi æmulari in malig.	36.87
Nonne deo ſubiecta	61.154

Notus

Notus in Iudæa deus 75.197

O

Omnes gentes plaudite 46.118

P

Paratum cor meum 107.306

Q

QVam bonus Iſrael 72.187
Quam dilecta tabernacula 83.224
Quare fremuerunt gentes 2.3
Quemadmodum deſid.cer. 41.105
Qui regis Iſrael. 79.213
Qui habitat in adiutorio 90.244
Qui confidunt in domino 124.337
Quid gloriaris in malitia 51.133

S

SAluum me fac domine 11.21
Saluum me fac deus,quoniam 68.174
Sæpe expugnauerunt me 128.380
Si uere utiq; iuſt. 57.145
Super flumina Babylonis 136.399

T

Te decet hymnus 64.160

V

VEnite exultemus domino 94.254
Verba mea auribus 5.6
Voce mea ad dominum 76.199
Voce mea ad dominum clam. 141.422
Vſq; quo domine obliuiſceris 12.22
Vt quid deus repuliſti 73.191

Pſalmorum

Pſalmorum ordo Biblicus.

1	BEATVS *uir qui non abijt*	*fol.* 2
2	*Quare fremuerunt gentes*	3
3	*Domine quid multiplicati*	4
4	*Cum inuocarem exaudiui*	5
5	*Verba mea auribus*	6
6	*Domine ne in furore*	9
7	*Domine deus meus in te ſper.*	10
8	*Domine dominus noſter*	13
9	*Confitebor tibi domine*	15
10	*In domino confido*	19
11	*Saluum me fac domine*	21
12	*Vſquequo domine obliu.*	22
13	*Dixit inſipiens in corde ſuo*	23
14	*Domine quis habitat in taber.*	25
15	*Conſerua me domine*	26
16	*Exaudi domine iuſtitiam*	29
17	*Diligam te domine fortit.*	32
18	*Cœli enarrant gloriam dei*	39
19	*Exaudiat te dominus in die*	43
20	*Domine in uirtute tua læt.*	44
21	*Deus deus meus reſpic.in me*	46
22	*Dominus reg.me,& nihil*	50
23	*Domini eſt terra & plen.*	52
24	*Ad te domine leuaui an.*	54
25	*Iudica me domine q.ego in*	56
26	*Dominus illuminatio mea*	58
27	*Ad te domine clam.deus*	61
28	*Afferte domino filij dei*	62

29 Exal=

29	*Exaltabo te domine quoniam ſuſc.*	64
30	*In te domine ſper.n.confid.*	67
31	*Beati quor.rem.ſ.iniq.*	70
32	*Exultate iuſti in domino*	72
33	*Benedicam domino in omn.temp.*	76
34	*Iudica domine nocentes me*	80
35	*Dixit iniuſtus ut del.in*	85
36	*Noli æmulari in malig.*	87
37	*Domine ne in furore*	92
38	*Dixi cuſtod.uias meas*	96
39	*Expectans expect.dominum*	99
40	*Beatus uir qui intelligit*	102
41	*Quemadmodum ceruus*	105
42	*Iudica me deus & diſc.*	107
43	*Deus aurib.noſtr.audiuimus*	108
44	*Eructauit cor.m.uerb.bon.*	111
45	*Deus noſter refig.& uirtus*	116
46	*Omnes gentes plaudite man.*	118
47	*Magnus dominus & laudabil.*	119
48	*Audite hoc omnes gentes*	122
49	*Deus deorum dominus*	125
50	*Miſerere mei domine ſic.mag.*	128
51	*Quid gloriaris in malitia*	133
52	*Dixit inſip.in corde ſuo*	135
53	*Deus in nomine tuo ſaluum me*	136
54	*Exaudi deus orationem meam*	137
55	*Miſereri.m.d.quoniam concul.*	141
56	*Miſ.mei deus miſer.mei*	143
57	*Si uere utiq; iuſtitiam loq.*	145

58	*Eripe me de inimicis meis*	147
59	*Deus repuliſti nos & deſtr.*	150
60	*Exaudi deus deprecát.meam*	153
61	*Nonne deo ſubiecta erit*	154
62	*Deus deus meus ad te d.*	156
63	*Exaudi deus orat.m.cum deprec.*	158
64	*Te decet hymnus deus*	160
65	*Iubilate deo omnis terra*	163
66	*Deus miſereatur noſtri &*	166
67	*Exurgat deus & diſsipentur*	167
68	*Saluum me fac deus q.*	174
69	*Deus in adiutorium meum*	179
70	*In te domine ſperaui non conf.*	180
71	*Deus iudicium tuum regi*	184
72	*Quam bonus Iſrael*	187
73	*Vt quid deus repuliſti*	191
74	*Confitebimur tibi deus*	193
75	*Notus in Iudæa deus*	197
76	*Voce mea ad dominum clam.*	199
77	*Attendite popule meus*	201
78	*Deus uenerunt gentes*	201
79	*Qui regis Iſrael intende*	213
80	*Exultate deo adiut.noſtro*	216
81	*Deus ſtetit in ſynag.*	219
82	*Deus quis ſim.erit tibi*	220
83	*Quam dilecta taber.*	224
84	*Benedixiſti domine terram t.*	226
85	*Inclina domine aurem tuam*	228
86	*Fundamenta eius in*	230

Domine

87	*Domine deus ſalutis m.*	233
88	*Miſericordias domini in æter.*	235
89	*Domine refugium tu fac.*	241
90	*Qui habitat in adiut.alt.*	244
91	*Bonum eſt confid.domino*	246
92	*Dominus regnauit dec.*	249
93	*Deus ultionum dominus*	250
94	*Venite exultemus domino*	254
95	*Cantate domino canticum nouum*	256
96	*Dominus regnauit exult.terr.*	258
97	*Cant.domino cant.nou.quia*	260
98	*Dominus regn.iraſcantur pop.*	262
99	*Iubilate deo omnis terra*	263
100	*Miſericordiam & iudicium*	264
101	*Domine exaudi orationem meam*	266
102	*Benedic anima mea domino*	271
103	*Benedic anim.m.domino,domine*	275
104	*Confitem.domino & inuocat.*	284
105	*Confitem.domino quoniam bonus*	297
106	*Confitem.q.b.dicant.*	300
107	*Paratum cor m.deus*	306
108	*Deus laudem m.ne*	310
109	*Dixit dominus domino meo ſede*	316
110	*Confitebor tibi domine*	318
111	*Beatus uir qui tim.*	320
112	*Laudate p.d.laud.*	322
113	*In exitu Iſrael de*	324
114	*Dilexi quoniam ex*	327
115	*Credidi propt.quod*	329

Laudate

116	*Laudate d.om.gent.*	330
117	*Confit.d.q.b.dicat n.Iſrael*	331
118	*Beati immaculati in uia*	336
119	*Ad dominum cum tribularer*	365
120	*Leuaui oculos m.in m.*	367
121	*Lætatus ſum in his*	369
122	*Ad te leuaui oculos*	370
123	*Niſi quia dominus*	371
124	*Qui confidunt in domino*	373
125	*In conuertendo dominus*	374
126	*Niſi dominus ædificarit domum*	376
127	*Beati omnes qui timent d.*	378
128	*Sæpe expugnauerunt me*	380
129	*De profundis clamaui*	381
130	*Domine non eſt exalt.*	383
131	*Memento domine Dauid*	384
132	*Ecce quam bonum & q.*	389
133	*Ecce nunc benedicite domino*	390
134	*Laudate nomen domini*	391
135	*Confit.d.q.b. Confit.d.deorum*	395
136	*Super flumina Babylonis*	399
137	*Confitebor tibi d.in toto corde*	402
138	*Domine probaſti me*	404
139	*Eripe me domine ab hom.*	412
140	*Domine clamaui ad te*	418
141	*Voce m.ad d.clam.uoce*	422
142	*Domine exaudi orat.m.auribus*	424
143	*Benedictus dominus deus m.*	428
144	*Exaltabo te deus meus*	431

145	*Lauda anima mea d.*	434
146	*Laudate d.q.bon.eſt p.*	435
147	*Lauda Hieruſalem d.*	442
148	*Laudate dominum de cœlis*	444
149	*Cantate d.canticum n.laus*	448
150	*Laudate dominum in ſanctis*	451

FINIS.

ARNOBII IN COMMENTARIOS SVOS *ſuper pſalmos Prologus.*

CHARISSIMIS *patribus Laurentio & Ruſtico* Epiſcopis *Arnobius.* *Silentiū bonum eſſe nemo eſt qui neſciat, ſed tunc taciturnitas probatur eſſe cōtraria, quādo ad loquendum iubentis compellit autoritas. Si enim uobis iubere licet, nobis cōtemnere non licet.* Non eſt *præſumptionis, ſed obedientiæ hoc quod pſalterij uenas pulſare potius quàm patefacere ſtudemus.* Hoc *conſiderantes, quod nullus ſitiens præparātibus aquam iraſcitur,* Alij *parauerint uiua fragrātia mella, alij nectareis plena liquoribus pocula, nos ex ſarculo oris noſtri, terram hinc inde lacero uerberantes impulſu,* Dauidicum *laticem licet tenuiter ſitim patientibus aperimus, ſitientes ut bibāt.* Hi *autem qui cum apoſtolis tertia diei hora ebrij ſunt in ſpiritu ſancto lætentur & floreant, nulla tamen ſitientibus impedimenta patiantur inferri.* Neq; *enim qui uino exuberant, aquam uolentes bibere prohibent.* Habeant *ergo nobiſcum pacem uniuerſi lectores, qui nos licet ruſticos catholicos cōprobent, & pſalmum cuius explanationem legūt, prius examinent, ut dum eius legerint ſenſum, ad eum pertine*

re ſentiant, quem explanationis textus oſtendit. Ipſi quidem melius hoc potuiſtis facere qui iubetis. Non enim impoſſibilitatem ueſtram, ſed occupationem oſtenditis dum quod nos iubetis facere, uos melius hoc potueritis implere.

Pſalmus Dauid. I.

BEATVS uir qui non abijt in conſilio impiorum, & in uia peccatorum nõ ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit. Sed in lege domini uoluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte. Et erit tanquam lignũ quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo. Et folium eius non defluet, & omnia quæcunq; faciet proſperabuntur. Non ſic impij nõ ſic, ſed tanquam puluis quem proijcit uentus à facie terræ. Ideo non reſurgunt impij in iudicio, neq; peccatores in conſilio iuſtorum. Quoniam nouit dominus uiam iuſtorum, & iter impiorum peribit.

COMMENTARIVM.

PRimus pſalmus unde ſcit beatitudinẽ periſſe, inde recuperat. In conſilio impiorũ abijt Adam, id eſt in ſerpentis & mulieris. Et nũc Adã noſter, id eſt, cõſenſus noſter beatus erit, ſi nõ abierit in cõſilio ſerpentis & mulieris, id eſt in conſilio carnis & diaboli. Aut ſi abierit non ibi ſtet, ſi ſteterit, non ſedeat: id eſt non permaneat, ſed memor legis dei, ibi ſuam occupet uoluntatem. Et diurnam & nocturnam actionem ſuam in meditatione diuinæ legis exerceat, ut hoc quod Adam perdidit contemnendo, iſte cuſtodiendo inueniat, permanẽs iuxta

fluenta legis, ut lignum uitæ immortalitatem capiens. Ita demum quæcunq; fecerit, proſperabuntur. Illi autem, id eſt, impij contempſerunt, non ſic ſed hoc eis eueniet in fine ſeculi quod in fine Pſalmi ſermo propheticus cōminatur. gloria æterna qui regnat in ſecula ſeculorum Amen.

Pſalmus Dauid II.

QVare fremuerūt gentes, & populi meditati ſunt inania. Aſtiterunt reges terræ, & principes cōuenerunt in unum, aduerſus dominum & aduerſus Chriſtum eius. Dirumpamus uincula eorū, & proijciamus à nobis iugum ipſorum. Qui habitat in cœlis irridebit eos, & dominus ſubſannabit eos. Tunc loquetur ad eos in ira ſua, & in furore ſuo conturbabit eos.

Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo ſuper montem Syon ſanctum eius, prædicans præceptum eius. Dominus dixit ad me filius meus es tu, ego hodie genui te.

Poſtula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et poſſeßionem tuam terminos terræ. Reges eos in uirga ferrea & tanquam uas figuli confringes eos. Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Seruite domino in timore, & exultate ei cum tremore. Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur dominus, et pereatis de uia iuſta. Cum exarſerit in breui ira eius, beati omnes qui confidunt in eo.

COMMENTARIVM.

VSque hodie gentes fremunt aduerſus Chriſtum, qui idolis finem impoſuit. Populi, id eſt, Iudæi meditantur inania, diſtinctiones ciborū & ſabbatorum ferias adtendentes: utrorumq; uincula diſrum-

penda quos habitator cœlorum deus interim irridet,ſed in iudicio iram ſuam illis & furorem oſtendit, quibus dicturus eſt:me quem negaſtis filium dei, uox de cœlo paterna uos docuit cum in Iordane me poſito dixit, filius meus es tu. Quod autem dicit. Ego hodie, Deus heri & cras non habet, ſed ſemper hodie habet. Tempora enim ſub ipſo aguntur,non ipſe à tēporibus agitur.Nam Syon mons quod ſit eccleſia docet propheta qui dicit:Ego dominus excitabo Syon in gentibus, & dabo eam in feſtiuitatem æternam omni nationi.In ipſa ergo prædicat filius præceptum patris. In ipſa reget gentes quaſi uirga ferrea. Non enim cedit fortibus mundi,nec miſerorum deſpicit facies.Ipſa timorē regibus imperat.Ipſa iram uenturam contemptoribus pollicetur, per quam fictilibus uaſculis comminatur interitum. Ipſa beatitudinem confidentibus repromittit, & Chriſto offerente, qui regnat in ſecula ſeculorum Amen.

Pſalmus Dauid cum fugeret à facie Abſalon filij ſui. III.

Domine quid multiplicati ſunt qui tribulant me? multi inſurgunt aduerſum me. Multi dicunt animæ meæ,non eſt ſalus ipſi in deo eius. Tu autem domine ſuſceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum. Voce mea ad dominum clamaui,& exaudiuit me de monte ſancto ſuo. Ego dormiui & ſoporatus ſum & exurrexi, quia dominus ſuſcepit me. Nō timebo milia populi circūdantis me,exurge domine, ſaluū me fac deus meus. Quoniam tu percuſsiſti omnes aduerſantes mihi ſine cauſa, dentes peccatorū cōtriuiſti.

Domini

Domini eſt ſalus, & ſuper populū tuū benedictio tua.

COMMENTARIVM.

Titulum pſalmi tertij hac una ſententia explanamus. Perſecutus eſt Abſalon patrem, fronde à collo ligatur. Iudas tradidit dominum, & laqueo coartatur: ſicut hiſtoria paßionem Dauid præteritam indicat, ita myſterium paßionem domini futuram adnunciat. In qua oēs eū negauerūt dicentes: Non eſt ſalus ei in deo eius, ſed ſi eſt ex deo liberet eum: cum irridentes, illū multis contumelijs conuitijsq́; afficerent Athei et pertinaces Iudæi. Ieſus autem uoce ſua ad deum clamauit & exauditus eſt, ita ut mortē quaſi ſoporem acciperet. Ex qua exurgens ultra non timuit, ſed nunc induens corruptibile incorruptione, & immortalitate mortale, nō timet multa milia populi circundantis ſe. Hæc eſt enim ſalus domini & ſuper nos qui ſumus populus eius. Hæc eſt benedictio eius, qui regnat in ſecula ſeculorum Amen.

In finem in carminibus pſalmus
Dauid. IIII.

Cum inuocarem exaudiuit me deus iuſtitiæ meæ, in tribulatione dilataſti mihi. Miſerere mei, & exaudi orationē meam. Filij hominum uſquequo graui corde, ut quid diligitis uanitatem & quæritis mendacium? Et ſcitote quoniam mirificauit dominus ſanctum ſuum, & dominus exaudiet me cum clamauero ad eum. Iraſcimini & nolite peccare, quæ dicitis in cordibus ueſtris, & in cubilibus ueſtris compungimini. Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ & ſperate in domino, multi dicunt: quis oſtendit nobis bona?

Signatum eſt ſuper nos lumen uultus tui domine, dediſti lætitiam in corde meo. A fructu frumenti, uini & olei ſui multiplicati ſunt. In pace in idipſum, dormiam & requieſcam. Quoniam tu domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me.

COMMENTARIVM.

Titulus quarti in carminibus, id eſt, in myſterijs ponitur. In quibus deus iuſtitiæ exaudiuit in cruce poſitum filium ſuum, contra quem iraſcentes Iudæi peccant uſq; hodie, qui nõ peccarent iraſcentes, ſi uere dei non eſſet filius quem negarent. Quod eis ideo euenit, quia non ſacrificant ſacrificium iuſticiæ ſicut Abel, ſed ſicut Cain liuoris atq; inuidiæ. Nos autem qui credimus, dicamus domino: Signatum eſt ſuper nos lumẽ uultus tui domine. In quo lumine data eſt lætitia in corde noſtro, Ab illo tempore quo accepimus frumentum in corpore, Vinum in ſanguine, Oleum in chriſmate. Offerentes autem pacem iſta percepimus, quia hæc ſingulariter in ſpe à domino conſtituta in Chriſto Ieſu, qui regnat in ſecula ſeculorum Amen.

In finem pro ea quæ hæreditatem conſequitur, pſalmus David. V.

Verba mea auribus percipe domine, intellige clamorẽ meum. Intende uoci orationis meæ, rex meus & deus meus. Quoniã ad te orabo domine, mane exaudies uocem meã. Mane aſtabo et uidebo, quoniã nõ deus uolẽs iniquitatẽ tu es. Neq; habitabit iuxta te malignus, neq; pmanebũt iniuſti ante oculos tuos. Odiſti omnes qui operantur iniquitatẽ, perdes omnes

qui

qui loquuntur mendacium. Virum ſanguinum & doloſum abominabitur dominus, ego autem in multitudine miſericordiæ tuæ. Introibo in domum tuam, adorabo ad tēplum ſanctum tuū in timore tuo, domine deduc me in iuſticia tua propter inimicos meos, dirige in cōſpectu tuo uiam meam. Quoniam non eſt in ore eorum ueritas, cor eorum uanum eſt. Sepulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſe agebāt, iudica illos deus. Decidant à cogitationibus ſuis ſecundum multitudinem impietatum eorum, expelle eos, quoniam iritauerunt te domine. Et lætentur omnes qui ſperant in te, in æternū exultabunt & habitabis in eis. Et gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuū, quoniam tu benedices iuſto. Domine ut ſcuto bonæ uoluntatis tuæ coronaſti nos.

COMMENTARIVM.

QVinti pſalmi titulus oſtēdit eam quam hæreditatem conſequitur Chriſtus, & hanc hæreditatem contulit eccleſiæ cum diceret apoſtolis: Pacem meam do uobis, pacem meam relinquo uobis. Hanc ergo pacem, quam diximus in quarti pſalmi fine ſingulariter in ſpe à domino conſtitutam, hanc in hæreditatem titulus datam eccleſiæ proteſtatur. Hæreditas de morte parentis naſcitur filijs. Niſi enim Chriſtus mortuus eſſet, hæc hæreditas non patebat. Ipſo ergo moriente nata, ipſo reſurgente confirmata eſt, ipſo aſcendente in cœlū, permanet hæc hæreditas in æternum. In titulo tria ſunt, moriens, hæreditas, & hæredes. Et in capite pſalmi tria ſunt ab hærede compoſita, uerba, clamor, oratio. Ipſa enim uerba rogat auribus percipi, clamorem intelligi, orationem audiri.

ri.Ipſa dicit,orabo te Dòmine, mane ſcilicet, cum abiecero opera tenebrarum,& induero arma lucis. Tunc te orabo quaſi in matutino poſita, in quo deficientibus tenebris lucis incrementa concreſcunt. Mane aſtabo tibi & uidebo. quid uidebis tamen prope & mane dic nobis? uidebo màne Apoſtolos,fulgentes angelos, gaudentes Marias reſurrexiſſe Dominum nunciantes. Diximus mane poſtea quàm tenebræ peccatorum tranſierint orandum dominum,diximus & in luce dominici diei reſurgentem uidendum. Quis autem ſit iſte Dominus, diſtinctio eius uoluntatis exprimit. Tu es,inquit,Deus non uolens iniquitatem. Quis enim dixerat eum uelle iniquitatem? Iudæi ſine dubio, qui pro operibus miſericordiæ Dominum increpantes dicebant. Non eſt iſte homo à Deo,qui ſabbatum ſoluet.Iſte autem & à deo eſt, & ipſe eſt Deus, qui non uult iniquitatem. Non habitauit iuxta eum malignus,id eſt,populus incredulus, & non permanebunt ante oculos eius. Odio ei ſunt qui operantur iniquitatem, & pereunt qui loquuntur mendacium. Omnis enim qui negat Ieſum filium dei,hic mendax eſt. Qui autem confitetur, intrat in domum dei, & adorat templum ſanctum, non in lapide ſed in ſpiritu. Hunc deducet Dominus in ſua iuſtitia propter inimicos, ut dirigat in conſpectu eius uiam ſuam. quare propter inimicos? quia inimici alteram uiam oſtendunt,quæ ducit ad mortem. Et propter ipſos hic dirigit uiam, quæ ducit ad uitam. Ad quam dum peruenerint credentes, in æternum exultabunt, & inhabitabit in eis. Et gloriabuntur omnes qui diligunt nomen eius. Ibi enim eſt qui benedicit iu-

ſtum,

ſtum, & ſcuto bonæ uoluntatis coronauit eum. Vno eodémque officio, & ab inimicis defenderis dum credideris, & à Domino coronaris, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

In finem in carminibus pro octaua, pſalmus Dauid. VI.

DOmine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Miſerere mei Domine quoniam infirmus ſum ſana me Domine quoniam conturbata ſunt oſſa mea. Et anima mea turbata eſt ualde, ſed tu Domine uſquequo. Conuertere Domine & eripe animam meam, ſaluum me fac propter miſericordiam tuam. Quoniam non eſt in morte qui memor ſit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi? Laboraui in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis ſtratum meum rigabo. Turbatus eſt à furore oculus meus, inueteraui inter omnes inimicos meos. Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem, quoniam exaudiuit Dominus uocem fletus mei.

Exaudiuit dominus deprecationem meam, dominus orationem meam ſuſcepit. Erubeſcant & conturbentur uehementer omnes inimici mei, conuertantur & erubeſcant ualde uelociter.

COMMENTARIVM.

TItulus ſexti Pſalmi dominicam diem exprimit, ipſa eſt enim & octaua dum definit, & prima dum incipit. In quinto enim mane ipſa incipit in reſurrectione. i. in baptiſmatis noſtri cõſecratione, modo in pœnitẽtiæ recuperatione octaua eſt, ſeptiformis enim ſpiritus,

ſpiritus,cui ſatisfacit octauus. Agit ergo pœnitens, ut nõ in ira arguatur,ſed miſericordiam hic in iſto corpore poſitus conſequatur. In inferno autem confeßio fructum penitus non habet. idcirco hic qui uult ſaluus fieri laborat in gemitu ſuo, lauat, per ſingulas noctes lectum,Lectum inquam in noctibus lauat,quem in noctibus inquinauerat. & ne putares eum aquam qualemcumque haurire, unde eum abluat, Lachrimis, inquit, eum rigabo. Quare? quia turbatus eſt præ ira oculus meus. Audiui ignem æternum imminere, & iram iuſti ultoris incumbere, & idcirco turbatus ſum, quia moram feci in peccatis meis, & inueteraui inter omnes inimicos meos. Nunc moribus malis & ſpiritibus immundis renuncians dicam: Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem, quia is qui dimiſit peccata, is inquam, qui exaudiuit uocem fletus mei,& orationem meam ſuſcepit, dixit mihi,ecce ſaluus factus es,iam amplius noli peccare. Recedant à me uicia,quæ mẽtita ſunt hactenus. Auertantur retrorſum & erubeſcant ualde uelociter, per filium dei,qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

In finem pſalmus Dauid quem cantauit Domino pro uerbis Chuſi filij Gemini. VII.

Domine Deus meus in te ſperaui, ſaluum me fac ex omnibus perſequentibus me & libera me.Ne quando rapiat ut leo animam meam, dum non eſt qui redimat, neq; qui ſaluum faciat. Domine deus meus ſi feci iſtud,ſi eſt iniquitas in manibus meis. Si reddidi retribuentibus mihi mala,decidam merito ab inimi

cis meis inanis. Perſequatur inimicus animã meam & comprehendat & conculcet in terra uitam meam, & gloriam meam in puluerem deducat. Exurge Domine in ira tua, et exaltare in finibus inimicorum meorum.

Et exurge domine deus meus in præcepto, quod mandaſti, & ſynagoga populorum circundabit te. Et propter hanc in altum regredere, dominus iudicat populos.

Iudica me domine ſecundum iuſticiam meam, & ſecundum innocentiam meam ſuper me: Conſumetur nequitia peccatorum & diriges iuſtum, ſcrutans corda & renes deus. Iuſtum adiutorium meum à domino, qui ſaluos facit rectos corde. Deus iudex iuſtus, fortis, & patiens, nunquid iraſcetur per ſingulos dies? Niſi conuerſi fueritis, gladium ſuum uibrauit. arcum ſuum tetendit, & parauit illum. Et in eo parauit uaſa mortis, ſagittas ſuas ardentibus effecit. Ecce parturit iniuſticiam, & concepit dolorem, & peperit iniquitatem. Lacum aperuit & effodit eum, & incidit in foueam quã fecit. Conuertetur dolor eius in caput eius, & in uerticem ipſius iniquitas eius deſcendet. Confitebor domino ſecundum iuſticiam eius, & pſallam nomini Domini altiſſimi.

COMMENTARIVM.

CVm nunciaſſent pueri Dauid quod poſſent Abſalon occidere, & diceret Dauid: parcite ei & fugeret ipſe Dauid à facie eius, apparuit ſuper eum Semei, qui erat de cognatione Saulis, & iactans poſt eum lapides clamabat eum eſſe uirum ſanguinum: quem cum uellent interficere, dixit Dauid: Nolite, ecce

qui

qui de lumbis meis egreſſus eſt pugnat contra me. Et uos miramini quod filius Semei *de tribu* Saul, *ſit contra me. Parcens ergo & iſti* Dauid *ſicut et* Sauli *pepercerat: parcens et tyranno filio orat, ut liberetur à perſequentibus, cōmemorans non ſe feciſſe iſtud, quod ille clamabat. Non utiq; reddidiſſet retribuentibus ſibi mala. Aut ſi reddidi, inquit, mala pro malis: comprehendat inimicus animam meam, & gloriam meam uſq; in puluerem deducat. Hæc hiſtorico ſermone in* Regum *uolumine uſq; ad finem leguntur. Hic autem myſteria Chriſti cantemus, cui pro bonis mala reddentes acclamabant quod reus eſſet mortis. Huic ergo clamat eccleſia.* Exurge in ira tua, & *uideamus quod in ira facturus ſit:* Exaltare, *inquit, in finibus inimicorum. At ubi ſenſerint ingrati* Domini *iraſcentē, dant finem impietatibus ſuis, & finitis inimicitijs, exaltatur* Deus *in finibus inimicorum.* Exurge *in præcepto quod mandaſti.* Dixiſti *enim, tertia die reſurgam & præcedam uos in* Galileam, *ibi me uidebitis.* Et ideo, *exurge, inquit, in præcepto quod mandaſti, & poſtea quàm te oſtenderis* Synagogæ, *ne iterum excitare æſtimet bellum, propter hanc iudica populos. Cum enim dederis iudicium, finem accipiet malicia peccatorum, & iuſtus dirigetur.* Non *enim ad alterius uel uituperationem uel laudem dictas ſententiam, quia corda conſpicis, & renum ſecreta contemplaris ſaluos facies omnes qui recto ſunt corde. His autem qui non ſunt recto corde* Deus *iudex futurus exprimitur, qui terram ſuam non ſe conuertentibus præparat.* Nam *iniuſticia* Iudæorum *parturijt in dolore animi poſita, cum uideret dominum pro uirtute ſi-*

gnorum

gnorum à multitudine adorari. Concepit dolorem et pe perit iniquitatem, dicens: Crucifige reum mortis. Parauit ergo foueam Chriſto, ſed ipſa incidit in foueam quam fecit. Et conuerſus eſt dolor eius in caput eius, & in uerticem eius iniquitas eius deſcendet. Chriſto autem reſurgente à mortuis nos confitemur iuſticiam Dei, & aſcendente eo, pſallimus nomini eius altiſsimo, altitudinem penetranti, quæ eſt ſuper omnes cœlos, in quo facto omne genu flectitur, et omnis lingua confitetur, quia dominus Ieſus in gloria eſt Dei patris. Ipſi gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

In finem pro torcularibus, Pſalmus Dauid. VIII.

DOmine dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in uniuerſa terra. Quoniam eleuata eſt magnificentia tua, ſuper cœlos. Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudẽ, propter inimicos tuos, ut deſtruas inimicum & ultorem. Quoniam uidebo cœlos tuos opera digitorum tuorum, lunam & ſtellas quæ tu fundaſti. Quid eſt homo quod memor es eius, aut filius hominis quoniam uiſitas eum? Minuiſti eum paulominus ab angelis, gloria & honore coronaſti eũ et conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius, oues & boues uniuerſas, inſuper & pecora campi. Volucres cœli & piſces maris, qui perambulãt ſemitas maris. Domine dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in uniuerſa terra.

COMMENT.

COMMENTARIVM.

NOn pro torculari, ſed pro multis torcularib. in in octauo pſalm. fixus eſt titulus, quæ torcularia uoces ſunt omnium prophetarum, quæ tũc impleta ſunt, quando uitis uera clauorum ferramentis plantata eſt, et in ligno crucis poſita lancea percuſſo eius latere, tãtum uini in his torcularibus fudit, ut non in Iudea tantum, ſed in uniuerſa terra nomen domini mirabile clamaretur. Quod factum tunc confirmatum eſt, cum eleuaretur magnificẽtia eius ſuper cœlos, ut non tantũ ætates legitimæ, ſed etiã infantes & lactentes ad laudem eius irrumperẽt, ut deſtrueretur ille populus, qui per defenſionem dei contra deum ageret. Ipſe eſt enim populus, & defenſor Dei, et inimicus dei, defenſor in patre, inimicus in filio: ſed omnis qui negat filium, nec patrem habet, qui autẽ utrũq; cõfitetur, hic uidet cœlos quod opera digitorũ eius ſunt, & quod lunam & ſtellas ipſe fundauerit. Quid enim eſſet homo niſi ipſe memor fuiſſet, & ueniens tantã perfectionem docuiſſet, ut modicum minus quàm ſunt in cœlo angeli hic homines in carne poſitos faceret, dans eis poteſtatem uirtutũ, ut etiam mortuos ſuſcitãdi traderet poteſtatem, & omnia ſubijceret homini credenti, ita ut diceret: Dedi uobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes et ſcorpiones. Nam quod dicit oues, ſimplices nominat: boues, qui laborãt ſub iugo domini: pecora campi, plebs laicorũ: uolucres cœli, alta cogitantes: piſces maris, profunda rimantes. Hos omnes ſubiectos habens per paſsionem Chriſti eccleſia, confitetur admirabile nomen eius in uniuerſa terra. Ipſi gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

In finem

In finem pro occultis filij, Pſalmus David. IX.

Confitebor tibi domine in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua. Lætabor et exultabo in te pſallã nomini tuo altiſſime. In cõuertendo inimicum meũ retrorſum, infirmabuntur & peribunt à facie tua. Quoniã feciſti iudicium meũ & cauſam meã, ſediſti ſuper thronum qui iudicas iuſtitiam. Increpaſti gentes & perijt impius, nomen eorũ deleſti in æternũ, & in ſeculum ſeculi. Inimici defecerunt frameæ in finem, & ciuitates deſtruxiſti. Perijt memoria eorum cum ſonitu, & dominus in æternũ permanet. Parauit in iudicio thronum ſuum, & ipſe iudicabit orbem terræ in æquitate, iudicabit populos in iuſtitia. Et factus eſt dominus refugiũ pauperi, adiutor in opportunitatibus in tribulatione. Et ſperent in te qui nouerunt nomen tuum, quoniam nõ dereliquiſti quærentes te domine. Pſallite domino, qui habitat in Syon, annũciate inter gentes ſtudia eius. Quoniam requirẽs ſanguinem eorum recordatus eſt, non eſt oblitus clamorẽ pauperum. Miſerere mei domine, uide humilitatem meam de inimicis meis. Qui exaltas me de portis mortis, ut annunciem omnes laudationes tuas in portis filiæ Syon. Exultabo in ſalutari tuo, infixæ ſunt gentes in interitu quem fecerunt. In laqueo iſto quem abſconderunt, comprehenſus eſt pes eorum. Cognoſcetur dominus iudicia faciens, in operibus manuum ſuarum comprehenſus eſt peccator. Conuertantur peccatores in infernũ, omnes gentes quæ obliuiſcuntur deũ. Quoniam non in finem obliuio erit pauperis, patientia pauperum non peribit in finem. Exurge domine non

confortetur homo, iudicentur gentes in conſpectu tuo. Conſtitue domine legiſlatorem ſuper eos ut ſciant gentes quoniam homines ſunt. Vt quid domine receßiſti longe, deſpicis in opportunitatibus in tribulatione. Cum ſuperbit impius, incenditur pauper, comprehenduntur in conſilijs quibus cogitant. Quoniam laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ, & iniquus benedicitur. Exacerbauit dominum peccator, ſecundum multitudinem iræ ſuæ non quæret. Non eſt deus in conſpectu eius, inquinatæ ſunt uiæ illius in omni tempore. Auferuntur iudicia tua à facie eius, omnium inimicorum ſuorum dominabitur. Dixit enim in corde ſuo, non mouebor à generatione in generationem ſine malo. Cuius maledictione os plenum eſt & amaritudine & dolo, ſub lingua eius labor & dolor. Sedet in inſidijs cum diuitibus in occultis, ut interficiat innocentem. Oculi eius in pauperem reſpiciunt, inſidiatur in abſcondito quaſi leo in ſpelūca ſua. Inſidiatur ut rapiat pauperē, rapere pauperē dum attrahit eum. In laqueo ſuo humiliauit eum, inclinauit ſe & cadet cum dominatus fuerit pauperum. Dixit enim in corde ſuo, oblitus eſt deus, auertit faciem ſuam ne uideat in finem. Exurge domine deus, & exaltetur manus tua, ne obliuiſcaris pauperem. Propter quid irritauit impius deum, dixit enim in corde ſuo non non requiret. Vides quoniam tu laborem & dolorem conſideras, ut tradas eos in manus tuas. Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adiutor. Contere brachiū peccatoris & maligni, quæretur peccatum illius & non inuenietur. Dominus regnabit in æternum et in ſeculum

ſeculi,

ſeculi,peribitis gentes de terra illius.Deſiderium paupe rum exaudiuit dominus, præparationem cordis eorum audiuit auris tua. Iudicare pupillo & humili,ut nõ ap ponat ultra magnificare ſe homo ſuper terram.

COMMENTARIVM.

NOnus pſalmus docet occulta filij in ſancti ſymbo li ſacramento,qui enim ſuſceperit fidem in myſterio abſconditã,primo confitetur non ſummis labijs, ſed in toto corde ſuo, & narrat omnia mirabilia eius.Iam non lætatur in rebus labentibus & caducis,ſed dicit domino:Lætabor & exultabo in te,& pſallã nomi ni tuo altiſsime, quia feciſti iudiciũ meũ, id eſt,pro me iu dicaſti,& cauſam meã obtinui,ſediſti enim ſuper thronũ ut iudicares ſententiã.Increpaſti quod gentes eſſemus,& perijt impius diabolus, quẽ in idolis colebamus, Nomen aũt idolorum deleſti in æternum & in ſeculum ſeculi. Ibi defecerũt gladio uerbi tui in finem & ciuitates deſtruxi ſti, templa eorum in toto orbe dum deſtruũtur,omnis pe nè ciuitas in templis deſtructa eſt: ſicut enim eccleſiæ in toto mundo poſitæ ciuitates ſanctorũ ſunt, ſic templa in toto mundo poſita ciuitates dæmonum eſſe noſcũtur. Pe rijt autem memoria eorum cum ſonitu, dominus autem in æternum manens parauit in iudicio ſedem ſuam, ut iu dicet orbem terræ in æquitate. Non accipiens aliter do minum,aliter ſeruum,ſed contemnens perſonas diuitum factus es magis refugium pauperum, eorum ſanè qui nõ uerũt nomen tuũ. Non enim omnes pauperes nõ derelin ques, ſed nõ derelinques quærẽtes te domine. Pſallamus ergo domino q habitat in ſyon,id eſt,in eccleſia catholi

cis definitionibus ſublimata, ibi adnunciemus mirabilia eius, In qua requirēs ſanguinem martyrum ſuorum quotidie dominus memoratur noſtri, nec obliuiſcitur orationem pauperis dicentis ſibi, uide humilitatē meam de inimicitijs dæmonū natā, exalta me de portis mortis, tollēs cor meum à concupiſcentijs carnis, ut adnunciem omnes laudes tuas in portis filiæ Syon, ut exultem in ſalute tua. Nam infixæ ſunt gentes in interitum quem fecerūt, opus manuū ſuarum adorantes, hi conuertentur in infernum, quia obliuiſcuntur dominū, qui nō in finem obliuiſcitur pauperem cuius patiētia non perierit uſq; in finē. Nunc rogat ſpiritus prophetiæ, ut exurgat dominus cōtra fortitudinem hominis, ut iudicet gentes in conſpectu ſuo. Tollat eas ab idolis, & ſtatuat eas in eccleſia. Conſtituat legislatorem ſuper eas, & ſciant gentes quia dij non ſunt quos colunt, ſed ſciant quia homines ſunt. quid, inquit, domine receßiſti longe, ita ut deſpicias oportunitates in tribulatione, In quo dum ſuperbit impius, incēditur pauper, In quocunq; enim iudicio pauper & diues auditur, diuite ſuperbiente, pauper incenditur. Omnes enim ipſum arguunt, illum autem laudant etiam peccatorem in deſiderijs animæ ſuæ, etiā iniqua agentē benedicunt. Hic eſt peccator irritans dominū. Cum enim non ſolū nō arguitur iniqua agens, ſed etiā benedicitur, ſi quid aūt interrogatus fuerit ſecundum multitudinem iræ ſuæ inquirit. Non eſt deus ante oculos eius polluitur uia eius in omni tempore: Iudicia tua à facie eius abſcedunt, & ita omnibus inimicis ſuis dominatur, ut dicat in corde ſuo, non mouebor in generatione ſine malo: huius os maledi

ctionibus

ſtionibus plenum,nihilq; blandum habens,contra pauperem in lingua eius labor eſt,ſedet in inſidijs cum diuitibus alijs ad nihil aliud niſi ut interficiat innocētem: hoc ſanè quia diuites in ſuo conſilio faciunt, ut in laqueo ſuo capiant innocentes, & ideo iugiter clamandū eſt,exurge domine & exaltetur manus tua, ne obliuiſcaris pauperem in finem, ut quid iritabit impius dominum, dixit enim in corde ſuo:non requiret deus. Ille autem requirit, & cōſiderat omnia, ſed patienter agēs expectat, ut tradat eos in manus ſuas,& tollat eos de manibus dæmonū. Ipſi enim derelictus eſt pauper. quem enim omnes deſpiciunt,Deo eum ſine dubio derelinquunt,& orphano patrem non habēti,ipſe exiſtit adiutor:Conterens brachiū diaboli qui per phariſæos quæſiuit peccatū aliquod,unde argueret dominum & non inuenit. Dominus autē regnat in ſecula ſeculorū,& peribunt gentes de terra eius. Deſiderium enim pauperum exaudiuit dominus,& deſideria cordis eorū exaudiuit auris eius, ut iudicetur in eccleſia eius pupillo & humili, & ut nō adponat homo ultra magnificare ſe ſuper terram, per ipſum dominum Ieſum Chriſtum qui regnat in ſecula ſeculorum Amen.

In finem pſalmus Dauid. X.

IN *domino cōfido,quomodo dicitis animæ meæ trāſmigra in montem ſicut paſſer. Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum,parauerunt ſagittas ſuas in pharetra ut ſagittent in obſcuro rectos corde. Quoniam quæ perfeciſti deſtruxerunt: iuſtus autem quid fecit? Dominus in templo ſancto ſuo, dominus in cœlo ſedes eius. Oculi eius in pauperem reſpiciunt,palpebræ eius*

interrogāt filios hominum. Dominus interrogat iuſtū & impium, qui autem diligit iniquitatem odit animam ſuam. Pluit ſuper peccatores laqueos: ignis, ſulphur & ſpiritus procellarū pars calicis eorū. Quoniam iuſtus dominus, & iuſtitias dilexit, æquitatem uidit uultus eius.

COMMENTARIVM.

P*Otuit dici ad Dauid, ut in modum paſſeris montis inacceßibilis latebrā quæreret tempore quo peccatores contra eum tendebant arcus, ſiue Saul ſiue Abſalon ſuus innumerabiles inimici. Sed hæc et ad noſtram ædificationem trahentes, audiamus conſilia ſanctorum, & aſcenſus in corde noſtro ponentes migremus in montem à conualle fletus, ne nos in campeſtri loco apertos inueniant, qui parauerunt ſagittas ſuas in pharetra ut ſagittent in obſcuro rectos corde. Obſcurū hic pro occulto poſuit. Hi autem qui deſtruunt quæ perficit dominus, hi ſunt qui ſagittare ſtudent rectos corde. & nos pro peccatis iſta patiamur. q iuſtus eſt quare affligitur, qui iuſtus eſt, quare fatigatur, quare percutitur? Quid enim mali fecit? agnus immaculatus dominus eſt, quē uos putantes qualemcunq; hominem hominis arbitrio tradi diſtis. Ipſe autem in templo ſancto ſuo eſt, id eſt, Deus eſt in Chriſto mundum conciliās ſibi. In ipſo templo ſancto eſt quod de immaculata uirgine ſuſcipiens ſedet in cœlis ad dexteram patris, & eſt in cœlo ſedes eius. Oculi eius in pauperem reſpiciūt ut interroget iuſtum & impium, & quamuis in iſto ſeculo gloriam ſibi uindicent peccatores, dum cœperit iudicium agitari, habebūt talem pluuiam ſuper ſe, qualem pſalmographus memorat, ignis*

& ſulphuris & ſpiritus tempeſtatis. Iuſtus eſt enim dominus tunc qui nunc pius eſt, & æquitatem uidebit, qui nunc iniquitatem attendit. Poſt iudicium enim eius non erit peccatum nec poßibilitas, nec uoluntas. gloria æterna qui regnat in ſecula ſeculorum Amen.

In finem pſalmus Dauid *pro octaua.* XI.

S*Aluum me fac domine quoniã deficit ſanctus, quoniam diminutæ ſunt ueritates à filijs hominum. Vana locuti ſunt unuſquiſque ad proximum ſuum, labia doloſa in corde & corde locuti ſunt. Diſperdat dominus uniuerſa labia doloſa, & linguam magniloquam. Qui dixerunt linguam noſtram magnificabimus, labia noſtra à nobis ſunt, quis noſter dominus eſt? Propter miſeriam inopum & gemitum pauperum, nunc exurgam dicit dominus. Ponam in ſalutari, fiducialiter agam in eo. Eloquia domini eloquia caſta, argentum igne examinatum, probatũ terræ purgatum ſeptuplum. Tu domine ſeruabis nos, & cuſtodies nos à generatione hac in æternum. In circuitu impij ambulant, ſecundum altitudinem tuam multiplicaſti filios hominum.*

COMMENTARIVM.

I*Tem undecimus pſalmus pro octaua id eſt pro dominica die ponitur. Saluum me fac domine, id eſt exurge à mortuis quoniam defecit ſanctus, defecit credens in te, & diminutæ ſunt ueritates à filijs hominum.* Ecce *etiam cuſtodibus corporis tui pecunias offerũt dicentes:* Dicite *eum furatum à diſcipulis. ſed hæc dicentes,* Diſperdit *dominus labia doloſa et linguã maliloquã. Qui dicũt linguam noſtram magnificabimus, labia noſtra à nobis*

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

ſunt. Id eſt nos ſuadebimus eum furatũ, nos inter nos iſta componimus. Iam enim dixerãt de eo cum uidiſſent ſcriptum rex Iudæorum. Illi dixerant, quis noſter dominus eſt? Nos dominum Cæſarem habemus. ſed propter miſeriam inopum pro quibus paſſus ſum, nunc exurgam dicit dominus. Et ponam in ſalutare meum ac fiducialiter agam in eo. Fiducialiter, id eſt, paßibilitate carens, nulli timori ſuccumbens. Ad hæc credens eccleſia in apoſtolis cantat æloquia domini. Ita ſunt uera & caſta ut argentum igne purgatum pro ſeptuplo. Tu ergo domine quia mihi dixerunt, Non eſt noſter dominus, Tu domine ſeruabis nos & cuſtodies nos à generatione hac & in æternum. Nam ſicut quando te humiliaſti diminutæ ſunt ueritates à filijs hominum, Ita quando aſcendiſti in cœlos: ſecundum altitudinem tuam multiplicaſti filios hominum, ut qui diminuti fuerant in deſcendente, multiplicati fierent in aſcendẽte, qui regnat in ſecula ſeculorum Amen.

In finem pſalmus Dauid. XII.

VSque quo domine obliuiſceris me in finem, uſq; quo auertis faciem tuam à me? Quãdiu ponam conſilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem? Vſque quo exaltabitur inimicus meus ſuper me? reſpice & exaudi me Domine Deus meus. Illumina oculos meos ne unquã obdormiã in morte, ne quando dicat inimicus meus, præualui aduerſus eum. Qui tribulãt me exultabunt ſi motus fuero, ego autem in miſericordia tua ſperaui. Exultauit cor meum in ſalutari tuo, cantabo domino qui bona tribuit mihi, & pſallam nomini domini altißimi.

COMMEN-

COMMENTARIVM.

EX quo inimicus generis humani per præuaricationem hominis primi ſuper humanum genus dominationem obtinuit, obliuionem diuinam incurrit, quæ obliuio non per paßionem, ſed per auerſionem facta ſuper humanum genus ut dixi, exaltationem inimico relinquere uidebatur. Verum quia aduentus filij dei iſta aduerſa promittebatur excludere: in totius generis humani perſona propheticum carmen exorat, ut reſpiciat, ut exaudiat, ut illuminet oculos qui obdormierant in morte, ut nō dicat diabolus, præualui, obtinui, & ero dominus in æternum. qui tribulant me exultabunt ſi motus fuero, hoc eſt, ſi deſperauero, Exultauit cor meum in ſalutari tuo, id eſt, in domino noſtro Ieſu Chriſto filio tuo & ipſi cantabo qui bona tribuet mihi, & laudabo pſalla mq; nomini eius altißimo, qui regnat in ſecula ſeculorum Amen.

In finem pſalmus Dauid. XIII.

DIxit inſipiens in corde ſuo, non eſt deus. Corrupti ſunt & abominabiles facti ſunt in ſtudijs ſuis, non eſt qui faciat bonum, non eſt uſq; ad unum. Dominus de cælo proſpexit ſuper filios hominum, ut uideat ſi eſt intelligens aut requirens deum. Omnes declinauerunt ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum. Sepulchrum patens eſt, guttur eorum, linguis ſuis doloſe agebant, uenenum aſpidum ſub labijs eorum. Quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt, ueloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem. Contritio & infeli-

citas in uijs eorum, & uiam pacis non cognouerunt, nõ eſt timor dei ante oculos eorum. Nõne cognoſcent omnes qui operãtur iniquitatem, qui deuorant plebẽ meam ſicut eſcam panis? Dominum non inuocauerunt, illic trepidauerunt timore, ubi non erat timor. Quoniam dominus in generatione iuſta eſt, conſilium inopis confudiſtis, quoniam dominus ſpes eius eſt. Quis dabit ex Syon ſalutare Iſrael? cum auerterit dominus captiuitatẽ plebis ſuæ, exultabit Iacob, & lætabitur Iſrael.

COMMENTARIVM.

ROgatus aduentus domini in duodecimo pſalmo, in tertiodecimo præſentatur, ſed hunc uidens humilem in habitu incredulus populus dicit in corde ſuo: non eſt deus. In quo populo omnes declinauerũt, ſimul inutiles facti deuorabant plebem dei uelut eſcam panis. Atq; perſequentes ipſum dominum & eius apoſtolos, illic trepidabant timore, ubi non erat timor. Obſeruantes ſabbata & baptiſmata calicum et urceorum. Dei uero filiũ & eius diſcipulos ut diximus, perſequentes, confitentes ſe patrẽ habere Abraham, de genere nõ de iuſticia præſumebant. Dominus autem in generatione iuſta eſt, illi autem conſilium inopis confundentes, nõ conſiderauerunt quoniam dominus ſpes eius eſt. Et licet propter nos pauper factus ſit, tamẽ ipſe eſt qui dedit ex Syon ſalutare Iſrael. Non enim ex ſynagoga Sathanæ ſalus nata eſt, ſed ex Syon, quæ eſt eccleſia domini, per ꝙ conuertit dominus captiuitatem populi ſui, ita ut lætetur Iacob in conuerſione ſua & exultet Iſrael in Chriſto Ieſu, qui regnat in ſecula ſeculorum Amen.

In fi

In finem pſalmus David XIIII.

DOmine, quis habitat in tabernaculo tuo, aut q̃s requieſcet in monte ſancto tuo? Qui ingreditur ſine macula, & operatur iuſticiam. Qui loquitur ueritatem in corde ſuo, qui non egit dolum in lingua ſua. Nec fecit proximo ſuo malum, & opprobrium non accepit aduerſus proximos ſuos. Ad nihilum deductus eſt in cõſpectu eius malignus, timentes autem dominum glorificat. Qui iurat proximo ſuo & non decipit, qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram, et munera ſuper innocentẽ non accepit. Qui facit hæc, non commouebitur in æternum.

COMMENTARIVM

OMnis maculatus ingreditur tabernaculum domini, & ibi immaculatus efficitur. Ieſus autem immaculatus ſolus uirgineam aulam ingreſſus, ipſum tabernaculum à maculis carnalibus liberauit, & dedit ſanctificationẽ potius quàm accepit. quoniam lex tota in decalogi ſumma concluditur decemplices eius in iſto pſalmo formas expreſſit, quibus ea docuiſſe quæ feciſſe probatur. Nam ingreſſu ſuo tabernaculum à maculis ementium & uendentiũ liberauit, & operatus eſt iuſticiam. ſalutem hominis ſabbato ferijs præponendo. Loquebatur autem ueritatem in corde ſuo, nihil cogitans, niſi uoluntatem patris. Non egit dolum in lingua ſua, ſiquidem ex lingua eius ſermo egreſſus, cæcis lumen, ſalutem ægrotantibus, & uitam mortuis conferebat. Opprobrium non accepit aduerſus proximum ſuum, Siquidem etiam Iudam oſculo ſuſcepit. Ad nihilum deductus

eſt

eſt in conſpectu eius malignus, prohibens utiq; bonū fieri. Timentes autem dominum ita magnificauit, ut daret eis poteſtatem filios dei fieri. Iurauit *& proximo ſuo et non decepit. Quid iurauit? Illud ſine dubio quod promiſit, dicens:* Amen dico uobis, *quia ſi manſeritis in ſermonibus meis, iam non dicam uos ſeruos, ſed amicos, & omnia quæ promiſit credentem in ſe proximum non decepit. Pecuniam uero ſuam non dedit ad uſuram.* Pe*cuniæ eius uirtutes ſanitatum erant, quæ non ſolum ipſe ab ullo nihil accipiens exercuit, ſed & ipſos diſcipulos ſuos taliter informauit, dum daret eis poteſtatem infirmos curandi ac mortuos ſuſcitandi, diceretq;:* Gratis *accepiſtis gratis date. Munera ſuper innocentes non ſolum non accepit, ſed etiam ipſe ſeipſum dedit redemptionem pro omnibus. Completis ergo his decem uirtutum indicijs, in hoc de cœlo & perfectionem impletam oſtendit & adiecit dicens, qui facit hæc, id eſt, qui hunc imitatus fuerit non cōmouebitur in æternum.* Ipſi *gloria in ſecula ſeculorum* Amen.

Tituli inſcriptio ipſi Dauid. XV.

C*Onſerua me domine quoniam ſperaui in te, dixi domino: deus meus es tu, quoniam bonorū meorum non eges. Sanctis qui ſunt in terra eius, mirificauit omnes uoluntates meas in eis. Multiplicatæ ſunt infirmitates eorū, poſtea accelerauerunt. Nō congregabo cōuenticula eorum de ſanguinibus, nec memor ero nominum eorū per labia mea.* Dominus *pars hæreditatis meæ, et calicis mei: tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi. Funes ceciderūt mihi in præclaris,*

etenim

etenim hæreditas mea præclara eſt mihi. Benedicam dominum qui tribuit mihi intellectum, inſuper & uſque ad noctem increpuerunt me renes mei. Prouidebam dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi ne cõmouear. Propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultauit lingua mea, inſuper & caro mea requieſcet in ſpe. Quoniam non derelinques animã meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum uidere corruptionẽ. Notas feciſti mihi uias uitæ, adimplebis me lætitia cũ uultu tuo, delectationes in dextera tua uſq; in finem.

COMMENTARIVM.

A *Quinquageſimoquinto pſalmo uſq; ad quinquageſimum nonum omnes habent tituli inſcriptiones, ſed non puras. Iſte autem pſalmus ſola tituli inſcriptione prænotatur, qua oſtẽditur plus ad myſticam intelligentiam quàm ad hiſtoricam decantatus, in quo aduertimus hominem perfectum Ieſum Nazarenũ ad paßionem euntem, huius pſalmi orationem effundere. Quamuis enim deus eſſet in Chriſto, mundum reconcilians ſibi, tamen paßibilitatibus ſubiacebat, & timore enim & mœſticia agebatur. Et ideo alloquens diuinitatẽ adorat, dicens: Conſerua me domine, quoniam ſperaui in te, non ad arrogantiam ductus pro immaculata conſcientia ſuperbe ſapui, ſed dixi domino, deus meus es tu, & quamuis omnia opera mea, & omnia uerba mea & omnia cogitata mea bona ſint, tamen tu qui me aſſumpſiſti bonorum meorum non eges. Non enim pro dei neceßitate aſſumptus eſt homo, ſed pro hominis neceßitate ſuſceptus eſt deus. Hic autem homo qui aſſumptus à*

deo

deo inter omnes ſanctos mirificauit uoluntates ſuas, ita ut omnium merita in inæſtimabili uirtute tranſcenderet, & nullum ſibi pœnitus ſimilem inueniret, & licet multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, tamen exemplo domini accelerauerunt tendentes ad palmam, quos à ſocietate malorum ſegregans dominus dicit: Non congregabo conuenticula eorum de ſanguinibus: id eſt, credentes in me, ſegregabo ab eis qui in effuſione ſanguinis delectantur: nec memor ero nominum eorum per labia mea, negans eos coram patre & angelis. Dominus enim pars mea & paßionis meæ, id eſt, calicis mei. In quo funes ceciderunt, id eſt, ſortes ceciderunt. Mihi in præclaris, in Apoſtolis ſine dubio, Etenim hæreditas mea tam præclara eſt, ut ipſi ſint uſq; hodie lux huius mundi, in quibus benedicitur deus, qui ad hæc tribuit intellectum, nec ſolum ea quæ lucida ſunt, ſed & illa quæ occulta ſunt, non à corde, ſed ab ipſis renibus erudiebar, ut prouiderē dominum in conſpectu meo ſemper. Ipſe eſt enim à dextris meis ne commouear, ut hoc quod peccatum nō feci, nec dolus inuentus eſt in ore meo, non humanitati, ſed diuinitati abſcribam. Propter hoc delectatum eſt cor meū, et exultauit lingua mea, et ipſa caro mea requieſcit in ſpe, quoniam à dextris meis dominus, ut nō commouear. Et ideo non derelinques in inferno animam meam, nec dabis ſanctum tuum uidere corruptionem, quia notas mihi feciſti uias qua itur ad æternitatē, in quib. poſt triſticiā paßionis adimplebis me læticia cum uultu tuo, & aſcendens in cœlos dabis delectationes in dextera tua uſq; in finem. Ipſi gloria in ſecula ſeculorum Amen.

Oratio

Oratio Dauid. XVI.

EXaudi domine iuſticiam meam, intende depre-cationem meam. Auribus percipe orationem meam, non in labijs doloſis. De uultu tuo iu-dicium meum prodeat, oculi tui uideant æquitatem.

Probaſti cor meum, & uiſitaſti nocte, igne me exami naſti, & non eſt inuenta in me iniquitas. Vt non lo-quatur os meum opera hominum, propter uerba labio rum tuorum ego cuſtodiui uias duras. Perfice greſſus meos in ſemitis tuis, ut non moueantur ueſtigia mea.

Ego clamaui quoniam exaudiſti me deus, inclina au-rem tuam mihi & exaudi uerba mea. Mirifica miſe-ricordias tuas, qui ſaluos facis ſperantes in te. A reſiſten tibus dexteræ tuæ cuſtodi me, ut pupillam oculi. Sub umbra alarum tuarum protege me, à facie impiorum qui me afflixerunt. Inimici mei animam meam cir-cundederunt, adipem ſuum concluſerunt, os eorum lo-cutum eſt ſuperbiam. Proijcientes me nunc circum-dederunt me, oculos ſuos ſtatuerũt declinare in terram.

Suſceperunt me ſicut leo paratus ad prædam, & ſi-cut catulus leonis habitans in abditis. Exurge domi-ne præueni eum & ſupplanta eum, eripe animam me-am ab impio, frameam tuam ab inimicis manus tuæ.

Domine à paucis de terra diuide eos in uita eorum, & de abſconditis tuis adimpletus eſt uenter eorum.

Saturati ſunt filijs & dimiſerunt reliquias ſuas par-uulis ſuis. Ego autem in iuſticia apparebo conſpectui tuo, ſatiabor cum apparuerit gloria tua.

COMMENTARIVM.

Titulus orationem inſinuat: In qua de iuſticia et de iudicio à deo regulam ſumit, ut cum iudicat hominem homo, memor ſit eum ad imaginem dei factum, & non in labijs doloſis de uultu dei iudicium ſuũ proferat, ſed oculi eius uideant æquitatem, non dicat, hic diues & hic pauper, ſed dicat, hic nocens, & hic innocens, etiam ſi patiatur aduerſa, quia iuſtus iudex poterit factionibus fatigari, non iuſticia. Hic tamen etiam ignibus examinatus eſt, & non eſt inuenta in eo iniquitas. Quare? propter uerba, inquit, labiorum tuorum, quia ipſe dixiſti: Non accipies perſonam potentis in iudicio. Ergo propter hæc quæ iußiſti, etiam uias duras cuſtodiendas credidi, non timendo minas carnificum, non timendo iacturam omnium rerum. Verum quia qui permanens erit, hic ſaluus erit, Deprecor, ut perficias greſſus meos in ſemitis tuis, ut non moueantur ueſtigia mea. Non timeam homines iniuſtos, & ſalua me à reſiſtentibus dexteræ tuæ. Cuſtodi me ut pupillam oculi, id eſt, in omni hora, in omni puncto, & ſub umbra alarum tuarum protege me. Vmbra alarum pro affectu domus diuinæ ponitur. A facie impiorum qui me afflixerunt, Impiorum Phariſæorum intellige. Qui adipem ſuum concluſerunt, id eſt, pingues facti. Os eorum loquutum eſt ſuperbiam. Proijciẽtes me, tunc de ſynagoga. Circundederunt me, nunc ut crucifigant. Oculos enim ſuos ſtatuerunt declinare in terram, & nõ conſiderantes cœlorum iudicem, ſic ſuſceperunt me: ſicut leo paratus ad prædam, & ſicut catulus leonis. Leonem

populum ſacerdotum, catulum leonis populum ſubdi-tum ſacerdotibus poſuit. Illis frementibus ſuper cap-tum, illi ſeditioſa rabie deuorabant. Exurge Domine, præueni eos, ſuſcitans Chriſtum tuum, quo reſurgente ſubuertes eos, Habet enim ruinam hanc inuidia, ut euer ſum dicat ſuſceptum ſuum, ſi hunc quem decipi ſtuduit, uideat triumphantem. Eripe, inquit, animam meam ab impio, id eſt, à mortis iugo, & gladium inimicorum de manu tua euelle. frameam humanæ literæ, ſpecialiter di cunt lanceam regis, nos autem frameam generaliter gla dium in ſcripturis ſanctis accipimus. Quod autem à pau cis rogat ut ſeparentur hi qui eum affligunt, hæc ratio eſt, quod dum teneretur ait: Ego ſum quem quæritis: hos dimittite, de quibus ipſe dixerat: Multi quidem uocati, pauci uero electi. A paucis ergo hos perſecutores me-os diuide, & ſubplanta eos in uita ipſorum. Subplanta-tur qui priuilegium amittit, ſicut à Iacob Eſau ſubplanta tus eſt, non per maliciam Iacob, ſed per contemptum Eſau, qui tam pro nihilo habuit primatus, ut unius ci-bi uiliſsimi etiam pretio computaret. Ita ergo & hi de abſconditis dei quaſi de porcina ſaciati ſunt, nolentes dare reuerentiam myſterijs eius. Si enim ſcrutari cum reuerentia uoluiſſent uoces propheticas, agnum accipe rent Chriſtum, ſalutem ſuam in eius ſanguine collocan-tes. Nunc autem quaſi porcinam execrabilem comeden tes Iudæi, ita eo abuſi ſunt, in quo ſaciati ipſi ſanguine eius, etiam ad paruulos ſuos reliquias criminis tranſtu-lerunt dicentes: Sanguis huius ſuper nos, & ſuper fili-os noſtros. Eccleſia autem execrans eos dicit, quod ſit

cum iuſticia in conſpectu Dei, *& ſacietur dum apparuerit dextera eius in Chriſto* Ieſu, *qui regnat in ſecula ſeculorum* Amen.

In finem puero domini Dauid, *qui locutus eſt domino uerba cantici huius in die qua eripuit eum dominus de manu inimicorum eius & de manu* Saul, *& dixit.* XVII.

D*iligam te domine fortitudo mea, dominus firmamentum meum & refugium meum & liberator meus.* Deus *meus adiutor meus, & ſperabo in eum.* Protector *meus, & cornu ſalutis meæ, & ſuſceptor meus.* Laudans *inuocabo dominum & ab inimicis meis ſaluus ero.* Circundederunt *me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbauerunt me.*

Dolores *inferni circumdederunt me, præoccupauerunt me laquei mortis.* In *tribulatione mea inuocaui* Dominum, *& ad deum meum clamaui.* Et *exaudiuit de templo ſancto ſuo uocem meam, & clamor meus in cõſpectu eius introiuit in aures eius.* Cómmota *eſt & contremuit terra, fundamẽta montium conturbata ſunt & cõmota ſunt, quoniam iratus eſt eis.* Aſcendit *fumus in ira eius, et ignis à facie eius exarſit, carbones ſuccenſi ſunt ab eo.* Inclinauit *cœlos, & deſcendit, & caligo ſub pedibus eius.* Et *aſcendit ſuper* Cherubin *& uolauit ſuper pennas uentorum.* Et *poſuit tenebras latibulum ſuum in circuitu eius tabernaculum eius, tenebroſa aqua in nubibus aeris.* Præ *fulgore in conſpectu eius nubes tranſierunt, grando & carbones ignis.*

Et in-

Et intonuit de cœlo dominus & altiſſimus dedit uo=cem ſuam, grando & carbones ignis. Et miſit ſagit=tas ſuas & diſſipauit eos, fulgura multiplicauit & con=turbauit eos. Et apparuerunt fontes aquarum, & re uelata ſunt fundamenta orbis terrarum. Ab increpa tione tua domine, ab inſperatione ſpiritus iræ tuæ. Mi ſit de ſummo & accepit me, & aſſumpſit me de aquis multis. Eripuit me de inimicis meis fortiſſimis, & ab his qui oderunt me, quoniam confortati ſunt ſuper me. Præ uenerunt me in die afflictionis meæ, & factus eſt domi=nus protector meus. Et eduxit me in latitudinem, ſal uum me fecit, quoniam uoluit me. Et retribuet mihi dominus ſecundum iuſtitiam meam, & ſecundum puri=tatem manuum mearum retribuet mihi. Quia cuſto=diui uias domini, nec impie geſsi à deo meo. Quoni=am omnia iudicia eius in conſpectu meo, & iuſticias e=ius non repuli à me. Et ero immaculatus cum eo, & obſeruabo me ab iniquitate mea. Et retribuet mihi do minus ſecundum iuſticiam meam, & ſecundum purita=tem manuum mearum in conſpectu oculorũ eius. Cum ſancto ſanctus eris, et cum uiro innocente innocens eris.

Et cum electo electus eris, & cum peruerſo peruer=teris. Quoniam tu populum humilem ſaluum faci=es, & oculos ſuperborum humiliabis. Quoniam tu illuminas lucernam meam domine, deus meus illumina tenebras meas. Quoniam in te eripiar à tentatione, & in deo meo tranſgrediar murũ. Deus meus impol luta uia eius, eloquia domini igne examinata, protector eſt omnium ſperantiũ in ſe. Quoniam quis deus, præ

ter dominum, aut quis deus præter deum noſtrum? De us qui præcinxit me uirtute, & poſuit immaculatam uiã meam. Qui perfecit pedes meos tanquam ceruorum, & ſuper excelſa ſtatuens me. Qui docet manus meas ad prælium, & poſuiſti ut arcum æreum brachia mea. Et dediſti mihi protectionem ſalutis tuæ, & dextera tua ſu ſcepit me. Et diſciplina tua correxit me in finem, & diſciplina tua ipſa me docebit. Dilataſti greſſus meos ſub tus me, & non ſunt infirmata ueſtigia mea. Perſequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non conuer tar donec deficiant. Confringam illos, nec poterunt ſtare, cadent ſubtus pedes meos. Et præcinxiſti me uir tute ad bellum, & ſupplantaſti inſurgentes in me ſubtus me. Et inimicos meos dediſti mihi dorſum, & odien tes me diſperdidiſti. Clamauerunt, nec erat qui ſaluos faceret, ad dominum, nec exaudiuit eos. Et comminu am eos ut puluerem ante faciem uenti, ut lutum platea rum delebo eos. Eripies me de contradictionibus po puli, conſtitues me in caput gentium. Populus quem nõ cognoui ſeruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi. Filij alieni mẽtiti ſunt mihi, filij alieni inueterati ſunt, & claudicauerũt à ſemitis ſuis. Viuit dominus & be nedictus deus meus, & exaltetur deus ſalutis meæ. De us q das uindictas mihi & ſubdis populos ſub me, libe rator meus de inimicis meis iracũdis. Et ab inſurgẽtib. in me exaltabis me, à uiro iniquo eripies me. Propterea cõ fitebor tibi in nationib. domine, & nomini tuo pſalm. di cam. Magnificãs ſalutes regis eius, et faciẽs miſericor diam Chriſto ſuo Dauid, & ſemini eius uſq; in ſeculum.

COMMENTARIVM.

SEptimidecimi titulus indicat quidẽ hiſtoriã, quam qui melius quàm in pſalmo canitur ſcire uoluerit, Regum uolumina legendo, reperiet et qualiter pugnauerit & uicerit, & qualiter ſuorum omnium euaſerit hoſtium manus. Noſtrũ autem hoc eſt propoſitum, ut myſtica moralibus admiſcentes: tunc dicamus domino diligam te, cum omnibus amoribus finem quendam & terminum ponentes ipſi dicimus diligam te. Tunc enim uere erepti de manu omnium inimicorum noſtrorum, id eſt, de manu omnium uiciorum, & de manu Saul, id eſt, de manu principis huius mundi, dicimus deo diligam te. Interrogemus tamẽ dominum & dicamus: Quis eſt qui diligit te? Reſpondebit enim nobis per Euangeliſtam ſuum & dicit: Qui audit uerba mea & facit ea, hic eſt qui diligit me. Ipſe dicit: Dominus firmamentum meum, id eſt, de quo non dubito. Ipſe refugium meum, ipſe eſt liberator meus, ipſum laudans & ipſum inuocans ab inimicis meis ſaluus ero. Denique præterita dicam, ut futura non dubitem, dum circumdediſſent me gemitus mortis, & iniquitates & dolores & laquei, clamaui ad eum credens. Et exaudiuit de templo ſancto ſuo uocem meam, & clamor meus introiuit in aures eius. Et ex hoc loco futuri iudicij qualitas panditur, cuius nos terror, ſi credimus purgat. Tunc enim ita terra tremore concutitur, ut ipſa fundamenta montium conturbentur. Iraſcente enim domino, etiam ignis ipſe ardeſcit. Vt enim ignis omnem materiem à facie ſua facit exardeſcere: ita ipſe ignis à facie dei exardeſcet, cum inclinauerit cœlos & de

ſcenderit & cœperit eſſe caligo ſub pedibus eius. Cuius eius? ſine dubio eius qui aſcendit ſuper Cherubin & uolauit ſuper pennas uentorum, quiq; poſuit tenebras latibulum ſuum. Tenebras hic pro inuiſibilitate poſuit, unde & ſequitur: In circuitu eius tabernacula eius, & tenebroſa aqua in nubibus aeris. Tunc erit grando ſimul & carbones ignis, cum tonuerit de cœlo dominus, & altiſsimus dederit uocem ſuam: mittet ſagittas ſuas, ut diſsipet eos, ut fulgura multiplicet, & conturbet eos. Tunc parebunt fontes aquarum, tunc parebit quanta ſit uirtus baptiſmatis, tunc cum reuelabuntur fundamenta orbis terræ, Ab increpatione domini & ab ſpiratione ſpiritus iræ eius. Tunc dicit eccleſia, miſit de ſummo & aſſumpſit me de multitudine aquarum, unius enim aquæ ſanctificatione me uoluit conſecrari, per quam eripuit me ab inimicis meis fortiſsimis, & ab his qui oderunt me, quoniam confortati ſunt ſuper me. Præuenerunt me nanq; in die afflictionis meæ, tempore quo gladius ſecuit pia uiſcera matris, & factus eſt dominus ſuſceptor meus. Et produxit me ab anguſtijs in latitudine, liberauit enim me ab inimicis meis fortiſsimis, & retribuit mihi ſecundum iuſticiam meam, quia cuſtodiui uias domini uſq; ad mortem, nec timens gladium hominũ impie geſſi à deo meo. Iudicia enim eius ſemper ante oculos habui, & iuſtitias eius non reppuli à me. Vnde & populus martyrum eius dicit: Ero immaculatus cum eo. Cum eo utiq; qui immaculatus in cruce pro iniquitatibus noſtris paſſus eſt. Et obſeruabo me ab iniquitate mea, quam utique in martyrio depoſui. Tunc retribuet mihi dominus ſecundum

*ſecundum iuſticiam meam, & ſecundum innocentiam manuum mearum in conſpectu oculorū eius.*Nam quod memorat: *Cum ſancto ſanctus eris, non ad illud reſpicit quod uſitata uulgo ſententia dicimus: Cum quo aliquis iungitur, talis erit.*Hæc quidem ſententia uera eſt, ſed nō pertinet ad interpretationem præſentium uerſuum, hoc enim in loco ſi uis planum facere ſenſum canentis, Illud ad memoriam reuocabis, quod per prophetam dominus dicit ad populum: Si ambulaueritis in cōſpectu meo recti, & ego uobiſcum rectus incedam: ſi uero ambulaueritis peruerſi, & ego uobiſcum peruerſus ero. Ipſi ergo Pſalmiſta loquitur, Cum ſancto ſanctus eris, cū innocente innocens & cætera. Vnde & adiecit: Tu enim, inquit, populum humilem ſaluum facies, & oculos ſuperborum humiliabis. Verum, quia poſuit tenebras latibulum ſuum, & uidere myſteria ſcripturarū eius non poſſumus, ipſi clamemus cum propheta: Quoniam tu illuminas lucernam meam domine. Sicut lucerna corporis oculus, ita lucerna animæ mēs eſt, in qua niſi oleum gratiæ ſuæ Chriſtus infuderit, penitus lumen habere non poterit. Lucernam ergo ſuam clamat propheta illuminari à domino, quæ ſi acceperit lucendi materiam, oſtendit foueas in quas incauti ruunt, & laqueos in tenebris poſitos. In tenebris enim niſi lumen habuerit ambulans, aut offendiculum incurrit, aut in curſum penitus non euadit, unde & propheta: Cum illuminaueris, inquit, tenebras meas, ita demum eripiar à tentatione, & in te Deo meo tranſgrediar muros, ſicut Sampſon clauſis portarum ianuis intra muros clauſos per uirtutem Dei

tranſgreſſus eſt muros. Tranſgredimur & nos muros, cum de iſto corpore exeuntes, eos qui nos circundant euadimus. In Deo autem migramus, ſi impollutam uiam uitæ noſtræ ambulauerimus. Quia ipſa eſt uia Dei, in qua ambulantibus protector eſt omnium ſperantium in ſe. Ipſe enim eos præcingit uirtute, & facit immaculatam uiam eorum ut fugiant quaſi cerui. Quid fugiant? Sine dubio omne facinus. Omne quippe peccatum ex abiectione uitiorum. Super excelſa uirtutum aſcendent, ſi tamen ipſe doceat manus noſtras in prælio, quia ſine rebellantibus ad refugium montium non uenitur, et ponat ut arcum æreū brachia noſtra, ut in oratione non deficiāt, quoniā dum ſunt extenſæ in cruce Amalech uincitur. Si ergo ipſe eis dederit fortitudinem, ut quaſi arcus æreus in orationibus perſeuerent, non ſolum nos effugientes euadimus perſequentes, ſed nos perſequimur inimicos noſtros, & comprehendimus eos, & non conuertimur donec deficiant. Affligimus eos, ut ante nos ſtare non poßint, ſed cadant ſub pedibus noſtris, ſi tamen præcincti fuerimus uirtute ad bellum, tunc inſurgentes ſuper nos, erunt ſubter nos. Et inimicorum noſtrorum dorſa uidebimus fugientium, non facies perſequentium, ita, ut comminuamus eos ut puluerem ante faciem uenti, & ut lutum platearum deleamus eos. Hæc omnia nobis per illum euenient, qui poſuit ut arcum æreum brachia in cruce, & quotidie interpellat pro nobis. Ipſe enim dicit ad patrem: Eripies me de condictionibus populi increduli, & conſtitues me in caput gentium. Et adiecit: Populus quem non cognoui ſeruiuit mihi. Ma-

gi crediderunt: quos deus non dignatur cognoſcere, & illis ſeruientibus & munera offerētibus Iudæi abnegāt, & in eius perſecutionibus perſeuerant: filij alieni mētiti ſunt mihi dicentes: Scimus quia à deo uenisti, & in ueritate doces, ſed iſta uerba eorum erant plena dolo mendacij, in quo inueterati ſunt, & claudicauerunt à ſemitis ſuis. A ſemitis utiq; in quibus eos docuerunt ambulare prophetæ, ſed uiuit dominus, licet eū crucifigatis, & ſepultū cernatis, ille tamē reſurget & uiuit, et exaltabitur in cœlis deus ſalutis meæ; ipſe dabit uindictam hanc eccleſiæ ſuæ, ut ſubdat populos ſub ea, & ſit liberator eius à gentibus iracundis, & ab inſurgentibus ſuper eam, & exaltet eam ſuper petrā, ut portæ inferni non præualeāt aduerſus eam. Et à uiro iniquo eripiat eam, id eſt, à prauo doctore. Propterea confitetur ei in populis, & pſalmum dicit nomini eius, Qui magnificat ſalutare regis eius, & faciet miſericordiam Chriſto ſuo Dauid, cum ex ſemine eius excitat regnum quod imperet in ſecula ſeculorum Amen.

In finem pſalmus Dauid. XVIII.

COeli enarrant gloriam dei, et opera manuū eius annunciat firmamentū. Dies diei eructat uerbum, & nox nocti indicat ſcientiam. Non ſunt loquelæ neq; ſermones, quorum non audiantur uoces eorum. In omnem terram exiuit ſonus eorū, & in fines orbis terræ uerba eorum. In ſole poſuit tabernaculum ſuum, & ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo. Exultauit ut gigas ad currendā uiam ſuam, à ſummo cœlo egreſſio eius. Et occurſus eius uſq; ad ſummū

eius, nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius. Lex domini immaculata conuertens animas, teſtimonium domini fidele ſapientiam præſtans paruulis. Iuſticiæ domini rectæ lætificantes corda, præceptum domini lucidum illuminans oculos. Timor domini ſanctus permanens in in ſeculum ſeculi, iudicia domini uera iuſtificata in ſemet ipſa. Deſiderabilia ſuper aurum & lapidem precioſum multum, & dulciora ſuper mel & fauum. Etenim ſeruus tuus cuſtodit ea, in cuſtodiẽdis illis retributio multa. Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, & ab alienis parce ſeruo tuo. Si mei non fuerint domi nati, tunc immaculatus ero & emundabor à delicto maximo. Et erunt ut complaceant eloquia oris mei & meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper. Domine adiutor meus & redemptor meus.

COMMENTARIVM.

Sicut terreni narrauerunt gloriam hominũ, ita cœleſtes enarrant gloriam dei. Sic autem proprium locum relinquentes magi ſtellæ indicio, narrabant ipſi gloriam dei. Sed & cœli facti ſunt Apoſtoli, habẽtes in ſe ſolem iuſtitiæ, & merita in modum ſtellarum pro uarietate diuerſo ſplendore radiantia. Ipſis ergo narrantibus gloriam dei, opera manuum dei annunciabant doctrinæ eorum firmamentum: ſiue quia crux, quæ firmamentum eſt æternum, opere manuum eius triumphauit & uicit: ſiue quia curabãtur infirmi et ſuſcitabãtur mortui, opera manuum eius annunciant firmamentum. Cum dies loquebatur ad diem, & nox loquebatur ad noctem, quia ſic de die in diem ibat, & nox loquebatur ad noctẽ

uerbũ, & de nocte in noctẽ,ut eius ſcientia panderetur. Hæc ſimpliciter. *Cæterũ diei dies patris filius eſt, pater ergo eructauit uerbũ,quod uerbũ inuolutũ in nocte uen tris uirginei,inuoluto in nocte uẽtris ſterilis* Elizabet *ſui indicauit ſcientiã.*Hæc Apoſtoli *prædicãtes nõ fuit loque la,neq; ſermo quorũ nõ audirentur uoces eorũ,ita ut uniuerſarũ gentiũ loquaces dicerent de eis.* Nonne hi uiri Galilæi *ſunt,& quomodo unuſquiſq; lingua noſtra audi uimus eos loquẽtes magnalia dei?*Horum *aũt ſonus in omnẽ terram progreſſus eſt,& in fines uniuerſi orbis uer ba eorum penetrarunt, tempore quo dominus in ſolem poſuit tabernaculũ ſuum.*In *ſolem,non iſtum qui miniſte rium diuinũ exercẽs,horarũ menſuras ſub certa temporum norma diſcurrit:ſed ſolẽ iuſtitiæ,qui in ſplendore uitæ æternæ uirgineo æditus aluo, lumẽ uerũ mentibus ful ſit,& eſt egreſſus de uirgine ſicut ſponſus de thalamo.* Hic *exultauit ut gigas ad currendã uiã, immaculatus utiq; ambulauit in uia in lege domini:à ſummo cœlo egreſ ſio eius.* Non *ex ſemine uiri, ſed ex ore patris qui eſt in ſummo cœlorum.& occurſus eius uſq; ad ſummum eius.* Non *enim de oriente in occidentẽ,aut quaſi de alto ad ima,ſed de ſummo in ſummũ,de alto in altũ,& de uirtute in uirtutẽ,atq; à ſummo ad ſummũ.non erit qui ſe abſcõdat à calore eius.* Nulla *enim gẽs erit in hoc ſeculo,ad cu ius noticiã non attingat calor fidei* Chriſtianæ,*in qua eſt lex domini irreprehenſibilis, conuertens animas, inuitans ab errore ad iter rectum, à mendacio ad ueritatem: ibi ſunt iuſticiæ lætificantes corda.* Quid *enim tam iuſtũ gaudiũ cordis,quàm hoc in quo iubemur omnia quæ*

uolumus

uolumus, ut faciant nobis homines, eadem nos faciamus eis. Hoc *præceptũ tam lucidum eſt, ut etiam cæcorum illuminet oculos, ſi tamen timor domini in nobis permanet, per quem conſideremus iudicia* Dei *uera iuſtificata in ſemetipſa.* Et *deſideremus ea ſuper aurũ & lapidem precioſum, & dulciora nobis fuerint ſuper mel & fauũ: quoniã qui ſeruus eſt domini, cuſtodit ea: & credit, quod in cuſtodia præceptorum dei retributio tam multa ſit, ut non ſunt condignæ paßiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis: ſi tamen lapſus noſtros & delicta noſtra intelligere ſtudeamus, quod arguit* Pſalmiſta, *nullum uelle intelligere delicta ſua.* Ar*guendo enim non negando cantauit dicens:* Delicta *quis intelligit? Sicut in centeſimoſexto dicit:* Quis *ſapiẽs hæc intelligit? & hic ita:* Delicta *quis intelligit? Sæpe enim temeritatem conſtantiam dicimus, & iniuriam libertatem uocamus, fatuitati ſimplicitatis nomen imponimus: & adulationem charitatem integerrimam appellamus.* Ad *hæc da ſcrutantem cordis oculum, intelliget iſta, & idcirco clamat, qui intelligit:* Ab *occultis meis mũda me domine, quia ipſa quæ in me ſancta putantur, reatui ſub iacent: & ab alienis peccatis quibus adulando fomitem exhibemus, parce ſeruo tuo, quia ſi in me per adulationẽ non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & mundus ero à delicto maximo, quando autem ſine adulatione loquutus fuero, tunc tibi placebunt eloquia oris mei.* Tunc *erit meditatio cordis mei in cõſpectu tuo ſemper.* Nihil *enim cogitat qui non adulatur, niſi hoc, quod non timeat uidere deum, & ideo ipſi deo ſecurus loquitur, et*

placebunt

placebunt ei eloquia eius quia meditatio cordis eius in conſpectu dei eſt. Et huic dicit: Adiutor meus & redemptor meus, qui regnat in ſecula ſeculorum Amen.

In finem pſalmus Dauid. XIX.

EXaudiat te dominus, in die tribulationis protegat te nomen dei Iacob. Mittat tibi auxilium de ſancto, & de Syon tueatur te. Memor ſit omnis acrificij tui, & holocauſtũ tuum pingue fiat. Tribuat tibi ſecundum cor tuum, & omne conſilium tuum confirmet. Lætabimur in ſalutari tuo, & in nomine domini dei noſtri magnificabimur. Impleat dominus omnes petitiones tuas, nunc cognoui quoniam ſaluum fecit dominus Chriſtum ſuum. Exaudiet illum de cœlo ſancto ſuo in potentatib. ſalus dexteræ eius. Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine domini Dei noſtri inuocabimus. Ipſi obligati ſunt & ceciderunt, nos autẽ ſurreximus & erecti ſumus. Domine ſaluũ fac regem, & exaudi nos in die qua inuocauerimus te.

COMMENTARIVM.

CHriſto eunti ad crucem dicit eccleſia: Exaudiat te dominus in die tribulationis. Homini utique qui ſe obtulit redemptionem pro omnibus: Holocauſtum, inquit, tuum pingue fiat, quod in altari crucis offers, & ita omne conſilium tuum confirmet, ut lætemur in ſalutari tuo, & in nomine domini dei noſtri inuocemus te, cum reſurrexeris à mortuis: ſaluum enim fecit dominus Chriſtũ ſuum, & ita erit in potentatibus ſalus dexteræ eius, ut à dextris ſuis latronẽ ad paradiſum ducat. Alij confidunt in curribus, alij in equis, nos aũt in nomine

nomine domini dei noſtri magnificabimur, et illis cadentibus, nos reſurgimus, quia rex noſter ſaluus factus eſt, & reſurgẽs à mortuis aſcendit in cœlos, & ſedens ad dexterã dei patris, exaudit nos in die qua inuocauerimus eum, ipſi gloria in ſecula ſeculorum Amen.

In finem pſalmus Dauid. XX.

DOmine in uirtute tua lætabitur rex, & ſuper ſalutare tuum exultabitur uehementer. Deſiderium cordis eius tribuiſti ei, & uoluntate labiorum eius non fraudaſti eum. Quoniam præueniſti eum in benedictionibus dulcedinis, poſuiſti in capite eius coronam de lapide precioſo. Vnam petijt à te, tribuiſti ei & longitudinem dierum in ſeculum & in ſeculum ſeculi. Magna eſt gloria eius in ſalutari tuo, gloriam & magnum decorem impones ſuper eum. Quoniam dabis eum in benedictionem in ſeculum ſeculi, lætificabis eum in gaudio cum uultu tuo. Quoniam rex ſperat in domino, & in miſericordia altiſſimi non commouebitur. Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis, dextera tua inueniat omnes qui te oderunt. Pones eos ut clybanum ignis in tempore uultus tui, dominus in ira ſua conturbabit eos, & deuorabit eos ignis. Fructum eorum de terra perdes, & ſemen eorum à filijs hominum. Quoniam declinauerunt in te mala, cogitauerunt conſilia quæ non potuerunt ſtabilire. Quoniam pones eos dorſum, in reliquijs tuis præparabis uultum eorum. Exaltare domine in uirtute tua, cantabimus & pſallemus uirtutes tuas.

COMMENTARIVM.

REgem hoc in loco hominem perfectum appellat, nõ in uirtute ſua, ſed in uirtute eius lætantem qui eum aſſumpſit, qui deſiderium cordis eius tribuit ei, & uoluntate labiorum eius non fraudauit eum: præuenit enim eum in benedictione dulcedinis. Amanti enim præcepta eius, dulcis eſt, isq; imperat ſicut ſuperius dixit: Super mel et fauũ ori meo. Benedictio ergo dulcedinis eſt corpus eius: guſtate, ait, & uidete quàm ſuauis eſt dominus. hoc autẽ quod dicit, Poſuiſti ſuper caput eius coronam: Imitator Chriſti Paulus, hos appellat gaudium ſuũ & coronam ſuã, qui eius monita amplectebantur, quia Apoſtoli in eius gloria gloriabantur. de his dicitur: Corona impoſita in capite domini, facta ex lapide precioſo, ſicut Ezechielis prophetia, & Ioannis Apocalypſis loquitur. Vnã petijt. de aſſumpto homine agit, uitam enim poſitus in morte ſuſcepit, & longitudinem dierum nõ uſq; ad ſenectutem, ſed in ſeculum ſeculi. Magna enim gloria eius, in quo magna eſt non in arrogantia diuinitatis, ſed in ſalute humanitatis, & ideo gloriam & magnum decorem impones ſuper eum, & dabis eum in benedictione æterna, quia ſic ſperauit in domino, & in miſericordia eius commotus non eſt, ut pro ſalute generis humani etiam ſeipſum ſacrificari permitteret. ex hoc loco pater ad filium loquitur. inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis, dextera tua illa quæ in cruce clauos accepit, ipſa inueniat eos qui te oderunt, pone eos ut clybanum ignis. in tempore uultus tui. Tunc in ira tua conturbabis eos & deuorabit eos ignis. Iudicij enim dies

dum

dum uenerit, fructus eorum qui increduli perſeuerant, à terra perient. Nam eos fructificat in reſurrectionis fructu, quos ſeminatos accepit in obitu. nã corpora noſtra ſeminari Apoſtolus probat, cum dicit. Seminatur in corruptione, ſurgit in incorruptionẽ. ſed hi qui declinant in Chriſto mala, ſicut tunc Iudæi, & contra eum peruerſitatis ſuæ cogitant conſilium, In die illa ponentur in dorſo, & in reliquijs ſuis præparat uultum illorum. Hoc eſt nõ in prima anaſtaſi reſurgunt cum ſanctis, ſed quod reſiduum fuit reſurrectioni primæ, in eo præparabit uultũ illorum. Tunc laudes domino Ieſu Chriſto offerentes in hymno, & iſta uerba cantabimus. ut dicamus ei: Exaltare domine in uirtute tua. Iam non in perſona ſerui latibulũ tuæ uirtutis obumbras, ſed exaltare in uirtute tua, & ſentiant te ultorem qui noſtrũ te credere dubitant ſaluatorem, tibi gloria in ſecula ſeculorum Amen.

In finem pſalmus Dauid pro ſuſceptione matutina. XXI.

DEus deus meus reſpice in me, quare me dereliquiſti, longe à ſalute mea uerba delictorum meorum. Deus meus clamabo per diem, & non exaudies, & nocte, & non ad inſipientiam mihi. Tu autem in ſancto habitas laus Iſrael. In te ſperauerunt patres noſtri, ſperauerunt & liberaſti eos. Ad te clamauerunt, & ſalui facti ſunt, in te ſperauerunt, & non ſunt confuſi. Ego autem ſum uermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis. Omnes uidentes me deriſerunt me, locuti ſunt labijs, & mouerunt caput. Sperauit in domino, eripiat eum, ſaluum faciat

eum,

tum, quoniam uult eum. Quoniam tu es qui extraxi=
ſti me de uentre, ſpes mea ab uberibus matris meæ, in te
proiectus ſum ex utero. De uẽtre matris meæ deus me=
us es tu, ne diſceßeris à me. Quoniam tribulatio proxi
ma eſt, quoniam non eſt qui adiuuet. Circundederunt
me uituli multi, tauri pingues obſederunt me. Aperue=
runt ſuper me os ſuum, ſicut leo rapiens & rugiens.
Sicut aqua effuſus ſum & diſperſa ſunt omnia oſſa mea.
Factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens in me=
dio uentris mei. Aruit tanquam teſta uirtus mea, & lin
gua mea adhæſit faucibus meis, & in puluerem mortis
deduxiſti me. Quoniam circundederunt me canes mul
ti, conſilium malignantium obſedit me. Foderunt ma=
nus meas et pedes meos, dinumerauerũt omnia oſſa mea.
Ipſi uero conſiderauerunt & inſpexerunt me, diuiſe=
runt ſibi ueſtimenta mea, & ſuper ueſtem meam miſerũt
ſortem. Tu aũt domine ne elongaueris auxilium tuum
à me, ad defenſionem meam conſpice. Erue à framea
deus animam meam, & de manu canis tunicam meam.
Salua me ex ore leonis, & à cornibus unicorniũ humili=
tatem meam. Narrabo nomen tuum fratribus meis, in
medio eccleſiæ laudabo te. Qui timetis dominũ lauda=
te eum, uniuerſum ſemẽ Iacob glorificate eum. Timeat
eum omne ſemen Iſrael, quoniã non ſpreuit, neq; deſpe
xit deprecationẽ pauperis. Nec auertit faciem ſuam à
me, et cum clamarẽ ad eum exaudiuit me. Apud te laus
mea in eccleſia magna, uota mea reddam in conſpectu ti
mentiũ eum. Edent pauperes & ſaturabuntur, & lau=
dabunt dominũ qui requirunt eum, uiuent corda eorũ in

ſeculum ſeculi. Reminiſcentur, & conuertentur ad dominum, uniuerſæ fines terræ. Et adorabunt in conſpectu eius, uniuerſæ familiæ gentium. Quoniam domini eſt regnum, & ipſe dominabitur gentium. Manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terræ, in conſpectu eius cadent omnes qui deſcendunt in terram. Et anima mea illi uiuet, & ſemen meum ſeruiet ipſi. Annunciabitur domino generatio uentura, & annunciabunt cœli iuſtitiam eius, populo qui naſcetur quem fecit dominus.

COMMENTARIVM.

IN paßione ſua poſitus Dominus explanauit pſalmi huius myſteria. Nam Hebraicis uerbis uerſiculū primum iſtius pſalmi exprimens, cætera quæ ſequebantur expoſuit: Nam ibi legimus dicentes Phariſæos: Sperauit in domino, eripiat eum: ſaluum faciat eum, quoniā uult eum. In ipſa paßione circundederūt eum uituli multi, id eſt, populi Iudæorum. Tauri pingues obſederunt eum, id eſt, principes ſacerdotum. Aperuerūt ſuper eum os ſuum dicentes, blaſphemauit, Dederūt fremitum ſicut leo rapiens & rugiens. Dānabilis ille Cayphas princeps ſacerdotum ita fremuit, ut & ueſtimenta ſua ſcinderet. Sicut aqua effuſa ſunt oſſa eius. Bene poſuit aquam, quia nihil nouit corpus Chriſti, niſi peccata lauare. Factum eſt cor meum ſicut cera liqueſcens in medio uentris mei. Cera dum ſoluta fuerit ab igne non perit, ut cæteræ ſpecies ab igne ſemel incenſæ in cinerem rediguntur, cera uero cum arſerit, ad hoc redit quod fuit. Sciens ergo ſe perire non poſſe: Sicut cera, inquit, liquefactum eſt in medio uentris mei. Aruit uelut teſta uirtus mea: Non dixit fra-

ctum

ſtum eſt uelut teſta, nam ſicut fractura eius irremediabilis eſt, ita coctura laudabilis inuenitur. Et ideo quantò *plus aruerit figuli opus tanto melior & ſolidior inueniatur. Aruit ergo in igne tribulationis, uelut teſta, uirtus mea.* Et lingua mea adhæſit faucibus meis. Tacens quaſi *reus inclinato capite falſos teſtes in conſpectu iudicis nō repellebā, qui in puluerem mortis deduxerunt me.* Et circundederunt me quaſi canes multi, & ita in concilio malignitatis ſuæ obſederunt me, ut foderent manus meas & pedes, & dinumerauerunt omnia oſſa mea: Ipſi etiam conſiderarent & conſpicerent me, ac diuiderent ſibi ueſtimenta mea, & ſuper ueſtimentum mitterent ſortem. Neſcio cum qua animi præſumptione, ò ſceleratiſſimi Iudæi, pſalterium in ueſtris canitis ſynagogis. Conſiderate miſeri hunc eſſe dominum quem negaſtis, & uel tarde timentes dominum: Laudate eum, uniuerſum ſemen Iacob magnificate eum. Timete eum uniuerſum ſemen Iſrael. Non enim ſpernit precem ueſtram, in tantum, ut in cruce poſitus pro crucifigentibus oret, ut ſit laus eius in eccleſia magna, & uota ſua reddat coram timentibus eum. Dum edent corpus eius pauperes ſpiritu ut ſatientur & facti diuites, In fide laudent dominum, requirentes eum, & uiuat cor eorum in æternum: Et per eos cōuertantur ad dominum uniuerſi fines terræ, ut adorent in conſpectu eius, non ſola Iudæa, ſed omnes patriæ gentium, quoniam domini eſt regnum, & ipſe dominabitur gentiū. Ecce ſchola Chriſti in pauperibus diſcipulis celebrata, nūc ſchola Phariſæorum exurgite & uidete manducantes, & manducātes illi manducauerunt,

& ſaturati ſunt, & laudauerunt dominum requirentes eum, Iſti autem manducauerunt,& adorauerunt omnes diuites terræ. Et ideo in conſpectu dei cadent omnes qui deſcendunt in terram. Deſcenſus enim terrenus hominibus famulatur, noſtra autem anima deo ſeruiat, & ipſi uiuat. Semen uero noſtrum ipſi ſeruiat in caſtificatione continentiæ, ut annunciemus domino generationem uenturam, id eſt, futuram ſanctorum gloriam cogitemus: Et annunciemus iuſtitiam dei fratribus ac filijs ætate, & omni populo qui naſcetur, quē fecit dominus deus noſter, qui regnat in ſecula ſeculorum Amen.

Pſalmus Dauid. XXII.

DOminus regit me, et nihil mihi decrit, in loco paſcuæ ibi me collocauit. Super aquā refectionis educauit me, animā meā cōuertit. Deduxit me ſuper ſemitas iuſtitiæ propter nomē ſuū. Nam & ſi ambulauero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecū es. Virga tua & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt. Paraſti in conſpectu meo menſam, aduerſus eos qui tribulant me. Impinguaſti in oleo caput meū, & calix meus inebrians quàm præclarus eſt. Et miſericordia tua ſubſequetur me, omnibus dieb. uitæ meæ. Et ut inhabitem in domo domini in longitudine dierum.

COMMENTARIVM.

QVi in XXI. pſalmo habuimus tribulationem paßionis, In uiceſimoſecundo pſalmo lætitiam reſurrectiōis accipiamus: ut quia ibi ſeminauimus lachrymas patientis domini, hic metamus gaudia reſurgentis. Dicant qui uolunt: Reget me ager meus, & nihil mihi

mihi deerit. Dicat alius: Reget me negociatio mea, aut militia mea, aut induſtria mea, aut ars mea, aut literæ meæ, & nihil mihi deerit. Nos dicamus cum eccleſia. Dominus regit me, & nihil mihi deerit. Vox ergo iſta contemnentis eſt, ſi habeat: aut habere nolentis, ſi non habeat. Alioquin mētitur in carmine, qui aliud exoptat in uoto. Si enim ſtudio agit, ut eum quæcunq; terrena opera regant, non ſanis integre dicit: Dominus regit me. Perfectorum ergo iſta uox eſt, quam eccleſia de domini paßione ſuſcepit. In loco paſcuæ collocata, ſuper aquā refectionis educata. Vbi enim abundat fons, ac largis profluit uenis, ibi uiriditas, ibi amœnitas, ibi refectio. Hæc autem mihi euenient, quia per paßionem ſuam animam meam conuertit: Deduxit me ſuper ſemitas iuſtitiæ, propter nomen ſuum. Nam & ſi ambulem in medio umbræ mortis, iam non timebo mala, quoniam tu mecum es, qui mortis imperium ſub iugaſti. Quid nunc habeat intra ſe eccleſia uideamus. Habet uirgām unde minatur delinquenti. Habet baculum unde ſubueniat pœnitenti. Habet menſam unde det panem credenti. Habet oleum unde impinguet caput in libertatē conſcientiæ præſumenti. Habet calicem unde inebriet prædicantes ſermonem, ita ut cum ſit hora diei tertia, iam ille in prædicatione ſua ebrius æſtimetur. Habet miſericordiam dei, quæ ſubſequatur eum omnibus diebus uitæ ſuæ, et ut inhabitet in domo domini in longitudine dierum ſuorum, laudans dominum Ieſum Chriſtum, qui regnat in ſecula ſeculorum Amen.

Pſalmus Dauid *in prima ſabbati.* XXIII.

D*Omini eſt terra & plenitudo eius orbis terrarũ, & uniuerſi qui habitãt in eo. Quia ipſe ſuper maria fundauit eũ, & ſuper flumina præparauit eum. Quis aſcendet in montẽ domini, aut quis ſtabit in loco ſancto eius. Innocens manibus & mundo corde, qui non accepit in uano animam ſuam, nec iurauit in dolo proximo ſuo. Hic accipiet benedictionem à domino, & miſericordiã à deo ſalutari ſuo. Hæc eſt generatio quærentiũ eum, quærentiũ faciẽ dei Iacob. Attollite portas principes ueſtras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. Quis eſt iſte rex gloriæ? dominus fortis et potẽs in prælio. Attollite portas principes ueſtras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. Quis eſt iſte rex gloriæ? dominus uirtutum, ipſe eſt rex gloriæ.*

COMMENTARIVM.

V*Iceſimustertius pſalmus in introitu ſuo ſuper ipſum limen poſuit titulum de prima ſabbati. In qua die dixit dominus, Fiat lux: In qua panem angelorum manducauit homo: In qua ipſe dominus reſurrexit à mortuis. Quæ dies idcirco in titulo ponitur: quia in ipſa lucratus eſt terram, quam in principio fecerat orbem terræ, & omnes qui habitant in ea. Quomodo autem lucratus ſit, ſi requiris, reſpondet, per aquam & ſpiritum ſanctum: Ideo clauſa maria nominat ſinum aquarum omnium unum, quia ſicut omnia flumina unum hunc habent ſinum, ita omnia unum hunc habent*

ſpiritum

ſpiritum ſanctum. In *quo fiunt homines innocentes manibus & mundo corde*. Et *ſicut qui ibi ingreſſus non fuerit, in uanum accipit animam ſuam, ſi tamen non iurauerit in dolo proximo ſuo, quia per baptiſmatis donum proximus ei efficitur ſpiritus ſanctus*. Per *hunc promittit ſe renunciare diabolo, & omnibus pompis eius*. Iurare *ergo eſt ius conſtituere, quo renunciata abſtinentur, & promiſſa ſeruantur*. Iſta *non iurauit in dolum proximo ſuo, quomodo proximus factus eſt ſpiritui ſancto? quia is qui longe erat factus eſt prope*, Et *qui factus eſt prope, iurauit huic proximo, quando accepit benedictionem à domino, & miſericordiam à deo ſalutari ſuo*. Et *factus eſt filius dei in generatione quærentium dominum, & requirentium faciem dei* Iacob. *iam iſti dicitur:* Tollite *portas principis ueſtri*. Abijcite *exemplum* Adæ, *qui eſt princeps ueſter ſecundum carnem, & eleuamini portæ æternales, habentes regem gloriæ potentem & fortem & potentem in prælio, uincentem uicia, & nutritores eorũ, ſpiritus nequam*. Tollite *ergo portas principis ueſtri, ſicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœleſtis*. Quis *eſt iſte rex gloriæ?* Chriſtus *filius dei ipſe eſt rex gloriæ*. Excludens *principem ignominiæ, qui deiectis ſimulachrorum templis, ueluti portis principis diaboli, eleuauit portas æternales ſanctæ eccleſiæ catholicæ, in qua regnat rex gloriæ*. Si *interrogas quis eſt iſte rex gloriæ? reſpondebit* Apoſtolus, *rex omnium ad ſalutem Chriſtus filius dei, qui regnat in ſecula ſeculorum* Amen.

f 4 *In finem*

uolumus, ut faciant nobis homines, eadem nos faciamus eis. Hoc *præceptũ tam lucidum eſt, ut etiam cæcorum illuminet oculos, ſi tamen timor domini in nobis permanet, per quem conſideremus iudicia* Dei *uera iuſtificata in ſemetipſa.* Et *deſideremus ea ſuper aurũ & lapidem precioſum, & dulciora nobis fuerint ſuper mel & fauũ: quoniã qui ſeruus eſt domini, cuſtodit ea: & credit, quod in cuſtodia præceptorum dei retributio tam multa ſit, ut non ſunt condignæ paßiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis: ſi tamen lapſus noſtros & delicta noſtra intelligere ſtudeamus, quod arguit* Pſalmiſta, *nullum uelle intelligere delicta ſua.* Ar*guendo enim non negando cantauit dicens:* Delicta *quis intelligit? Sicut in centeſimoſexto dicit:* Quis *ſapiẽs hæc intelligit? & hic ita:* Delicta *quis intelligit? Sæpe enim temeritatem conſtantiam dicimus, & iniuriam libertatem uocamus, fatuitati ſimplicitatis nomen imponimus: & adulationem charitatem integerrimam appellamus.* Ad *hæc da ſcrutantem cordis oculum, intelliget iſta, & idcirco clamat, qui intelligit:* Ab *occultis meis mũda me domine, quia ipſa quæ in me ſancta putantur, reatui ſub iacent: & ab alienis peccatis quibus adulando fomitem exhibemus, parce ſeruo tuo, quia ſi in me per adulationẽ non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & mundus ero à delicto maximo, quando autem ſine adulatione loquutus fuero, tunc tibi placebunt eloquia oris mei. Tunc erit meditatio cordis mei in cõſpectu tuo ſemper. Nihil enim cogitat qui non adulatur, niſi hoc, quod non timeat uidere deum, & ideo ipſi deo ſecurus loquitur, et*

placebunt

placebunt ei eloquia eius quia meditatio cordis eius in conſpectu dei eſt. Et huic dicit: *Adiutor meus & redemptor meus, qui regnat in ſecula ſeculorum* Amen.

In finem pſalmus David. XIX.

EXaudiat te dominus, in die tribulationis protegat te nomen dei Iacob. Mittat tibi auxilium de ſancto, & de Syon tueatur te. Memor ſit omnis acrificij tui, & holocauſtũ tuum pingue fiat. Tribuat tibi ſecundum cor tuum, & omne conſilium tuum confirmet. Lætabimur in ſalutari tuo, & in nomine domini dei noſtri magnificabimur. Impleat dominus omnes petitiones tuas, nunc cognoui quoniam ſaluum fecit dominus Chriſtum ſuum. Exaudiet illum de cœlo ſancto ſuo in potentatib. ſalus dexteræ eius. Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine domini Dei noſtri inuocabimus. Ipſi obligati ſunt & ceciderunt, nos autẽ ſurreximus & erecti ſumus. Domine ſaluũ fac regem, & exaudi nos in die qua inuocauerimus te.

COMMENTARIVM.

*CHriſto eunti ad crucem dicit eccleſia: Exaudiat te dominus in die tribulationis. Homini utique qui ſe obtulit redemptionem pro omnibus: Holocauſtum, inquit, tuum pingue fiat, quod in altari crucis offers, & ita omne conſilium tuum confirmet, ut læ*temur in ſalutari tuo, & in nomine domini dei noſtri inuocemus te, cum reſurrexeris à mortuis: ſaluum enim fecit dominus Chriſtũ ſuum, & ita erit in potentatibus ſalus dexteræ eius, ut à dextris ſuis latronẽ ad paradiſum ducat. Alij confidunt in curribus, alij in equis, nos aũt in nomine*

nomine domini dei noſtri magnificabimur, et illis cadentibus, nos reſurgimus, quia rex noſter ſaluus factus eſt; & reſurgēs à mortuis aſcendit in cœlos, & ſedens ad dexterā dei patris, exaudit nos in die qua inuocauerimus eum, ipſi gloria in ſecula ſeculorum Amen.

In finem pſalmus Dauid. XX.

D*Omine in uirtute tua lætabitur rex, & ſuper ſalutare tuum exultabitur uehementer. Deſiderium cordis eius tribuiſti ei, & uoluntate labiorum eius non fraudaſti eum. Quoniam præueniſti eum in benedictionibus dulcedinis, poſuiſti in capite eius coronam de lapide precioſo. Vnam petijt à te, tribuiſti ei & longitudinem dierum in ſeculum & in ſeculum ſeculi. Magna eſt gloria eius in ſalutari tuo, gloriam & magnum decorem impones ſuper eum. Quoniam dabis eum in benedictionem in ſeculum ſeculi, lætificabis eum in gaudio cum uultu tuo. Quoniam rex ſperat in domino, & in miſericordia altiſsimi non commouebitur. Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis, dextera tua inueniat omnes qui te oderunt. Pones eos ut clybanum ignis in tempore uultus tui, dominus in ira ſua conturbabit eos, & deuorabit eos ignis. Fructum eorum de terra perdes, & ſemen eorum à filijs hominum. Quoniam declinauerunt in te mala, cogitauerunt conſilia quæ non potuerunt ſtabilire. Quoniam pones eos dorſum, in reliquijs tuis præparabis uultum eorum. Exaltare domine in uirtute tua, cantabimus & pſallemus uirtutes tuas.*

COMMEN-

COMMENTARIVM.

Regem hoc in loco hominem perfectum appellat, nõ in uirtute ſua, ſed in uirtute eius lætantem qui eum aſſumpſit, qui deſiderium cordis eius tribuit ei, & uoluntate labiorum eius non fraudauit eum: præuenit enim eum in benedictione dulcedinis. Amanti enim præcepta eius, dulcis eſt, isq; imperat ſicut ſuperius dixit: Super mel et fauũ ori meo. Benedictio ergo dulcedinis eſt corpus eius: guſtate, ait, & uidete quàm ſuauis eſt dominus. hoc autẽ quod dicit, Poſuiſti ſuper caput eius coronam: Imitator Chriſti Paulus, hos appellat gaudium ſuũ & coronam ſuã, qui eius monita amplectebantur, quia Apoſtoli in eius gloria gloriabantur. de his dicitur: Corona impoſita in capite domini, facta ex lapide precioſo, ſicut Ezechielis prophetia, & Ioannis Apocalypſis loquitur. Vnã petijt. de aſſumpto homine agit, uitam enim poſitus in morte ſuſcepit, & longitudinem dierum nõ uſq; ad ſenectutem, ſed in ſeculum ſeculi. Magna enim gloria eius, in quo magna eſt non in arrogantia diuinitatis, ſed in ſalute humanitatis, & ideo gloriam & magnum decorem impones ſuper eum, & dabis eum in benedictione æterna, quia ſic ſperauit in domino, & in miſericordia eius commotus non eſt, ut pro ſalute generis humani etiam ſeipſum ſacrificari permitteret. ex hoc loco pater ad filium loquitur. inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis, dextera tua illa quæ in cruce clauos accepit, ipſa inueniat eos qui te oderunt, pone eos ut clybanum ignis. in tempore uultus tui. Tunc in ira tua conturbabis eos & deuorabit eos ignis. Iudicij enim dies

dum uenerit, fructus eorum qui increduli perſeuerant, à terra perient. Nam eos fructificat in reſurrectionis fructu, quos ſeminatos accepit in obitu. nã corpora noſtra ſeminari Apoſtolus probat, cum dicit. Seminatur in corruptione, ſurgit in incorruptionẽ. ſed hi qui declinant in Chriſto mala, ſicut tunc Iudæi, & contra eum peruerſitatis ſuæ cogitant conſilium, In die illa ponentur in dorſo, & in reliquijs ſuis præparat uultum illorum. Hoc eſt nõ in prima anaſtaſi reſurgunt cum ſanctis, ſed quod reſiduum fuit reſurrectioni primæ, in eo præparabit uultũ illorum. Tunc laudes domino Ieſu Chriſto offerentes in hymno, & iſta uerba cantabimus. ut dicamus ei: Exaltare domine in uirtute tua. Iam non in perſona ſerui latibulũ tuæ uirtutis obumbras, ſed exaltare in uirtute tua, & ſentiant te ultorem qui noſtrũ te credere dubitant ſaluatorem, tibi gloria in ſecula ſeculorum Amen.

In finem pſalmus Dauid pro ſuſceptione matutina. XXI.

DEus deus meus reſpice in me, quare me dereliquiſti, longe à ſalute mea uerba delictorum meorum. Deus meus clamabo per diem, & non exaudies, & nocte, & non ad inſipientiam mihi. Tu autem in ſancto habitas laus Iſrael. In te ſperauerunt patres noſtri, ſperauerunt & liberaſti eos. Ad te clamauerunt, & ſalui facti ſunt, in te ſperauerunt, & non ſunt confuſi. Ego autem ſum uermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis. Omnes uidentes me deriſerunt me, locuti ſunt labijs, & mouerunt caput. Sperauit in domino, eripiat eum, ſaluum faciat

eum,

*eum, quoniam uult eum. Quoniam tu es qui extraxi-
ſti me de uentre, ſpes mea ab uberibus matris meæ, in te
proiectus ſum ex utero. De uẽtre matris meæ deus me-
us es tu, ne diſceſſeris à me. Quoniam tribulatio proxi
ma eſt, quoniam non eſt qui adiuuet. Circundederunt
me uituli multi, tauri pingues obſederunt me. Aperue-
runt ſuper me os ſuum, ſicut leo rapiens & rugiens.
Sicut aqua effuſus ſum & diſperſa ſunt omnia oſſa mea.*

*Factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens in me-
dio uentris mei. Aruit tanquam teſta uirtus mea, & lin
gua mea adhæſit faucibus meis, & in puluerem mortis
deduxiſti me. Quoniam circundederunt me canes mul
ti, conſilium malignantium obſedit me. Foderunt ma-
nus meas et pedes meos, dinumerauerũt omnia oſſa mea.*

*Ipſi uero conſiderauerunt & inſpexerunt me, diuiſe-
runt ſibi ueſtimenta mea, & ſuper ueſtem meam miſerũt
ſortem. Tu aũt domine ne elongaueris auxilium tuum
à me, ad defenſionem meam conſpice. Erue à framea
deus animam meam, & de manu canis tunicam meam.
Salua me ex ore leonis, & à cornibus unicorniũ humili-
tatem meam. Narrabo nomen tuum fratribus meis, in
medio eccleſiæ laudabo te. Qui timetis dominũ lauda-
te eum, uniuerſum ſemẽ Iacob glorificate eum. Timeat
eum omne ſemen Iſrael, quoniã non ſpreuit, neq; deſpe
xit deprecationẽ pauperis. Nec auertit faciem ſuam à
me, et cum clamarẽ ad eum exaudiuit me. Apud te laus
mea in eccleſia magna, uota mea reddam in conſpectu ti
mentiũ eum. Edent pauperes & ſaturabuntur, & lau-
dabunt dominũ qui requirunt eum, uiuent corda eorũ in*

ſeculum ſeculi. Reminiſcentur, & conuertentur ad dominum, uniuerſæ fines terræ. Et adorabunt in conſpectu eius, uniuerſæ familiæ gentium. Quoniam domini eſt regnum, & ipſe dominabitur gentium. Manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terræ, in conſpectu eius cadent omnes qui deſcendunt in terram. Et anima mea illi uiuet, & ſemen meum ſeruiet ipſi. Annunciabitur domino generatio uentura, & annunciabunt cœli iuſtitiam eius, populo qui naſcetur quem fecit dominus.

COMMENTARIVM.

IN *paßione ſua poſitus* Dominus *explanauit pſalmi huius myſteria.* Nam *Hebraicis uerbis uerſiculũ primum iſtius pſalmi exprimens, cætera quæ ſequebantur expoſuit:* Nam *ibi legimus dicentes Phariſæos: Sperauit in domino, eripiat eum: ſaluum faciat eum, quoniã uult eum.* In *ipſa paßione circundederũt eum uituli multi, id eſt, populi Iudæorum. Tauri pingues obſederunt eum, id eſt, principes ſacerdotum. Aperuerũt ſuper eum os ſuum dicentes, blaſphemauit,* Dederũt *fremitum ſicut leo rapiens & rugiens.* Dãnabilis *ille Cayphas princeps ſacerdotum ita fremuit, ut & ueſtimenta ſua ſcinderet. Sicut aqua effuſa ſunt oſſa eius.* Bene *poſuit aquam, quia nihil nouit corpus Chriſti, niſi peccata lauare.* Factum *eſt cor meum ſicut cera liqueſcens in medio uentris mei. Cera dum ſoluta fuerit ab igne non perit, ut cæteræ ſpecies ab igne ſemel incenſæ in cinerem rediguntur, cera uero cum arſerit, ad hoc redit quod fuit. Sciens ergo ſe perire non poſſe: Sicut cera, inquit, liquefactum eſt in medio uentris mei.* Aruit *uelut teſta uirtus mea:* Non *dixit fra-*

ctum

ctum eſt uelut teſta, nam ſicut fractura eius irremediabi lis eſt, ita coctura laudabilis inuenitur. Et ideo quantò plus aruerit figuli opus tanto melior & ſolidior inuenia tur. Aruit ergo in igne tribulationis, uelut teſta, uirtus mea. Et lingua mea adhæſit faucibus meis. Tacens quaſi reus inclinato capite falſos teſtes in conſpectu iudicis nõ repellebã, qui in puluerem mortis deduxerunt me. Et cir cundederunt me quaſi canes multi, & ita in concilio ma lignitatis ſuæ obſederunt me, ut foderent manus meas & pedes, & dinumerauerunt omnia oſſa mea: Ipſi etiam conſiderarent & conſpicerent me, ac diuiderent ſibi ue ſtimenta mea, & ſuper ueſtimentum mitterent ſortem. Neſcio cum qua animi præſumptione, ò ſceleratiſſimi iu dæi, pſalterium in ueſtris canitis ſynagogis. Conſide rate miſeri hunc eſſe dominum quem negaſtis, & uel tarde timentes dominum: Laudate eum, uniuerſum ſe men Iacob magnificate eum. Timete eum uniuerſum ſe men Iſrael. Non enim ſpernit precem ueſtram, in tan tum, ut in cruce poſitus pro crucifigentibus oret, ut ſit laus eius in eccleſia magna, & uota ſua reddat coram ti mentibus eum. Dum edent corpus eius pauperes ſpiritu ut ſatientur & facti diuites, In fide laudent dominum, re quirentes eum, & uiuat cor eorum in æternum: Et per eos cõuertantur ad dominum uniuerſi fines terræ, ut ad orent in conſpectu eius, non ſola Iudæa, ſed omnes pa triæ gentium, quoniam domini eſt regnum, & ipſe do minabitur gentiũ. Ecce ſchola Chriſti in pauperibus di ſcipulis celebrata, nũc ſchola Phariſæorum exurgite & uidete manducantes, & manducãtes illi manducauerunt

& ſaturati ſunt, & laudauerunt dominum requirentes eum, Iſti autem manducauerunt,& adorauerunt omnes diuites terræ. Et ideo in conſpectu dei cadent omnes qui deſcendunt in terram.Deſcenſus enim terrenus hominibus famulatur, noſtra autem anima deo ſeruiat, & ipſi uiuat. Semen uero noſtrum ipſi ſeruiat in caſtificatione continentiæ,ut annunciemus domino generationem uenturam,id eſt,futuram ſanctorum gloriam cogitemus:Et annunciemus iuſtitiam dei fratribus ac filijs ætate,& omni populo qui naſcetur, quē fecit dominus deus noſter, qui regnat in ſecula ſeculorum Amen.

Pſalmus Dauid. XXII.

DOminus regit me,et nihil mihi decrit, in loco paſcuæ ibi me collocauit. Super aquā refectionis educauit me,animā meā cōuertit. Deduxit me ſuper ſemitas iuſtitiæ propter nomē ſuū. Nam & ſi ambulauero in medio umbræ mortis,non timebo mala,quoniam tu mecū es. Virga tua & baculus tuus,ipſa me conſolata ſunt. Paraſti in conſpectu meo menſam,aduerſus eos qui tribulant me. Impinguaſti in oleo caput meū,& calix meus inebrians quàm præclarus eſt. Et miſericordia tua ſubſequetur me, omnibus dieb. uitæ meæ. Et ut inhabitem in domo domini in longitudine dierum.

COMMENTARIVM.

QVi in XXI. pſalmo habuimus tribulationem paßionis,In uiceſimoſecundo pſalmo lætitiam reſurrectiōis accipiamus: ut quia ibi ſeminauimus lachrymas patientis domini,hic metamus gaudia reſurgentis. Dicant qui uolunt:Reget me ager meus,& nihil mihi

mihi deerit. Dicat alius: Reget me negociatio mea, aut *militia mea, aut induſtria mea, aut ars mea, aut literæ meæ, & nihil mihi deerit*. Nos dicamus cum eccleſia. Do*minus regit me, & nihil mihi deerit*. Vox ergo iſta con*temnentis eſt, ſi habeat: aut habere nolentis, ſi non ha*beat. Alioquin mẽtitur in carmine, qui aliud exoptat in *uoto. Si enim ſtudio agit, ut eum quæcunq; terrena ope*ra *regant, non ſa is integre dicit:* Dominus regit me. *Perfectorum ergo iſta uox eſt, quam eccleſia de domini paßione ſuſcepit.* In loco *paſcuæ collocata, ſuper aquã refectionis educata*. Vbi *enim abundat fons, ac largis profluit uenis, ibi uiriditas, ibi amœnitas, ibi refectio. Hæc autem mihi euenient, quia per paßionem ſuam ani mam meam conuertit:* Deduxit *me ſuper ſemitas iuſtitiæ, propter nomen ſuum*. Nam *& ſi ambulem in medio um bræ mortis, iam non timebo mala, quoniam tu mecum es, qui mortis imperium ſubiugaſti*. Quid *nunc habeat intra ſe eccleſia uideamus*. Habet *uirgãm unde minatur delinquenti*. Habet *baculum unde ſubueniat pœni tenti*. Habet *menſam unde det panem credenti*. Habet o*leum unde impinguet caput in libertatẽ conſcientiæ præ ſumenti*. Habet *calicem unde inebriet prædicantes ſermonem, ita ut cum ſit hora diei tertia, iam ille in prædicatione ſua ebrius æſtimetur*. Habet *miſericordiam dei, quæ ſubſequatur eum omnibus diebus uitæ ſuæ, et ut inhabitet in domo domini in longitudine dierum ſuorum, laudans dominum Ieſum Chriſtum, qui regnat in ſecula ſeculorum Amen.*

Pſalmus Dauid in prima ſabbati. XXIII.

Domini eſt terra & plenitudo eius orbis terrarũ, & uniuerſi qui habitãt in eo. Quia ipſe ſuper maria fundauit eũ, & ſuper flumina præparauit eum. Quis aſcendet in montẽ domini, aut quis ſtabit in loco ſancto eius. Innocens manibus & mundo corde, qui non accepit in uano animam ſuam, nec iurauit in dolo proximo ſuo. Hic accipiet benedictionem à domino, & miſericordiã à deo ſalutari ſuo. Hæc eſt generatio quærentiũ eum, quærentiũ faciẽ dei Iacob. Attollite portas principes ueſtras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. Quis eſt iſte rex gloriæ? dominus fortis et potẽs in prælio. Attollite portas principes ueſtras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. Quis eſt iſte rex gloriæ? dominus uirtutum, ipſe eſt rex gloriæ.

COMMENTARIVM.

Vicesimustertius pſalmus in introitu ſuo ſuper ipſum limen poſuit titulum de prima ſabbati. In qua die dixit dominus, Fiat lux: In qua panem angelorum manducauit homo: In qua ipſe dominus reſurrexit à mortuis. Quæ dies idcirco in titulo ponitur: quia in ipſa lucratus eſt terram, quam in principio fecerat orbem terræ, & omnes qui habitant in ea. Quomodo autem lucratus ſit, ſi requiris, reſpondet, per aquam & ſpiritum ſanctum: Ideo clauſa maria nominat ſinum aquarum omnium unum, quia ſicut omnia flumina unum hunc habent ſinum, ita omnia unum hunc habent

ſpiritum

ſpiritum ſanctum. In quo fiunt homines innocentes manibus & mundo corde. Et ſicut qui ibi ingreſſus non fuerit, in uanum accipit animam ſuam, ſi tamen non iurauerit in dolo proximo ſuo, quia per baptiſmatis donum proximus ei efficitur ſpiritus ſanctus. Per hunc promittit ſe renunciare diabolo, & omnibus pompis eius. Iurare ergo eſt ius conſtituere, quo renunciata abſtinentur, & promiſſa ſeruantur. Iſta non iurauit in dolum proximo ſuo, quomodo proximus factus eſt ſpiritui ſancto? quia is qui longe erat factus eſt prope, Et qui factus eſt prope, iurauit huic proximo, quando accepit benedictionem à domino, & miſericordiam à deo ſalutari ſuo. Et factus eſt filius dei in generatione quærentium dominum, & requirentium faciem dei Iacob. iam iſti dicitur: Tollite portas principis ueſtri. Abijcite exemplum Adæ, qui eſt princeps ueſter ſecundum carnem, & eleuamini portæ æternales, habentes regem gloriæ potentem & fortem & potentem in prælio, uincentem uicia, & nutritores eorū, ſpiritus nequam. Tollite ergo portas principis ueſtri, ſicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœleſtis. Quis eſt iſte rex gloriæ? Chriſtus filius dei ipſe eſt rex gloriæ. Excludens principem ignominiæ, qui deiectis ſimulachrorum templis, ueluti portis principis diaboli, eleuauit portas æternales ſanctæ eccleſiæ catholicæ, in qua regnat rex gloriæ. Si interrogas quis eſt iſte rex gloriæ? reſpondebit Apoſtolus, rex omnium ad ſalutem Chriſtus filius dei, qui regnat in ſecula ſeculorum Amen.

In finem pſalmus Dauid. XXIIII.

A D *te domine leuaui animam meam, deus meus in te confido non erubeſcam.* Neq; *irrideant me inimici mei, etenim uniuerſi qui ſuſtinent te non confundentur. Confundantur omnes iniqua agentes, ſuperuacue.* Vias *tuas domine demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me.* Dirige *me in ueritate tua, et doce me quia tu es deus ſaluator meus, & te ſuſtinui tota die.* Reminiſcere *miſerationum tuarum domine, & miſericordiarũ tuarũ quæ à ſeculo ſunt.* Delicta *iuuentutis meæ, & ignorantias meas, ne memineris.* Secundum *miſericordiam tuam memẽto mei tu, propter bonitatem tuam domine.* Dulcis *& rectus dominus, propter hoc legem dabit delinquentibus in uia.* Diriget *manſuetos in iudicio, docebit mites uias ſuas.* Vniuerſæ *uiæ domini miſericordia et ueritas, requirentibus teſtamentum eius & teſtimonia eius.* Propter *nomen tuum domine propitiaberis peccato meo, multum eſt enim.* Quis *eſt homo qui timet dominum, legem ſtatuit ei in uia quã elegit.* Anima *eius in bonis demorabitur, & ſemen ipſius hæreditabit terram.* Firmamentum *tutum eſt dominus timentibus eum, & teſtamentum ipſius ut manifeſtetur illis.* Oculi *mei ſemper ad dominũ, quoniam ipſe euellet de laqueo pedes meos.* Reſpice *in me & miſerere mei, quia unicus & pauper ſum ego.* Tribulationes *cordis mei multiplicatæ ſunt, de neceßitatibus meis erue me.* Vide *humilitatem meam & laborem meum, & dimitte uniuerſa delicta mea.* Reſpice *inimicos meos, quoniam multiplicati ſunt, & odio inіquo oderunt me.* Cuſtodi *animam meam & erue me, non*

erubeſcam,

erubeſcam, quoniam ſperaui in te. Innocentes *& recti adhæſerunt mihi, quia ſuſtinui te. Libera deus Iſrael, ex omnibus tribulationibus ſuis.*

COMMENTARIVM.

A*B omnibus terrenis lucris, ab omnibus quæ uidentur bona huius mundi, ſubducens animam meam, ad te eam domine leuaui, iam non confidens in nummo, in domo, in negocio, in militia, in facultatibus, ſed in te confidens peto, ut non erubeſcam dum de corpore exiero: quia ibi confuſio æterna eſt.* Non *ibi de me irrideant inimici mei, quia ij qui te ſolum contemptis omnibus expectant, non confundentur, ibi enim confundentur iniqui & facientes uana.* Et *quoniã te duce domine peruenitur ad uitam,* Vias *tuas quas tu ambulaſti notas fac mihi, ut per ipſas ambulem, & ſemitas tuas edoce me, ut in ipſis incedam.* Et *ut hoc ipſum faciam, tu me dirige in ueritate tua, & tu doce me, quia tu es deus ſaluator meus.* Non *enim ſuſtineo aliũ præter te tota die, id eſt, omni die.* Memor *eſto domine miſericordiarũ tuarum, quæ à ſeculo ſunt, et ſicut omnibus fuiſti miſericors, ita quoq; mihi, ut peccata iuuentutis meæ & ignorantias ne memineris, ſed ſecundum magnam miſericordiam tuam memor mei ſis, non propter merita mea per amaritudinem meam peream, ſed quia ipſe dulcis & rectus es, & uniuerſæ uiæ tuæ miſericordia & ueritas quærentibus teſtamentum tuum & teſtimonia tua, peto ut propitius ſis peccato meo, multum eſt enim.* Ideo *ego enim contempſi uiam meam, & elegi uiam tuam, & animam meã ad te leuaui, ut anima mea in bonis cõmoretur, & ſe*

men meum illam terram poſſideat, quam non comedit draco, quæ non eſt ſinus mortuorũ, quæ non generat ſpinas, ſed in qua eſt dominus firmamentum timentibus ſe, & teſtimonium ut manifeſtetur illis. Et quia hæc deſiderantibus laqueus ponitur ab inimico: Oculi mei ſemper ad dominum, quoniam ipſe euellet de laqueo pedes meos. Reſpice in me & miſerere mei, quoniam unicus & pauper ſum ego. *Omnis qui plus in gemitu & in oratione incũbit, unicus & pauper eſt, & tribulationes cordis eius multiplicantur, memor omnium quæ aguntur in ſeculo, clamat, ut de ſeculi neceſſitatibus liberetur.* Et *ideo uide, inquit, humilitatem meam, et laborem meum, & dimitte omnia peccata mea.* Reſpice, *inquit, inimicos meos, quia multiplicati ſunt, et odio iniquo oderunt me.* *Humilem deo dæmones perſequuntur, & odio iniquo inſiſtant.* Et ideo *cuſtodi, inquit, animam meam, & eripe me, ut non confundar, quoniam ſpero in te.* Innocentes & *recti adhæreant mihi, quoniam ſuſtineo te domine, quia liberas* Iſrael *ab omnibus anguſtijs ſuis.* Iam *qui innocentibus et rectis adhæret, et ſuſtinet dominũ,* Iſrael *efficitur, id eſt, uidens deũ, & ideo iam* Iſrael *factus, redimitur ab omnib. anguſtijs ſuis,* Per *dominũ noſtrũ* Ieſum *Chriſtum, qui regnat in ſecula ſeculorum* Amen.

Pſalmus Dauid. XXV.

IVdica me domine, quoniam ego in innocentia mea ingreſſus ſum, et in domino ſperans non infirmabor. Proba me domine, & tenta me, ure renes meos & cor meum. Quoniam miſericordia tua ante oculos meos eſt, & cõplacui in ueritate tua. Non ſedi cũ conſi-

conſilio uanitatis,& cum iniqua gerentibus non introibo. Odiui eccleſiam malignantium,& cum impijs non ſedebo. Lauabo inter innocentes manus meas,et circundabo altare tuũ domine. Vt audiã uocem laudis,& enarrem uniuerſa mirabilia tua. Domine dilexi decorẽ domus tuæ,et locũ habitationis gloriæ tuæ. Ne perdas cum impijs animam meam,& cum uiris ſanguinũ uitam meam. In quorum manibus iniquitates ſunt,dextera eorum repleta eſt muneribus. Ego aũt in innocẽtia mea ingreſſus ſum,redime me & miſerere mei. Pes enim meus ſtetit in directo,in eccleſijs benedicam te domine.

COMMENTARIVM.

IVdica me domine,non eſſem auſus dicere,niſi miſericordia tua ante oculos meos eſſet. Certus ergo quod iudicia tua adiuuent me, ideo auſus ſum dicere: Iudica me. Iſtæ duæ res dant fiduciam Chriſtiano, ut miſericordiam dei ante oculos habeat,& complaceat in ueritate catholicæ fidei,non ſedeat in concilio hæreticorum, ſed lauet inter catholicos manus ſuas, ut circundet altare domini: ubi audiat uocem laudis,& narret omnia mirabilia dei,& dicat domino: Cum exiero de corpore,noli perdere cum impijs animã meam,quia dilexi decorem domus tuæ,& odiui congregationes malignorũ,non pereat cum uiris ſanguinum uita mea,eorum qui in iudicio ſedentes acceperunt munera, ut peruerterent iudicium. Ego enim nullum in iudicio nocui, redime me & miſerere mei. Pes enim meus ſtetit in uia recta, in recta fide, in eccleſijs benedicam dominum,qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

In finem

In finē pſalm. Dauid priu'quā liniretur XXVI.

D*Ominus illuminatio mea, & ſalus mea quem timebo. Dominus protector uitæ meæ, à quo trepidabo. Cum appropiant ſuper me nocentes, ut edant carnes meas. Qui tribulant me inimici mei, ipſi infirmati ſunt et ceciderunt. Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum. Si exurgat aduerſum me prælium, in hoc ego ſperabo. Vnam petij à domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo domini, omnibus diebus uitæ meæ. Vt uideam uoluntatem domini, & uiſitem templum eius. Quoniam abſcondit me in tabernaculo ſuo, in die malorum protexit me, in abſcondito tabernaculi ſui. In petra exaltauit me, & nūc exaltauit caput meum ſuper inimicos meos. Circuiui et immolaui in tabernaculo eius hoſtiam uociferationis, cantabo & pſalmum dicam domino. Exaudi domine uocem meam qua clamaui ad te, miſerere mei, & exaudi me. Tibi dixit cor meum, exquiſiuit te facies mea, faciem tuā domine requiram. Ne auertas faciem tuam à me, ne declines in ira à ſeruo tuo. Adiutor meus eſto, ne derelinquas me, neq; deſpicias me deus ſalutaris meus. Quoniam pater meus & mater mea dereliquerūt me, dominus autem aſſumpſit me. Legem pone mihi domine in uia tua, & dirige me in ſemita recta propter inimicos meos. Ne tradideris me in animas tribulantium me, quoniam inſurrexerunt in me teſtes iniqui, & mentita eſt iniquitas ſibi. Credo uidere bona domini, in terra uiuentium. Expecta dominum, uiriliter age, & confortetur cor tuum, & ſuſtine dominum.*

COMMENTARIVM.

PSalmi titulus habet poſitum, prius quam liniretur, Solitum eſt homini in potentatu poſito, recordari quid egerit dũ pauper eſſet: Prius ergo quàm liniretur, recordatur iam unctus, & dicit quæ cogitatio eius fuerit, priuſquam liniretur hoc ordine: quaſi qui diceret, ſi priuſquam unctus eſſem, ſeptem fratres mei magni uiri ab unctione recuſati ſunt, & mei curã deus geſſit, ut paruum & puſillum eligeret & ungeret, nunc ipſo illuminante mihi, & fugante à me tenebras, ego quem timebo? illo defendente me, à quo trepidabo? etiã ſi proximent mihi à Saul miſſi, ut edant carnes meas, qui tribulant me, & inimici mei ipſi infirmati ſunt et ceciderunt. ſi etiam prælium exurgat aduerſum me: ego in illuminatione domini ſperabo. Vnum hoc eſt quod poſtulo dominum, & hoc requiro, ut uideam quid placeat domino, ſciam uoluntatem eius, & uideam protegi templum eius, ut qui ad eum confugerit, honoretur, & ab hoſtium manibus non poſſit inde eripi: tantam reuerentiam habeat eccleſia Dei, *ut etiam ab hoſtibus honoretur, ut abſcondi poſſim in tabernaculo eius in die malorum, & ſuper petram exaltetur, ut portæ inferni non præualeant ei, ut exaltetur caput eius ſuper inimicos eius, & circumeam & immolem in tabernaculo eius, hoſtiam iubilationis, & cantem in ea, & pſallam domino, & fundens in ea preces, ſecurus dicam domino: Miſerere mei & exaudi me. Si tamen* Dei *ſe amatorem oſtendens, inuiſibili inuiſibiliter clamet. Sicut Moyſes ore, inquit, tacebat ſed corde clamabat, unde ait Dominus ad eum:*

Quid,

Quid, inquit, clamas ad me? Sic & in iſto loco amatorē dei, non quærens ullam mundi ſpeciem, ſed ſolam Chriſti pulchritudinem concupiſcens, ea uerba quæ amatores ſolent eis, quos diligunt, dicere ſermonibus linguæ, ita iſte ſermonibus exclamat cordis, dicēs: Tibi dixit cor meum, *quæſiui uultum tuum, non auertas faciem tuam à me, ne declines in ira à ſeruo tuo:* Egi enim talia quibus *iuſte iratus à mea concupiſcentia auertaris, ſed quaſi miſericors adiutor meus es tu, ne derelinquas me, neque deſpicias me* Deus *ſalutaris meus.* Vide autem qualem amorem Deo *offerat. Legimus: Quia relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori. ita hic, quia adamauit dominum, Pater, inquit, meus & mater mea dereliquerunt me,* Dominus *autem aſſumpſit me, etiam quaſi tu, ô* Domine, *quem derelictum à parentibus aſſumpſiſti: Legem pone mihi in uia tua, oſtende quid uelis, quid nolis, quid diligas, quid odias.* Fieri enim poterit ut *obſequendi uoto offendam, ſi qualiter debeam ante non diſcam.* Et quia inimici mei nihil aliud ſtudent, niſi ut te *offenſo, illi ſuper me habeant poteſtatem,* Hoc rogo, *ut dirigas me in uia recta propter inimicos meos, ut nō tradas me in animas perſequentium me, quia inſurrexerunt in me teſtes iniqui. Oſtendunt mundi pulchritudinem, quæ cum ſit mortalis in guſtu, ſpecioſa eſt in aſpectu, & mentita facie decepit inſpectorem.* Ego autem *qui hæc contemno, credo quod uideam bona domini in terra, non mortalium, ſed uiuentium.* Ad hæc reſpondit *in antiphonia ſpiritus ſanctus: Si ergo credis uidere bona domini in terra uiuentium, expecta dominum, age uiriliter,*

uiliter, confortetur cor tuum, & ſuſtine dominum qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Pſalmus ipſi Dauid. XXVII.

AD te domine clamabo, deus meus ne ſileas à me, ne quando taceas à me, & aſsimilabor deſcendentibus in lacum. Exaudi domine uocẽ deprecationis meæ, dum oro ad te, dum extollo manus meas ad templum ſanctum tuum, Ne ſimul tradas me cum peccatoribus, & cum operantibus iniquitatem ne perdas me. Qui loquuntur pacem cum proximo ſuo, mala autem in cordibus eorum. Da illis ſecundum opera eorum, & ſecundum nequitiam adinuentionum ipſorum. Secundum opera manuum eorũ tribue illis, redde retributionem eorum ipſis. Quoniam non intellexerunt opera domini, & in opera manuum eorum deſtrues illos, & non ædificabis eos. Benedictus dominus, quoniam exaudiuit uocem deprecationis meæ. Dominus adiutor meus, & protector meus, et in ipſo ſperauit cor meũ, & adiutus ſum. Et refloruit caro mea, et ex uoluntate mea cõfitebor ei. Dominus fortitudo plebis ſuæ, & protector ſaluationũ Chriſti ſui eſt. Saluũ fac populum tuum domine, & benedic hæreditati tuæ, & rege eos, & extolle illos uſq; in æternum.

COMMENTARIVM.

IN dei filio perfectum deum, perfectum hominẽ confitemur, quem hominem interiorem ſuum alloqui in iſto pſalmo aduertimus, in quo clamat, ſiuml cũ peccatoribus ne tradatur qui peccatum non fecit. Et quia dolus in ore eius nunquam fuit, hoc orat, ut dum ſimilis

fuerit

fuerit deſcendentibus in lacum: hoc eſt, cum ſimilis fuerit ſepultis, non habeat partem cum his: qui loquuntur pacem in ore, & in corde fabricant mala, ſicut Iudas fecit, Da illis, inquit, ſecundum opera eorum, quia opera Domini non intellexerunt, & quem uidebant mortuos ſuſcitare, dicebant: Hic homo non eſt à deo. At Ieſus dicebat eis: Si uerbis non creditis, uel operibus credite. Illi autem non intellexerũt in opera domini, & ideo deſtruentur, nec ædificabuntur, quia dominus ſuſcitauit Ieſum à mortuis, & refloruit caro eius, & ex uolũtate ſua confeſſus eſt illi. Omnia enim quæ paſſus eſt, pro uoluntate ſua paſſus eſt, ſicut ipſe ait: Poteſtatem habeo ponendi animam meam, et iterum aſſumendi eam. Et ideo ait: Ex uoluntate mea confitebor illi. Ipſe eſt enim fortitudo plebis ſuæ, quia dicta factis impleuit. Dixit ſe paſſurum, & paſſus eſt: moriturum, & mortuus eſt: ſurrecturum, & à mortuis reſurrexit, excludens infirmitatem trepidationis, & dans fortitudinem promptiſſimæ uoluntatis. Quia protector ſalutarium Chriſti ſui eſt, quia ille ſine dubio qui eſt deus in Chriſto, mundum concilians ſibi, ſaluans populum ſuum, conferendo ſalutem animæ & corporis, & benedicens hæreditatem ſuam, gentes à ſubiectione dæmonum liberando, ut regat eos, & extollat eos uſq; in ſecula filius dei cum patre & ſpiritu ſancto, regnans per omnia ſecula ſeculorum Amen.

Pſalmus Dauid *in conſummatione tabernaculi.* XXVIII

AFferte domino filij dei, afferte domino filios arietum. Afferte domino gloriam & honorem,

afferte

afferte domino gloriam nomini eius, adorate dominum in atrio ſancto eius. Vox domini ſuper aquas, deus maieſtatis intonuit, dominus ſuper aquas multas. Vox domini in uirtute, uox domini in magnificentia. Vox domini confringentis cedros, & confringet Dominus cedros libani. Et comminuet eos tanquam uitulum libani, & dilectus quemadmodum filius unicornium. Vox domini intercidentis flammam ignis, uox domini concutientis deſertum, & cõmouebit dominus deſertum Cades. Vox domini præparantis ceruos, & reuelabit condenſa, & in templo eius omnes dicent gloriam. Dominus diluuium inhabitare facit, & ſedebit dominus rex in æternũ. Dominus uirtutem populo ſuo dabit, Dominus benedicet populo ſuo in pace.

COMMENTARIVM.

Titulus conſummationem tabernaculi memorat, Conſummatio tabernaculi, finis mundi eſt, in quo offerunt deo filij dei filios arietum. Filij arietum agni ſunt, qui ponuntur ad dexteram, ut gloriam & honorem, & gloriam nomini eius offerentes in operibus pijs quæ geſſerunt, adorent dominum, iam non in ædificijs manu factis, ſed in aula ſancta eius, id eſt, in Chriſto Ieſu, in quo habitat plenitudo diuinitatis. Vox domini ſuper aquas. Quãdo Ieſus baptizatus eſt, pater cœlis apertis & ſpiritu ſancto in ſpecie columbæ ueniente, uox domini ſuper aquas facta eſt dicens: Tu es filius meus. Deus maieſtatis intonuit, hoc eſt, dedit uocem ſuper aquas, id eſt, ſuper ſectas gentium, ut finiantur in uirtute & in magnificentia Chriſti Ieſu. Quicunque autem rebellis

extiterit, & elatus ſicut cedrus libani, confringetur & comminuetur ſicut cedrus libani. In libano ſacrificantes uſque hodie turpiſſimæ Veneri, uitulorum uirilia amputant, & in eius ſacrificio huiuſmodi incenſa ſupponunt, mercedem quam oportuit erroris ſui, deæ ſuæ exhibent meretrici. Ita ergo comminuuntur tanquam uitulus libani, qui caſtitatem Chriſti contempſerint, & ut dilectus ſicut filius unicornium erunt. Quibus uox placuerit intercidentis flammam ignis, id eſt, quibus uox placet baptiſmatis gratiam conferentis, quæ in concuſſione ſolitudinis cœpit: In deſerto enim Iordanis fluenta dei filius benedixit, & commouit deſertum oppidi breuiſſimi in confinio eremi conſtituti, quod appellatur Cades: Ibi uox Domini præparauit ceruos qui feſtinarent ad fontes aquarum, ubi reuelauit ea quæ erant condenſa, id eſt, occulta, ut his reuelatis, in templo Dei, quibus reuelata ſunt omnes dicant gloriam & confiteantur, quia Dominus in diluuio habitat, id eſt, in aqua quæ diluit crimina, & in eodem diluuio ſedebit rex in æternum, ibi uirtutem populo ſuo dabit, ſuo inquam, credenti ſibi, ibi benedicet plebem ſuam in pace, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Pſalmus cantici in dedicatione domus Dauid. XXIX.

E *Xaltabo te Domine, quoniam ſuſcepiſti me, nec delectaſti inimicos meos ſuper me. Domine deus meus clamaui ad te, & ſanaſti me. Domine eduxiſti ab inferno animam meam, ſaluaſti me à deſcendentibus in lacum. Pſallite domino ſancti eius, & confitemini*

fitemini memoriæ ſanctitatis eius. Quoniam ira in indignatione eius, & uita in uoluntate eius. Ad ueſperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Ego autem dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum.

Domine in uoluntate tua præſtitiſti decori meo uirtutem. Auertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus. Ad te domine clamabo, & ad deum meum deprecabor. Quæ utilitas in ſanguine meo, dum deſcendo in corruptionem. Nunquid confitebitur tibi puluis, aut annunciabit ueritatem tuam. Audiuit dominus, et miſertus eſt mei, dominus factus eſt adiutor meus. Conuertiſti planctum meum in gaudium mihi, conſcidiſti ſaccum meum, & circundediſti me lætitia. Et cantet tibi gloria mea & non compungar, domine deus meus in æternum confitebor tibi.

COMMENTARIVM.

IN uiceſimo nono titulo dedicatur domus Dauid. Illa utiq; domus ex ſemine Dauid ſecundum carnem, non manu facta, ſed angeli uerbo mandata & ab ſpiritu ſancto conſtructa. Ipſa domus eſt quæ dicit deo: Exaltabo te domine, quoniam ſuſcepiſti me, ſuſcepit enim formam ſerui, ut nō delectarentur inimici ſuper hominum genus. Chriſto enim Ieſu Nazareno extracto ab inferis, & ſaluato à deſcendentibus in lacum, pſallunt ei omnes Apoſtoli eius, & confitentur memoriæ ſanctitatis eius: quoniā ira fuit in indignatiōe eius, quādo maledictus eſt mūdus in morte Adæ, & nūc uita in uoluntate eius domino reſurgente. Ad ueſperum quidem demoratur fletus, in occaſum omnium credentium neceſſe eſt ut ſit fletus,

In finem pſalmus David. XXIIII.

A*D te domine leuaui animam meam, deus meus in te confido non erubeſcam.* Neq; *irrideant me inimici mei, etenim uniuerſi qui ſuſtinent te non confundentur.* Confundantur *omnes iniqua agentes, ſuperuacue.* Vias *tuas domine demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me.* Dirige *me in ueritate tua, et doce me quia tu es deus ſaluator meus, & te ſuſtinui tota die.* Reminiſcere *miſerationum tuarum domine, & miſericordiarũ tuarũ quæ à ſeculo ſunt.* Delicta *iuuentutis meæ, & ignorantias meas, ne memineris.* Secundum *miſericordiam tuam memẽto mei tu, propter bonitatem tuam domine.* Dulcis *& rectus dominus, propter hoc legem dabit delinquentibus in uia.* Diriget *manſuetos in iudicio, docebit mites uias ſuas.* Vniuerſæ *uiæ domini miſericordia et ueritas, requirentibus teſtamentum eius & teſtimonia eius.* Propter *nomen tuum domine propitiaberis peccato meo, multum eſt enim.* Quis *eſt homo qui timet dominum, legem ſtatuit ei in uia quã elegit.* Anima *eius in bonis demorabitur, & ſemen ipſius hæreditabit terram.* Firmamentum *tutum eſt dominus timentibus eum, & teſtamentum ipſius ut manifeſtetur illis.* Oculi *mei ſemper ad dominũ, quoniam ipſe euellet de laqueo pedes meos.* Reſpice *in me & miſerere mei, quia unicus & pauper ſum ego.* Tribulationes *cordis mei multiplicatæ ſunt, de neceßitatibus meis erue me.* Vide *humilitatem meam & laborem meum, & dimitte uniuerſa delicta mea.* Reſpice *inimicos meos, quoniam multiplicati ſunt, & odio iniquo oderunt me.* Cuſtodi *animam meam & erue me, non*

erubeſcam, quoniam ſperaui in te. Innocentes *& recti adhæſerunt mihi, quia ſuſtinui te.* Libera *deus Iſrael, ex omnibus tribulationibus ſuis.*

COMMENTARIVM.

A*B omnibus terrenis lucris, ab omnibus quæ uidentur bona huius mundi, ſubducens animam meam, ad te eam domine leuaui, iam non confidens in nummo, in domo, in negocio, in militia, in facultatibus, ſed in te confidens peto, ut non erubeſcam dum de corpore exiero: quia ibi confuſio æterna eſt.* Non *ibi de me irrideant inimici mei, quia ij qui te ſolum contemptis omnibus expectant, non confundentur, ibi enim confundentur iniqui & facientes uana.* Et *quoniã te duce domine peruenitur ad uitam,* Vias *tuas quas tu ambulaſti notas fac mihi, ut per ipſas ambulem, & ſemitas tuas edoce me, ut in ipſis incedam.* Et *ut hoc ipſum faciam, tu me dirige in ueritate tua, & tu doce me, quia tu es deus ſaluator meus.* Non *enim ſuſtineo aliũ præter te tota die, id eſt, omni die.* Memor *eſto domine miſericordiarũ tuarum, quæ à ſeculo ſunt, et ſicut omnibus fuiſti miſericors, ita quoq; mihi, ut peccata iuuentutis meæ & ignorantias ne memineris, ſed ſecundum magnam miſericordiam tuam memor mei ſis, non propter merita mea per amaritudinem meam peream, ſed quia ipſe dulcis & rectus es, & uniuerſæ uiæ tuæ miſericordia & ueritas quærentibus teſtamentum tuum & teſtimonia tua, peto ut propitius ſis peccato meo, multum eſt enim.* Ideo *ego enim contempſi uiam meam, & elegi uiam tuam, & animam meã ad te leuaui, ut anima mea in bonis cõmoretur, & ſe*

men meum illam terram poſſideat, quam non comedit draco, quæ non eſt ſinus mortuorũ, quæ non generat ſpinas, ſed in qua eſt dominus firmamentum timentibus ſe, & teſtimonium ut manifeſtetur illis. Et quia hæc deſiderantibus laqueus ponitur ab inimico: Oculi mei ſemper *ad dominum, quoniam ipſe euellet de laqueo pedes meos*. Reſpice *in me & miſerere mei, quoniam unicus & pauper ſum ego.* Omnis qui plus in gemitu & in oratione incũbit, unicus & pauper eſt, & tribulationes cordis eius multiplicantur, memor omnium quæ aguntur in ſeculo, clamat, ut de ſeculi neceßitatibus liberetur. Et *ideo uide, inquit, humilitatem meam, et laborem meum, & dimitte omnia peccata mea.* Reſpice, inquit, *inimicos meos, quia multiplicati ſunt, et odio iniquo oderunt me.* Humilem deo dæmones perſequuntur, & odio iniquo infeſtant. Et ideo *cuſtodi*, inquit, *animam meam, & eripe me, ut non confundar, quoniam ſpero in te.* Innocentes *& recti adhæreant mihi, quoniam ſuſtineo te domine, quia liberas* Iſrael *ab omnibus anguſtijs ſuis.* Iam qui innocentibus et rectis adhæret, et ſuſtinet dominũ, Iſrael efficitur, id eſt, uidens deũ, & ideo iam Iſrael factus, redimitur ab omnib. anguſtijs ſuis, Per dominũ noſtrũ Ieſum Chriſtum, qui regnat in ſecula ſeculorum Amen.

Pſalmus Dauid. XXV.

IVdica *me domine, quoniam ego in innocentia mea ingreſſus ſum, et in domino ſperans non infirmabor.* Proba *me domine, & tenta me, ure renes meos & cor meum.* Quoniam *miſericordia tua ante oculos meos eſt, & cõplacui in ueritate tua.* Non ſedi cũ conſi-

conſilio uanitatis,& cum iniqua gerentibus non introi-bo. Odiui eccleſiam malignantium,& cum impijs non ſedebo. Lauabo inter innocentes manus meas,et circun-dabo altare tuũ domine. Vt audiã uocem laudis,& enar rem uniuerſa mirabilia tua. Domine dilexi decorẽ do-mus tuæ,et locũ habitationis gloriæ tuæ. Ne perdas cum impijs animam meam,& cum uiris ſanguinũ uitam me-am. In quorum manibus iniquitates ſunt,dextera eorum repleta eſt muneribus. Ego aũt in innocẽtia mea ingreſ-ſus ſum,redime me & miſerere mei. Pes enim meus ſtetit in directo,in eccleſijs benedicam te domine.

COMMENTARIVM.

IVdica me domine,non eſſem auſus dicere,niſi miſeri cordia tua ante oculos meos eſſet. Certus ergo quod iudicia tua adiuuent me, ideo auſus ſum dicere: Iudi-ca me. Iſtæ duæ res dant fiduciam Chriſtiano, ut miſeri-cordiam dei ante oculos habeat,& complaceat in ueri-tate catholicæ fidei,non ſedeat in concilio hæreticorum, ſed lauet inter catholicos manus ſuas, ut circundet alta-re domini: ubi audiat uocem laudis,& narret omnia mi rabilia dei,& dicat domino: Cum exiero de corpore,no li perdere cum impijs animã meam,quia dilexi decorem domus tuæ,& odiui congregationes malignorũ,non pe reat cum uiris ſanguinum uita mea,eorum qui in iudicio ſedentes acceperunt munera, ut peruerterent iudicium. Ego enim nullum in iudicio nocui, redime me & miſere re mei. Pes enim meus ſtetit in uia recta, in recta fide, in eccleſijs benedicam dominum,qui regnat in ſecula ſecu-lorum, Amen.

In finem

In finē pſalm. Dauid priuſquā liniretur XXVI.

DOminus illuminatio mea, & ſalus mea quem timebo. Dominus protector uitæ meæ, à quo trepidabo. Cum appropiant ſuper me nocentes, ut edant carnes meas. Qui tribulant me inimici mei, ipſi infirmati ſunt et ceciderunt. Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum. Si exurgat aduerſum me prælium, in hoc ego ſperabo. Vnam petij à domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo domini, omnibus diebus uitæ meæ. Vt uideam uoluntatem domini, & uiſitem templum eius. Quoniam abſcondit me in tabernaculo ſuo, in die malorum protexit me, in abſcondito tabernaculi ſui. In petra exaltauit me, & nūc exaltauit caput meum ſuper inimicos meos. Circuiui et immolaui in tabernaculo eius hoſtiam uociferationis, cantabo & pſalmum dicam domino. Exaudi domine uocem meam qua clamaui ad te, miſerere mei, & exaudi me. Tibi dixit cor meum, exquiſiuit te facies mea, faciem tuā domine requiram. Ne auertas faciem tuam à me, ne declines in ira à ſeruo tuo. Adiutor meus eſto, ne derelinquas me, neq; deſpicias me deus ſalutaris meus. Quoniam pater meus & mater mea dereliquerūt me, dominus autem aſſumpſit me. Legem pone mihi domine in uia tua, & dirige me in ſemita recta propter inimicos meos. Ne tradideris me in animas tribulantium me, quoniam inſurrexerunt in me teſtes iniqui, & mentita eſt iniquitas ſibi. Credo uidere bona domini, in terra uiuentium. Expecta dominum, uiriliter age, & confortetur cor tuum, & ſuſtine dominum.

COMMENTARIVM.

PSalmi titulus habet poſitum, prius quam liniretur, Solitum eſt homini in potentatu poſito, recordari quid egerit dũ pauper eſſet: Prius ergo quàm liniretur, recordatur iam unctus, & dicit quæ cogitatio eius fuerit, priuſquam liniretur hoc ordine: quaſi qui diceret, ſi priuſquam unctus eſſem, ſeptem fratres mei magni uiri ab unctione recuſati ſunt, & mei curã deus geſſit, ut paruum & puſillum eligeret & ungeret, nunc ipſo illuminante mihi, & fugante à me tenebras, ego quem timebo? illo defendente me, à quo trepidabo? etiã ſi proximent mihi à Saul miſſi, ut edant carnes meas, qui tribulant me, & inimici mei ipſi infirmati ſunt et ceciderunt. ſi etiam prælium exurgat aduerſum me: ego in illuminatione domini ſperabo. Vnum hoc eſt quod poſtulo dominum, & hoc requiro, ut uideam quid placeat domino, ſciam uoluntatem eius, & uideam protegi templum eius, ut qui ad eum confugerit, honoretur, & ab hoſtium manibus non poſſit inde eripi: tantam reuerentiam habeat eccleſia Dei, ut etiam ab hoſtibus honoretur, ut abſcondi poſſim in tabernaculo eius in die malorum, & ſuper petram exaltetur, ut portæ inferni non præualeant ei, ut exaltetur caput eius ſuper inimicos eius, & circumeam & immolem in tabernaculo eius, hoſtiam iubilationis, & cantem in ea, & pſallam domino, & fundens in ea preces, ſecurus dicam domino: Miſerere mei & exaudi me. Si tamen Dei ſe amatorem oſtendens, inuiſibili inuiſibiliter clamet. Sicut Moyſes ore, inquit, tacebat ſed corde clamabat; unde ait Dominus ad eum:

Quid,

Quid, inquit, clamas ad me? Sic & in iſto loco amator dei, non quærens ullam mundi ſpeciem, ſed ſolam Chriſti pulchritudinem concupiſcens, ea uerba quæ amatores ſolent eis, quos diligunt, dicere ſermonibus linguæ, ita iſte ſermonibus exclamat cordis, dicẽs: Tibi dixit cor meum, *quæſiui uultum tuum, non auertas faciem tuam à me, ne declines in ira à ſeruo tuo:* Egi enim talia quibus *iuſte iratus à mea concupiſcentia auertaris, ſed quaſi miſericors adiutor meus es tu, ne derelinquas me, neque deſpicias me* Deus *ſalutaris meus.* Vide autem qualem *amorem* Deo *offerat.* Legimus: *Quia relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori. ita hic, quia adamauit dominum,* Pater, *inquit, meus & mater mea dereliquerunt me,* Dominus *autem aſſumpſit me, etiam quaſi tu, ò* Domine, *quem derelictum à parentibus aſſumpſiſti:* Legem pone mihi in uia tua, *oſtende quid uelis, quid nolis, quid diligas, quid odias.* Fieri *enim poterit ut obſequendi uoto offendam, ſi qualiter debeam ante non diſcam.* Et *quia inimici mei nihil aliud ſtudent, niſi ut te offenſo, illi ſuper me habeant poteſtatem,* Hoc *rogo, ut dirigas me in uia recta propter inimicos meos, ut nõ tradas me in animas perſequentium me, quia inſurrexerunt in me teſtes iniqui. Oſtendunt mundi pulchritudinem, quæ cum ſit mortalis in guſtu, ſpecioſa eſt in aſpectu, & mentita facie decepit inſpectorem.* Ego *autem qui hæc contemno, credo quod uideam bona domini in terra, non mortalium, ſed uiuentium.* Ad *hæc reſpondit in antiphonia ſpiritus ſanctus:* Si *ergo credis uidere bona domini in terra uiuentium, expecta dominum, age uiriliter,*

rīliter, confortetur cor tuum, & ſuſtine dominum qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Pſalmus ipſi Dauid. XXVII.

AD te domine clamabo, deus meus ne ſileas à me, ne quando taceas à me, & aſsimilabor deſcendentibus in lacum. Exaudi domine uocē deprecationis meæ, dum oro ad te, dum extollo manus meas ad templum ſanctum tuum, Ne ſimul tradas me cum peccatoribus, & cum operantibus iniquitatem ne perdas me. Qui loquuntur pacem cum proximo ſuo, mala autem in cordibus eorum. Da illis ſecundum opera eorum, & ſecundum nequitiam adinuentionum ipſorum. Secundum opera manuum eorū tribue illis, redde retributionem eorum ipſis. Quoniam non intellexerunt opera domini, & in opera manuum eorum deſtrues illos, & non ædificabis eos. Benedictus dominus, quoniam exaudiuit uocem deprecationis meæ. Dominus adiutor meus, & protector meus, et in ipſo ſperauit cor meū, & adiutus ſum. Et refloruit caro mea, et ex uoluntate mea cōfitebor ei. Dominus fortitudo plebis ſuæ, & protector ſaluationū Chriſti ſui eſt. Saluū fac populum tuum domine, & benedic hæreditati tuæ, & rege eos, & extolle illos uſq; in æternum.

COMMENTARIVM.

IN dei filio perfectum deum, perfectum hominē confitemur, quem hominem interiorem ſuum alloqui in iſto pſalmo aduertimus, in quo clamat, ſiuml cū peccatoribus ne tradatur qui peccatum non fecit. Et quia dolus in ore eius nunquam fuit, hoc orat, ut dum ſimilis fuerit

fuerit deſcendentibus in lacum: hoc eſt, cum ſimilis fue-rit ſepultis, non habeat partem cum his: qui loquuntur pacem in ore, & in corde fabricant mala, ſicut Iudas fe-cit, Da illis, inquit, ſecundum opera eorum, quia opera Domini non intellexerunt, & quem uidebant mortuos ſuſcitare, dicebant: Hic homo non eſt à deo. At Ieſus dice bat eis: Si uerbis non creditis, uel operibus credite. Illi autem non intellexerũt in opera domini, & ideo deſtru entur, nec ædificabuntur, quia dominus ſuſcitauit Ieſum à mortuis, & refloruit caro eius, & ex uolũtate ſua con feſſus eſt illi. Omnia enim quæ paſſus eſt, pro uoluntate ſua paſſus eſt, ſicut ipſe ait: Poteſtatem habeo ponendi animam meam, et iterum aſſumendi eam. Et ideo ait: Ex uoluntate mea confitebor illi. Ipſe eſt enim fortitudo ple bis ſuæ, quia dicta factis impleuit. Dixit ſe paſſurum, & paſſus eſt: moriturum, & mortuus eſt: ſurrecturum, & à mortuis reſurrexit, excludens infirmitatem trepida-tionis, & dans fortitudinem promptiſſimæ uoluntatis. Quia protector ſalutarium Chriſti ſui eſt, quia ille ſine dubio qui eſt deus in Chriſto, mundum concilians ſibi, ſaluans populum ſuum, conferendo ſalutem animæ & corporis, & benedicens hæreditatem ſuam, gentes à ſub iectione dæmonum liberando, ut regat eos, & extollat eos uſq; in ſecula filius dei cum patre & ſpiritu ſancto, regnans per omnia ſecula ſeculorum Amen.

Pſalmus Dauid in conſummatione taber naculi. XXVIII

Afferte domino filij dei, afferte domino filios a-rietum. Afferte domino gloriam & honorem, afferte

afferte domino gloriam nomini eius, adorate dominum in atrio ſancto eius. Vox domini ſuper aquas, deus maieſtatis intonuit, dominus ſuper aquas multas. Vox domini in uirtute, uox domini in magnificentia. Vox domini confringentis cedros, & confringet Dominus cedros libani. Et comminuet eos tanquam uitulum libani, & dilectus quemadmodum filius unicornium. Vox domini intercidentis flammam ignis, uox domini concutientis deſertum, & cõmouebit dominus deſertum Cades. Vox domini præparantis ceruos, & reuelabit condenſá, & in templo eius omnes dicent gloriam. Dominus diluuium inhabitare facit, & ſedebit dominus rex in æternũ. Dominus uirtutem populo ſuo dabit, Dominus benedicet populo ſuo in pace.

COMMENTARIVM.

Titulus conſummationem tabernaculi memorat, Conſummatio tabernaculi, finis mundi eſt, in quo offerunt deo filij dei filios arietum. Filij arietum agni ſunt, qui ponuntur ad dexteram, ut gloriam & honorem, & gloriam nomini eius offerentes in operibus pijs quæ geſſerunt, adorent dominum, iam non in ædificijs manu factis, ſed in aula ſancta eius, id eſt, in Chriſto Ieſu, in quo habitat plenitudo diuinitatis. Vox domini ſuper aquas. Quãdo Ieſus baptizatus eſt, pater cœlis apertis & ſpiritu ſancto in ſpecie columbæ ueniente, uox domini ſuper aquas facta eſt dicens: Tu es filius meus. Deus maieſtatis intonuit, hoc eſt, dedit uocem ſuper aquás, id eſt, ſuper ſectás gentium, ut finiantur in uirtute & in magnificentia Chriſti Ieſu. Quicunque autem rebellis

extiterit, & elatus ſicut cedrus libani, confringetur & comminuetur ſicut cedrus libani. In libano ſacrificantes uſque hodie turpiſſimæ Veneri, *uitulorum uirilia amputant, & in eius ſacrificio huiuſmodi incenſa ſupponunt, mercedem quam oportuit erroris ſui, deæ ſuæ exhibent meretrici. Ita ergo comminuuntur tanquam uitulus libani, qui caſtitatem Chriſti contempſerint, & ut dilectus ſicut filius unicornium erunt. Quibus uox placuerit intercidentis flammam ignis, id eſt, quibus uox placet baptiſmatis gratiam conferentis, quæ in concuſſione ſolitudinis cœpit: In deſerto enim Iordanis fluenta dei filius benedixit, & commouit deſertum oppidi breuiſſimi in confinio eremi conſtituti, quod appellatur Cades: Ibi uox* Domini *præparauit ceruos qui feſtinarent ad fontes aquarum, ubi reuelauit ea quæ erant condenſa, id eſt, occulta, ut his reuelatis, in templo* Dei, *quibus reuelata ſunt omnes dicant gloriam & confiteantur, quia* Dominus *in diluuio habitat, id eſt, in aqua quæ diluit crimina, & in eodem diluuio ſedebit rex in æternum, ibi uirtutem populo ſuo dabit, ſuo inquam, credenti ſibi, ibi benedicet plebem ſuam in pace, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.*

Pſalmus cantici in dedicatione domus Dauid. XXIX.

EXaltabo te Domine, *quoniam ſuſcepiſti me, nec delectaſti inimicos meos ſuper me.* Domine de*us meus clamaui ad te, & ſanaſti me.* Domine *eduxiſti ab inferno animam meam, ſaluaſti me à deſcendentibus in lacum.* Pſallite *domino ſancti eius, & confitemini*

ſitemini memoriæ ſanctitatis eius. Quoniam ira in indignatione eius, & uita in uoluntate eius. Ad ueſperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Ego autem dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum.

Domine in uoluntate tua præſtitiſti decori meo uirtutem. Auertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus. Ad te domine clamabo, & ad deum meum deprecabor. Quæ utilitas in ſanguine meo, dum deſcendo in corruptionem. Nunquid confitebitur tibi puluis, aut annunciabit ueritatem tuam. Audiuit dominus, et miſertus eſt mei, dominus factus eſt adiutor meus. Conuertiſti planctum meum in gaudium mihi, conſcidiſti ſaccum meum, & circundediſti me lætitia. Et cantet tibi gloria mea & non compungar, domine deus meus in æternum confitebor tibi.

COMMENTARIVM.

IN uiceſimo nono titulo dedicatur domus Dauid. Illa utiq; domus ex ſemine Dauid ſecundum carnem, non manu facta, ſed angeli uerbo mandata & ab ſpiritu ſancto conſtructa. Ipſa domus eſt quæ dicit deo: Exaltabo te domine, quoniam ſuſcepiſti me, ſuſcepit enim formam ſerui, ut nõ delectarentur inimici ſuper hominum genus. Chriſto enim Ieſu Nazareno extracto ab inferis, & ſaluato à deſcendentibus in lacum, pſallunt ei omnes Apoſtoli eius, & confitentur memoriæ ſanctitatis eius: quoniã ira fuit in indignatiõe eius, quãdo maledictus eſt mũdus in morte Adæ, & nũc uita in uoluntate eius domino reſurgente. Ad ueſperum quidem demoratur fletus, in occaſum omnium credentium neceſſe eſt ut ſit fletus,

pro eo quod deſolabimur ab his,qui nos præcedunt, ſed habebimus cum his in matutino læticiam. In prima a=naſtaſi mox ut tenebræ huius mundi finitæ fuerint, & matutinum tempus reſurrectionis aduenerit, hic decus fidei noſtræ conſiſtit, ſed in uoluntate ſua Dominus præſtat decori noſtro uirtutem. Nam ſi auerterit faciem ſu=am, quantumuis amemus dominum, non eum plus à Pe=tro amauimus, & ſi ei dicamus cum Petro, Si oportue=rit me mori tecum, non te negabo, poterit nobis negan=di eum euenire perfidia, ſi auerterit ſe à nobis. Denique, inquit, conuertit ſe Ieſus & reſpexit Petrum negantem, ſed & recordatus eſt quod ei hoc ipſum prædixerat. Et egreſſus foras fleuit amariſſime. Cum ergo auerteret ſe Dominus in præſumentem & dicentem, Non mouebor in æternum, negauit eum: cum reſpexit negantem, fle=uit, & lauerunt lachrymæ pœnitentis, quod noxa in=currebat præſumentis: Non enim confitetur Dominum puluis, ſi præſumpſerit, nec annunciat ueritatem eius, ſi ſe iactauerit: Si autem poſt peccatum pœnituerit, & pœnitudinem ſuam lachrymis amoris oſtenderit, dicere poterit cum Petro: Audiuit Dominus, & miſertus eſt mi=hi, dominus factus eſt adiutor meus, quia conuertit planctum eius in gaudium, ut quod tertio negauerat, ter=tio fateretur, ſi tamen gloria credentis in Deo non in hominibus extollatur, tunc ſecurus dicit: Domine Deus me=us in æternum confitebor tibi, qui regnas in ſecula ſeculorum, Amen.

In finem

In finem pſalmus Dauid pro extaſi.
XXX.

IN te domine ſperaui, non confundar in æternum, in iuſticia tua libera me, inclina ad me aurem tuam, accelera ut eruas me. Eſto mihi in deum protectorē, & in domum refugij, ut ſaluum me facias. Quoniam fortitudo mea & refugium meum es tu, & propter nomen tuum deduces me, & enutries me. Educes me de laqueo quem abſconderunt mihi, quoniam tu es protector meus. In manus tuas commendo ſpiritum meum, redemiſti me domine deus ueritatis. Odiſti obſeruantes uanitates ſuperuacue. Ego autem in domino ſperaui, exultabo & lætabor in miſericordia tua. Quoniam respexiſti humilitatem meam, ſaluaſti de neceßitatibus animā meam. Nec concluſiſti me in manibus inimici, ſtatuiſti in loco ſpacioſo pedes meos. Miſerere mei domine, quoniam tribulor, cōturbatus eſt in ira oculus meus, anima mea, & uenter meus. Quoniam defecit in dolore uita mea, & anni mei in gemitibus. Infirmata eſt in paupertate uirtus mea, & oſſa mea conturbata ſunt. Super omnes inimicos meos factus ſum opprobriū uicinis meis ualde, & timor notis meis. Qui uiderunt me, foras fugerunt à me, obliuioni datus ſum tāquam mortuus à corde. Factus ſum tanquam uas perditum, quoniam audiui uituperationem multorum cōmorantium in circuitu. In eo, dum cōuenirent ſimul aduerſum me accipere animam meam, conciliati ſunt. Ego autem in te ſperaui domine, dixi deus meus es tu, in manib. tuis ſortes meæ. Eripe me de manibus inimicorum meorum, & à perſequen-

tibus me. Illuſtra faciem tuam ſuper ſeruum tuum, ſaluum me fac in miſericordia tua domine, non confundar quoniam inuocaui te. Erubeſcant impij & deducantur in infernum, muta fiant labia doloſa. Quæ loquuntur aduerſus iuſtum iniquitatem, in ſuperbia & in abuſione. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ domine, quam abſcondiſti timentibus te. Perfeciſti eis qui ſperant in te, in conſpectu filiorum hominum. Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ, à conturbatione hominum. Proteges eos in tabernaculo tuo, à contradictione linguarum. Benedictus dominus, quoniam mirificauit miſericordiam ſuam mihi in ciuitate munita. Ego autem dixi in exceſſu mentis meæ, proiectus ſum à facie oculorum tuorum. Ideo exaudiſti uocem orationis meæ, dum clamarem ad te. Diligite dominum omnes ſancti eius, quoniam ueritatem requiret dominus, & retribuet abundanter facientibus ſuperbiam. Viriliter agite & cōfortetur cor ueſtrū, oēs qui ſperatis in domino.

COMMENTARIVM.

T*Riceſimus pſalmus ſpem, quæ in deo eſt, aſſerit hominem ab æterna confuſione liberare. Deus enim pro iuſtitia ſua ſperantes in ſe liberat & eripit. Et inclinat eis aurem ſuam, et accelerat ut eripiat, ut ſit eis deus protector, quaſi domus refugij, ut ſalui fiant, ut eripiat eos de laqueo quem occultant eis dæmonia, Si tamen ſemper dicat* Domino: *In manus tuas* Domine *commendo ſpiritum meum, id eſt, interiorem hominem meum in tuas manus commendo,* Non *enim facio obſeruare uanitatem ſeculi huius, non eum facio lætari in re-*

bus

bus mundi,ſed in tua miſericordia, qui ſaluam feciſti de neceßitatibus animam meam. Quando reſpexiſti humili tatem meam,& non concluſiſti me in manus inimici,ſed tollens me ab anguſto, ubi anguſtiabar, ſtatuiſti in loco ſpacioſo pedes meos. Vt autem deum tibi facias miſeran tem,te exhibe tribulantem. non enim petit miſericordi= am, niſi tribulans, cuius fletu conturbatur aſpectus, & anima eius & uenter eius caſtigatus ieiunijs memor eſſe debet, Quoniam quamuis diu uiuat homo,uita eius defi cit in doloribus,& quantauis annoſitate floreat,defici= unt anni eius in gemitibus, & quantumuis uirium habe at,pauperefcunt uires eius,et quantumuis ſoliditate cor porali confidat, dicturus eſt, oſſa mea conturbata ſunt. Hoc ſanè cauēdum eſt, ne ſuper omnes inimicos ſuos effi ciatur opprobrium. Hic locus ſi iuſto euenit, martyrem fecit,ſi iniuſto, æternam mortē indixit. Iniuſte enim odio habitus eſt omnis ſanctus, & ipſe etiam dominus. Tunc enim exclamat ſpiritus ſanctus. Sicut in Chriſto prædi= ctum eſt, ut muta fiant labia iniqua, quæ loquuntur ad= uerſus iuſtum iniquitatem in ſuperbia & contemptu: & quamuis amaritudines patiuntur iuſti in hoc ſeculo, ſed magna multitudo dulcedinis eos expectat,ſi perſeue rauerint,in futuro,quam interim abſcondit dominus ti= mentibus ſe. Non uult eam in hoc ſeculo manifeſtare, ut perficiat eam ſperantibus in ſe coram filijs hominū, qui eos irriſerint. Et nunc quidē abſcondit eos in abdito uul tus ſui, ut ſicut ipſius uultus ita erat in abdito, ut putare tur homo tantum,ita et iſti cum ſint magni & ſancti,ab ſcondit eos in abdito uultus ſui à cōturbatione hominū,

ne dum manifeſtatum fuerit eos eſſe ſanctos & amicos dei, conturbetur ab hominũ adulatione propoſitum eorum. Sed tunc mirificat miſericordiam ſuam in eis, cum apparuerit ciuitas circunſtantium, quam circunſtant angeli, ciuitas mater ſanctorum Hieruſalem. *Quid tum ibi dicturus eſt iuſtus? dum uiderem me in ſeculo pro ſtercore æſtimari ab omnibus, dixi in corde meo.* Proiectus *ſum à uultu oculorum tuorum.* Tu autem *exaudiſti uocem qua clamaui ad te.* Nolite *ergo terrorem pati ſancti domini, ſi uos ſuperbia hominum opprimit.* Erit *enim iudicium, in quo requiret ueritatem dominus, & retribuet his, qui abundanter faciunt ſuperbiam,* Viriliter *nunc agite, nolite deficere, ſed confortetur cor ueſtrum, & eſtote ſecuri omnes, qui ſperatis in domino, qui uiuit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.*

Intellectus Dauid. XXXI.

B*Eati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.* Beatus *uir cui non imputauit dominus peccatum, nec eſt in ſpiritu eius dolus.* Quoniam *tacui inueterauerunt oſſa mea, dum clamarẽ tota die.* Quoniã *die ac nocte grauata eſt ſuper me manus tua, cõuerſus ſum in erũna mea, dum configitur ſpina.* Delictum *meum cognitum tibi feci, & iniuſtitiã meã non abſcondi.* Dixi *confitebor aduerſum me iniuſticiã meam domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei.* Pro *hac orabit ad te omnis ſanctus in tempore oportuno.* Veruntamen *in diluuio aquarũ multarum ad eum non approximabunt.* Tu *es refugiũ meum à tribulatione quæ circũdedit me: exultatio mea erue*

me

me à circundantibus me. Intellectum tibi dabo,& inſtruam te in uia hac qua gradieris,firmabo ſuper te oculos meos. Nolite fieri ſicut equus & mulus,quibus non eſt intellectus. In camo & freno maxillas eorum conſtringe,qui non approximant ad te. Multa flagella peccatoris, ſperantem autem in domino miſericordia circũdabit. Lætamini in domino,& exultate iuſti,& gloriamini omnes recti corde.

COMMENTARIVM.

TRiceſimus primus pſalmus præſens, titulum ſuũ in intellectum poſuit,ut det intellectũ & inſtruat credentem in uia qua ingreditur,& firmet ſuper eum oculos,ne efficiatur ſicut equus & mulus,in quibus non eſt intellectus, Ad caput tamen pſalmi attendamus, in quo illi beati aſſeruntur,quorum remittuntur iniquitates, & quorum teguntur peccata. Niſi enim quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto,hoc ei euenire nõ poterit. Quis autem eſt iſte qui remittit peccata? Ille ſine dubio,de quo dicitur: Quia non eſt in ore eius dolus. Mundus itaq; totus in ſente poſitus,& in uulnere conſtitutus, quia grauata erat ſuper eũ manus dei,& cõuerſus in erũna fuerat,pro eo quod fracta eſſet eius ſpina,quæ libertatem ceruicis & capitis eius ſublimabat: clamauit ſemper per uoces prophetarũ, ut ueniret qui ſaluaret eum. At ubi uenit dominus,tacuit dum clamarem. Veniente enim domino, lex & prophetæ,qui clamabant,tacuerũt, & pronunciante una quoq; contra eum ſententiam pro peccato ſuo,ille remittit impietatem cordis eius,pro qua orat omnis ſanctus in tempore oportuno. Oportunum

tempus interueniendi pro ſeruo eſt: quando ſeruus emen datur. Nos *ergo damus tempus oportunum ſanctis oran di pro peccatis noſtris, quando à peccato recedimus.* Nam *quod dicit:* In *diluuio aquarum multarum ad eum non approximabunt:* O*ſtendit per unam aquam baptiſmatis deo homines proximare, quæ eſt refugium à preſſura dæmonum, quæ circundat nos.* Et *intellectum dat nobis, & ita nos inſtruet in uia qua ingrediemur, ut firmet ſuper nos oculos ſuos, ne efficiamur ſicut equus & mulus.* Q*ui enim noluerint proximi effici: freno tribulationis, & camo ſententiali maxillæ eorum aſtringentur, qui non proximant ei.* Multa *ſunt enim flagella peccatorum, ſed qui ſperant in domino miſericordia eos domini circundabit.* Vos *autem qui non camo & freno, ſed iudicio bonæ uoluntatis uenitis ad dominum,* Lætami*ni in domino, & exultate iuſti, & gloriamini omnes recti corde in* C*hriſto* I*eſu domino noſtro, qui regnat in ſecula ſeculorum* Amen.

In *finem pſalmus* D*auid.* XXXII.

E*Xultate iuſti in domino, rectos decet collaudatio.* Co*nfitemini domino in cythara, in pſalterio decem chordarum pſallite illi.* C*antate ei canticum nouum, bene pſallite ei in uociferatione.* Q*uia rectum eſt uerbum domini, & omnia opera eius in fide.* Diligit *miſericordiam & iudicium, miſericordia domini plena eſt terra.* Verbo *domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis uirtus eorum.* Co*ngregans ſicut in utre aquas maris, ponens in thezauris abyſſos.* T*imeat dominum omnis terra, ab eo autem*

commoueantur

commoueantur omnes inhabitantes orbem. Quoniam ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt. Dominus diſsipat conſilia gentium: reprobat autem cogitationes populorum & reprobat conſilia principum. Conſilium autem domini in æternum manet, cogitationes cordis eius in generatione & generationem. Beata gens cuius eſt dominus deus eius, populus quem elegit in hæreditatem ſibi. De cœlo reſpexit dominus, uidit omnes filios hominum. De præparato habitaculo ſuo reſpexit ſuper omnes qui habitant terram. Qui finxit ſingillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum. Non ſaluatur rex per multam uirtutem, et gigas non ſaluabitur in multitudine uirtutis ſuæ. Fallax equus ad ſalutem, in abundantia autem uirtutis ſuæ non ſaluabitur. Ecce oculi domini ſuper metuentes eum, & in eis qui ſperant ſuper miſericordia eius. Vt eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame. Anima noſtra ſuſtinet dominum, quoniam adiutor & protector noſter eſt. Quia in eo lætabitur cor noſtrum, & in nomine ſancto eius ſperabimus. Fiat miſericordia tua domine ſuper nos, quemadmodum ſperauimus in te.

COMMENTARIVM.

SI in iſto mundo ab initio ſeculi, iuſti dei afflictiones & tribulationes paſsi ſunt quomodo dicitur, gaudete iuſti? ò an uacat ei gaudere qui cæditur, quiq; diuerſo genere tormentorum afficitur. Si iſta quis loquatur, ſecũ conſideret Apoſtolũ non ſolũ gaudere in his, uerumetiã placere ſibi in perſecutionibus. Vnde et Iacobus Apoſtolus:

Apoſtolus: Omne, inquit, gaudiũ exiſtimate fratres, cum in tentationibus uarijs incideritis. Ipſe autem magiſter Apoſtolorũ docet qualiter gaudeamus: Cum uos, inquit, perſecuti fuerint homines, & dixerint omne malum aduerſum uos mentientes, gaudete & exultate, quia merces ueſtra magna eſt in cœlis. Si recti eſtis fide, nolite laudes hominum quærere in terris, quia angelorum habebitis in cœlis. Ibi uos decet collaudatio, ubi laus ueſtra finem penitus non habebit. Nunc in cithara confitemini domino, & ipſa cithara decem chordas habeat, decalogi uirtutes recolens, cuſtodiam præceptorum imponat. Prima chorda ſonat rectum ſermonem domini orthodoxum, & omnia opera eius in fide. Secunda chorda, quia diligit miſericordiam & iudicium. Tertia chorda ſonet, quia miſericordia domini ita plena eſt terra, ut propter omne genus hominum, dei ſit filius crucifixus. Quarta chorda ſonet, quia uerbo cœli firmati ſunt, id eſt, Apoſtoli corroborati ſunt: De iſtis enim cœlis qui bene uoluerit erudiri, Geneſeos lectione docebitur. Hic de his cœlis aget, qui narrant gloriam dei reſurgentis à mortuis & aſcendentis in cœlos. Nam & ſpiritus oris domini noſtri Ieſu Chriſti, quod ſit omnis uirtus eorum, quinta chorda ſecuta eſt. Sexta nunc loquatur, quod cõgregentur quaſi in utrem aquæ maris, & ponatur in thezauris dei abyſſus. Quæ eſt abyſſus in thezauro dei? & quæ eſt abyſſus ubi dæmonum ſupplicia commorantur? Diligenter aduerte, in thezauro dei abyſſum ille inuenit, qui dicebat: O altitudo diuitiarum ſapientiæ dei. Ergo cum ſecreta ſcientiæ dei corde mundo & recta fide perquiris,

ſcias

ſcias te ſextam chordam percutere. Alia uero abyſſus ubi dæmones commorantur, hæreticorum ſcrutatio eſt, de qua nobis clamatur ab Apoſtolo. Nolito altum ſapere, ſed time. Nam quod congregantur aquæ maris, omnium gentium ſectæ ad unum fontem aquæ uiuæ collectæ ſunt. ut de hoc uno utre excipiant aquam ſalientem ad uitam æternam. Et ideo ſeptima chorda hoc ſonat, ut timeat dominum omnis terra, non Iudæa ſola, ſed & omnes qui habitant orbem. Octaua ſentit dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ipſum eſſe rerum omnium creatorem, qui dißipauit conſilia gentium in idolis, qui reprobauit cogitationes populorum in ſynagogis, qui reprobat conſilia principum paßionibus martyrum, qui facit conſilium domini manere in æternum, in eccleſijs, in quibus ſunt cogitationes cordis eius, in ſeculum ſeculi. Nona chorda indicat beatam eſſe gentem quæ cognoſcit dominum Ieſum Chriſtum deum ſuum, & hunc eſſe populum quem elegit in hæreditatem ſibi. Decima chorda indicat, quia de cœlo reſpexit dominus ſuper nos, non ſic de cœlo quaſi de feneſtra, ſed de præparato habitaculo ſuo, id eſt, de homine perfecto, quem aſſumpſit. De ipſo ergo quē uirgo peperit reſpexit ſuper omnes ſine acceptione perſonæ. Pro omnibus enim & natus & paſſus eſt, ipſe utique qui finxit ſingillatim corda eorum: nō enim opus erat ei, ut teſtimonium ei quis perhiberet de homine. Ipſe enim ita uidebat quid ageretur in homine ut quid unuſquiſque cogitaret proferret in mediū. Nam quod dicitur, non fit ſaluus rex in multa uirtute ſua, tale eſt, quale ſi dicatur Herodi: Quid? quia potēs es Chriſtū

ita

ita perſequi, ut poßis perſcrutari ſcribas, diſcutere ma-gos, infantes occidere, in abundantia uirtutis tuæ:ita nõ eris ſaluus, ſicut ille qui confidebat in equo ſuo, & canitur de eo: Equum & aſcenſorem proiecit in mare: Et fefellit eum equus ad ſalutem, Ita & tu etiamſi gigas ſis in uirtute tua non eris ſaluus. Oculi enim domini non reſpiciunt confidentes in uirtute ſua, ſed ſperantes in miſericordia eius. Ipſorum enim eripit animas de morte, & alit eos in fame. Famem quidem in iſto ſeculo ſi paßi fuerint, & cum Apoſtolo dixerint, uſq; in hanc horam & eſurimus, & ſitimus & nudi ſumus: Adiungunt tamen dicentes: Anima noſtra patienter agit, non turbatur, ſuſtinens dominum. Ipſe enim adiutor & protector noſter eſt, & ſicut in capite pſalmi nobis iuſſum eſt, gaudete iuſti in domino: In ipſo lætabitur cor noſtrum, & in nomine ſancto eius ſperauimus. Ipſe enim facit miſericordiam ſuam ſuper nos, ſicut ſperauimus in eum, qui regnat in ſecula ſeculorum Amen.

Pſalmus Dauid cum mutauit uultũ ſuum coram Abimelech, & dimiſit eum & abijt. XXXIII.

BEnedicam domino in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo. In domino laudabitur anima mea, audiant manſueti & lætentur. Magnificate dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipſum, Exquiſiui dominum, & exaudiuit me, & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me. Accedite ad eũ & illuminamini, & facies ueſtræ non confundentur. Iſte pauper clamauit, & dominus exaudiuit eum, & ex omnibus tribulationibus eius ſaluabit eum. Immittit angelus

gelus domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Guſtate & uidete,quoniam ſuauis eſt dominus,beatus uir qui ſperat in eo. Timete dominum omnes ſancti eius, quoniam non eſt inopia timentibus eum. Diuites eguerunt,& eſurierunt,inquirentes autē dominum non minuentur omni bono. Venite filij audite me,timorem domini docebo uos. Quis eſt homo qui uult uitam,diligit dies uidere bonos. Prohibe linguā tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Diuerte à malo, & fac bonum,inquire pacem & perſequere eam. Oculi domini ſuper iuſtos,& aures eius in preces eorum. Vultus autem domini ſuper faciētes mala,ut perdat de terra memoriā eorum. Clamauerunt iuſti, & dominus exaudiuit eos, & ex omnibus tribulationibus eorū liberauit eos. Iuxta eſt dominus his qui tribulato ſunt corde,& humiles ſpiritu ſaluabit. Multæ tribulationes iuſtorū, & de omnibus his liberauit eos dominus. Cuſtodit dominus omnia oſſa eorum,unum ex his non conteretur. Mors peccatorum peßima,& qui oderunt iuſtum delinquent. Redimet dominus animas ſeruorum ſuorum. & non delinquent omnes qui ſperant in eo.

COMMENTARIVM.

Niſi mutaueris uultum tuum coram principe uiciorū,& dimiſeris eum,ac uirtutū domino omne quod tibi ſupereſt uitæ mācipaueris tempus, non uere dicis:Benedicā dominum in omni tempore,nec ſemper laus dei erit in ore tuo, ſi tibi uicium maledictionis & amaritudinis uiuit. ſit ergo laus dei in ore tuo,nō in adulatiōe laudibus hominū aſſueſcēs, nec timeas ne te

uituperent

uituperent iniuſte, quos iuſte uituperas. Si enim ab homine uituperatus fueris, in deo laudaberis: & ſuperbos contriſtaueris, audiant manſueti, & lætentur hi, qui magnificant dominum tecum, & exaltant nomen eius in unum. Videamus nunc cauſas laudis eius. Inquiſiui dominum, & exaudiuit me, & ex omnibus anguſtijs eripuit me: Et uos, ait, accedite ad eum, qui in cæcitate cordis eſtis, accedite & illuminamini, & uultus ueſtri non confundentur. Non confundentur in paupertate facies ueſtræ, ſi conſideretis omnium rerum dominum illum cœli terræq; diuitem, pro noſtra paupertate pauperem factum, pro noſtra tribulatione tribulatū, ipſi nec in paupertate erubeſcetis, nec in tribulatione deficitis. Nam iſte pauper clamauit in cruce. Quis pauper? Qui, ut te diuitem faceret, pauper factus eſt: Factus obediēs uſq; ad crucem, ut te à cruciatibus liberaret. Clamauit, & dominus exaudiuit eum, miſit angelum ſuum in circuitu timentiū corpus eius & reuoluit lapidem à monumento, & eripuit eum. Guſtate corpus uitæ, & uidete quàm ſuauis eſt dominus: Vitam enim habet in ſemetipſo, qui manducauerit carnem eius, & biberit ſanguinem eius, & tunc beatus erit uir qui ſperat in eo. Timete dominum omnes ſancti eius, quoniam nihil deeſt timentibus eum. Nihil deeſt in præſenti de uirtutibus, nihil deeſt perfectioni, ut nihil in futurum gaudijs deſit. Nam præſentis temporis diuitiæ, amatores ſuos ita deſerere ſolent, ut egentes & eſurientes uideas eos, quorum in diuitijs nullus poterat ferre ſuperbiam. Ergo in incerto ſunt poſitæ diuitiæ quas confert mundus. Diuitiæ autem quas contulerit dominus

minus non deficient, ſed permanent in omni bono, & quia iſtæ diuitiæ de timore dei naſcuntur. Sic enim ait: Timete dominum ſancti eius, quia nihil deeſt timentibus eum. *Qui æterni diuites eſſe deſideratis, uenite ad me quaſi filij ad patrem. Clamat ſpiritus ſanctus,* Venite & audite me, timorem domini docebo uos. *Timorem enim domini ille doceri uult, qui uult uitam æternam, & deſiderat uidere dies bonos. Times ergo dominum, non ſi tonantem, aut fulgurantem, aut terræmotum facientem timeas, ſed ſi ignem æternum comminantem formides. Quia ſicut habet uitam, qui cohibet linguam ſuam à malo, & ſicut aures domini in preces eius ſunt, qui ita auertitur à malo ut faciat bonum, ita uultus domini ſuper facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum. Notandum ſanè, quia inter cætera uirtutum inſignia, pax quoque quærenda præcipitur:* Inquire, *inquit,* pacē, & ſequere eam. *Pax enim & in præſenti dies bonos facit hominibus, & in futuro dei filiorum dignitatem impertit, ſecundum id quod ipſe dominus dicit:* Beati pacifici, quia filij dei uocabuntur. *Nec hoc nos terreat quod uidemus in iſto ſeculo multas tribulationes iuſtorum.* Tranſeunt enim ipſæ tribulationes, & ex his omnibus liberat eos dominus. *Ipſe etiam in ſepulchro cuſtodit omnia oſſa eorum, & ita ea ſeruat reſurrectioni, ut unum ex his non patiatur perire in reſurrectionis die. Mors autem peccatorum peßima apparebit tempore quo reſuſcitat in corporibus animas ſuorum: Hoc ſanè ſciatis, inquit, quia non peccat, omnis qui ſperat in eo. Abſtinentiam peccatorum in fine pſalmi commen-*

dat eis, qui ſperant in dominum, ut ad ſpei ſuæ fructum attingant: Non enim peccant, inquit, omnes qui ſperant in eum. Vt autem non peccemus, eius eſt inſtanter miſericordia poſtulanda, qui regnat in ſecula ſeculorum Amen.

In finem pſalmus Dauid. XXXIIII.

IVdica domine nocentes me, expugna impugnantes me. Apprehende arma & ſcutũ, & exurge in adiutorium mihi. Effunde frameam, & conclude aduerſus eos qui me perſequũtur, dic animæ meæ: ſalus tua ego ſum. Confundantur & reuereantur quærentes animam meam. Auertantur retrorſum & confundantur, cogitantes mihi mala. Fiant tanquam puluis ante faciem uenti, & angelus Domini coartans eos. Fiat uia illorum tenebræ & lubricum, & angelus domini perſequens eos. Quoniam gratis abſconderunt mihi interitum laquei ſui, ſuperuacue exprobrauerunt animam meam. Veniat illi laqueus quem ignorat, & captio quam abſcondit apprehendat eum, & in laqueum cadet in ipſo. Anima autem mea exultabit in domino, & delectabitur ſuper ſalutari ſuo. Omnia oſſa mea dicent, domine quis ſimilis tui? Eripiens inopem de manu fortiorum eius, egenum & pauperem à diripientibus eum. Surgentes teſtes iniqui, quæ ignorabam interrogabant me. Retribuebant mihi mala pro bonis, ſterilitatem animæ meæ. Ego autem cum mihi moleſti eſſent, induebar cilicio, humiliabam in ieiunio animam meam, & oratio mea in ſinu meo conuertetur. Quaſi proximum, & quaſi fratrem noſtrum ſic complacebam,

bam, quaſi lugens & contriſtatus ſic humiliabar. Et *aduerſum me lætati ſunt, & conuenerunt; congregata ſunt ſuper me flagella & ignoraui.* Diſsipati ſunt nec *compuncti tentauerunt me, ſubſannauerũt me ſubſanna tione, frenduerũt ſuper me dentibus ſuis.* Domine quã*do reſpicies reſtitue animã meã à malignitate eorũ, à leo nibus unicam meam.* Confitebor tibi in eccleſia ma*gna, in populo graui laudabo te.* Non ſupergaudeant *mihi qui aduerſantur mihi inique, qui oderunt me gra tis & annuunt oculis.* Quoniam mihi quidem pacifi*ce loquebantur, & in iracundia terræ loquentes, dolos cogitabant.* Et dilatauerunt ſuper me os ſuum, dixe*runt euge euge uiderunt oculi noſtri.* Vidiſti domine *ne ſileas, domine ne diſcedas à me.* Exurge & inten*de iudicio meo, Deus meus &* Dominus *meus in cauſam meam.* Iudica me ſecundum iuſtitiam tuam domine *deus meus, & non ſupergaudeant mihi.* Non dicant *in cordibus ſuis euge euge animæ noſtræ, nec dicant de uorabimus eum.* Erubeſcant & reuereantur ſimul, *qui gratulantur malis meis.* Induantur confuſione & *reuerentia, qui maligna loquuntur ſuper me.* Exul*tent & lætentur, qui uolunt iuſtitiam meam, & dicant ſemper magnificetur* Dominus, *qui uolunt pacem ſerui eius.* Et lingua mea meditabitur iuſtitiam tuam, tota die *laudem tuam.*

COMMENTARIVM.

DOminus Ieſus Chriſtus, *ſi præceptis ſuis ſcripturas ueteris teſtamenti uidiſſet eſſe contrarias, à ſua eccleſia excluſiſſet.* Nunc uero cum non ſo-

lum non excluſit,ſed etiam à patre ſanctificatas aſſeruit. Namque cum teſtimonium de filijs dei daret, & diceret uerſiculum pſalmi octogeſimi primi:Non poteſt,inquit, immutari ſcriptura,quem pater ſanctificauit,& miſit in hunc mundum.Quid ergo faciemus?Si maledicamus ini micos noſtros, euangelica præcepta contemnimus,quibus non ſolum non maledicere, uerumetiam pro his ora re iubemur, Si cuſtodire uolumus Euangelij iuſsiones, pſalmos relinquimus, quibus frequenter inimici maledicuntur, ut in iſto pſalmi loco in capite: Iudica, inquit, nocētes me,& cætera quæ ſequuntur.Vnde cautius pſal miſta caue,ne ad homines aduerſantes tibi putes iſta cōpetere,ſed fide fixus pro inimicis tuis ora,ſicut iuſſū eſt, & hanc orationem pſalmi præſentis, non contra carnem & ſanguinem, ſed contra ſpiritus aeris huius, qui quotidie nocent, quotidie bella committunt. Induere ſacco ſiue cilicio,& humilia in ieiunio animam tuam, quia non uinciuntur,niſi per orationem & ieiunium. Quid ergo oras indutus cilicio? Vt expugnet dominus expugnantes te, ut apprehendat arma auxilij ſui, arma inuiſibilia aduerſus hoſtes inuiſibiles. Ipſi enim quærunt ani mam tuam.Ora ut fiat uia eorum tenebræ & lubricum, & angelus domini perſequatur eos,quia ipſi abſconderunt tibi interitum laquei ſui,uanam exprobrantes animam tuam,dicentes ei:Vanum eſt quod oras, quod ieiunas quod mundum contemnis.Vnde & propheta hoc ipſum in- repat dicens: Ideo, ait,plaga ſuper Iſrael multiplicata eſt quia dixerunt,Vanus eſt qui timet deum.Ergo quia hi ſpiritus immundi ſuggeſtionibus ſuis uanam

expro-

exprobant animam meam, ut uilem ſe æſtimans, à precioſo dei timore abſcedat: Veniat illis laqueus quem ignorant: ſicut mihi inuiſibiles hoſtes ſunt ad bonum pergenti, ſic illis inuiſibilis occurrat laqueus ad meum interitum feſtinantibus, ut captio quam occultauerunt mihi, apprehendat eos, & in eodem laqueo incidant, ut anima mea exultet in deo ſalutari ſuo, qui eripit inopem de manu fortioris. In quo exurgunt teſtes iniqui, oſtendentes quod eſt pulchrum fœdum, et quaſi bonum quod eſt inimicum, quæ ignorabant quæ penitus ad animum non habebam, hæc interrogabant me: retribuebant mihi mala pro bonis. Hic retributio mala pro bonis dæmonum talis eſt, ut dicerem, quotiens oro, quotiens à peccatis abſtineo, mala mihi eueniunt, & ſterilitas meam animam comitatur. Quid ergo egiſti dum tibi moleſti eſſent? dic nobis, ut & nos hoc faciamus: Cum mihi, inquit, moleſti eſſent, induebar cilicio, & humiliabam in ieiunio animam meam, & oratio mea in ſinu meo conuerſa eſt. Quemcunque quaſi proximum, & quaſi fratrem meum putabam fidelem, & placebam mihi in eo, ita egit ut Iudas in domino, ut lugentem me & contriſtatum faceret, humilē inimicis. Sic paßioni dominicæ hoc applicabis, ut tamen ordinē cœptæ explanationis aſtringas, quia ipſa paßio domini hoc agit, ut nos ædificemur. Quanto enim plus deo adhæſeris, tāto plura dæmonum circa te flagella non deerunt, ipſi tentant te, & de riſu ſuo exagitant, & fremunt ſuper te dentibus ſuis. Tu quod tuum eſt clama: Domine quando reſpicies, reſtitue animam meam à malis factis eorum, à leonibus unicam

meam. Vna nobis eſt anima noſtra & numero & affe-ctu. Cum ergo eam reſtitueris in bono propoſito, & liberaueris à malis factis eorum, tunc confitebor tibi in ecclesia magna, & in populo non leui, non flagitanti pompas, & accipienti perſonas, ſed in populo graui timoris tui cuſtodienti: in eo mihi erit aßiduitas, & in eodem populo laudabo te. non ergo inſultent qui aduerſantur mihi iniqui, qui oderũt me gratis, & annuũt oculis. Hæc ut dixi, ita paßioni dominicæ applica, ut ædificationis tuæ interpretem penitus non omittas. dæmonia enim nobis quotidie pacifice loquuntur. Pacifica res eſt concupiſcentiæ fructus: ſed ſuper iram doloſam cogitant, ſicut in hamo eſca, dulcis in aſpectu, letalis in guſtu eſt. Dilatauerunt in me os ſuum, quotidie ſeculi amatores crimina inaudita committunt, & nullus penitus à nullo arguitur. At ubi quis boni propoſiti in leui qualicunque culpa incurrerit, dilatant ſpiritus immundi ora eorum, qui, ut dixi, criminibus uacant, ut uideas eos tale ferre iudicium in uno qualecunque peccato, ut dicant: cur non urbe pelluntur? ut quid uiuere permittuntur? Iſti ſunt per quos mundus periijt. Hic clamat ad dominum: Exurge domine & intende iudicium meum, & cauſam meam iudica ſecundum miſericordiam tuam. Si enim ſecundum miſericordiam iudicaueris, non inſultabunt in me dæmones, nec dicent euge euge animæ meæ, nec dicent deuorauimus eum. Euge euge, & in bono accipitur & in malo. Nam dicitur euge ſerue bone & fidelis, dicitur & euge uiderunt oculi noſtri. Euge ergo uox eius eſt, cuius deſiderium uidetur impletum, ſiue in bono, ſiue in malo.

Mox

Mox itaque ut hi qui in malo tuo lætantur, non dicant deuorauimus eum, ſed confundantur qui gratulantur in malis tuis. Et *lætentur qui uolunt iuſtitiam tuam, & deſiderant pacem tuam, ut lingua tua meditetur iuſtitiam dei, & omni die in laude eius permaneas, qui regnat in ſecula ſeculorum* Amen.

In finem ſermo domini Dauid. XXXV.

D*Ixit iniuſtus ut delinquat in ſemetipſo, non eſt timor dei ante oculos eius. Quoniam doloſe egit in conſpectu eius, ut inueniatur iniquitas eius ad odium. Verba oris eius iniquitas & dolus, noluit intelligere, ut bene ageret. Iniquitatem meditatus eſt in cubili ſuo, aſtitit omni uiæ non bonæ, malitiam autem non odiuit. Domine in cœlo miſericordia tua, & ueritas tua uſq; ad nubes. Iuſtitia tua ſicut montes dei, iudicia tua abyſſus multa. Homines & iumēta ſaluabis domine, quemadmodum multiplicaſti miſericordiam tuam deus. Filij aūt hominum in tegmine alarum tuarum ſperabunt. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente uoluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te eſt fons uitæ, et in lumine tuo uidebimus lumen. Prætende miſericordiam tuam ſitiētibus te, & iuſtitiā tuam his qui recto ſunt corde. Non ueniat mihi pes ſuperbiæ, & manus peccatoris non moueat me. Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem, expulſi ſunt nec potuerunt ſtare.*

COMMENTARIVM.

D*Iſcernendum eſt inter eum qui delinquit in alio, & inter eū qui delinquit in ſemetipſo.* Delinquit *in alio, qui cū poßit corrigere à malo peccantē,*

*inſuper & adulatur:*Delinquit *in ſeipſo,qui ſibi ipſi nō uult ſuadere iuſtitiam,quia non eſt timor dei in conſpectu eius,ut inueniatur iniquitas ſua ad odium,laudat iniuſtum,ut laudetur iniuſtus.* Non *uult intelligere actiones bonas, quibus promerebitur deus cubile cordis ſui.* Iniquitatem *meditatur, ut adſit omni uiæ non bonæ, & non execretur malitiam*. Et *licet in terra & in mari ſit miſericordia* Domini, *ſed proprie in cœlo eſt miſericordia eius, inde uenit, inde expectatur.* Veritas *autem eius uſque ad* Apoſtolos, *qui nubes idcirco appellantur,quia inundatione ſermonis ſui terram rigantes fidei, eam fructum* Deo *facere docuerunt.* Vnde *& de ipſis* Dominus *dicit:* Mandabo *nubibus ut non pluant ſuper* Iudæam *imbrem,* Vſque *ad ipſos ueritas, quæ eſt* Chriſtus *cuius iuſtitia eſt ſicut montes* Dei, *cuius iudicia abyſſus multa ſunt, qui & homines, & iumenta ſuo ſaluabit aduentu,id eſt,&* Iudæos *& gentes.*Nam *& filij hominum, qui in peccato* Adæ *deſperantes extiterant, in protectione alarum eius ſperant, id eſt, in expanſione manuum in cruce fixarum:ſperant autem,qui inebriantur ab ubertate domus eius.* Domus *eius eſt,quæ ex latere ſuo fudit, unde inebrientur qui credūt,& torrente deliciarum ſuarum potabit eos,qui inebriati fuerint ab ubertate domus eius.*Quoniam *apud ipſum eſt fons uitæ, & quia lux de lumine eſt, in ipſius lumine uidebimus lumen, qui prætendit miſericordiam ſuam ſcientibus ſe.* Iuſtitiam *uero ſuam his qui recto ſunt corde.* Ipſe *enim & indulgētiam prætendit corrigenti, & ſeruat iuſticiā permanenti.*Vnde *orandum eſt, ut non ueniat nobis pes*

ſuperbiæ

ſuperbiæ, & manus peccatoris non moueat nos. In manu enim diaboli ſunt omnes, qui operantur iniquitatem, & deſperantes de miſericordia dei, expulſi ſunt & non potuerunt ſtare. Sed Apoſtolus dicit: Stabit. Potens eſt deus ſtatuere illum. Rogandus eſt ergo dominus Ieſus Chriſtus, ut ipſe nos confirmet, ut in timore eius ſtare poßimus, per ipſum dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui regnat in unitate patris & ſpiritus ſancti in ſecula ſeculorum, Amen.

Pſalmus ipſi David. XXXVI.

N*Oli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem.* *Quoniam tanquam fœnum uelociter areſcent, & quemadmodum olera herbarum cito decident. Spera in domino, & fac bonitatem, & inhabita terram, & paſceris in diuitijs eius.* *Delectare in domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.* *Reuela domino uiam tuam & ſpera in eo, & ipſe faciet.* *Et educet quaſi lumen iuſtitiam tuam, & iudicium tuum tanquam meridiem, ſubditus eſto domino, & ora eum.* *Noli æmulari in eo qui proſperatur in uia ſua, in homine faciente iniuſtitias.* *Deſine ab ira, et derelinque furorē, noli æmulari ut maligneris.* *Quoniam qui malignantur, exterminabuntur, ſuſtinentes autem dominum, ipſi hæreditabunt terram.* *Et adhuc puſillum, & non erit peccator, & quæres locum eius, & non inuenies.* *Manſueti autem hæreditabunt terram, & delectabūtur in multitudine pacis.* *Obſeruabit peccator iuſtum, & ſtridebit ſuper eum dentibus ſuis.* *Dominus autem irridebit eum, quoniam poſpicit quod ue-*

niet dies eius. Gladium euaginauerunt peccatores, in tenderunt arcum ſuum. Vt decipiant pauperem & inopem,ut trucident rectos corde. Gladius eorum in tret in corda ipſorum,& arcus eorum confringatur.

Melius eſt modicum iuſto,ſuper diuitias peccatorum multas. Quoniam brachia peccatorum conterentur, confirmat autem iuſtos dominus. Nouit dominus dies immaculatorum,& hæreditas eorum in æternum erit.

Non confundentur in tempore malo,& in diebus famis ſaturabuntur, quia peccatores peribunt. Inimici uero domini mox,ut honorificati fuerint,& exaltati,deficientes quemadmodum fumus deficient. Mutuabitur peccator, & non ſoluet, iuſtus autem miſeretur & retribuet. Quia benedicentes ei hæreditabunt terrã, maledicentes autem ei diſperibunt. Apud Dominum greſſus hominis dirigetur, & uiam eius uolet. Cum ceciderit non collidetur, quia Dominus ſupponit manum ſuam. Iunior fui, etenim ſenui, & non uidi iuſtum derelictum,nec ſemen eius quærens panem. Tota die miſeretur,& commodat, & ſemen eius in benedictione erit. Declina à malo,& fac bonum,inhabita in ſeculum ſeculi. Quia dominus amat iudicium,& non derelinquet ſanctos ſuos,in æternum conſeruabuntur.

Iniuſti punientur, & ſemen impiorum peribit. Iuſti autem hæreditabunt terram, & inhabitabunt in ſeculum ſeculi ſuper eam. Os iuſti meditabitur ſapientiam, & lingua eius loquetur iudicium. Lex dei eius in corde ipſius,& non ſupplantabuntur greſſus eius. Conſiderat peccator iuſtum, & quærit mortificare eum.

Domi-

Dominus autem non derelinquet eum in manus eius, nec damnabit eum cum iudicabitur illi. Expecta dominum, & cuſtodi uiam eius, & exaltabit te ut hæreditate capias terram, cum perierint peccatores uidebis. Vidi impium ſuperexaltatum, & eleuatum ſicut cedros libani. Et tranſiui, & ecce non erat, quæſiui eum, & non eſt inuentus locus eius. Cuſtodi innocentiam, & uide æquitatem, quoniam ſunt reliquiæ homini pacifico. Iniuſti autem diſperibunt, ſimul reliquiæ impiorum interibunt. Salus autem iuſtorum à domino, & protector eorum in tempore tribulationis. Et adiuuabit eos dominus, & liberabit eos. & eruet eos à peccatoribus, & ſaluabit eos, quia ſperauerunt in eo.

COMMENTARIVM.

SI hæc ſpes quæ uidetur expetitur, zelabimur malignantes, & facientes iniquitatem. Dicere enim poſſumus, Ecce ille & ille, hæc & hæc ſcelera perpetrarant & florent: Noli, inquit, iſta conſiderare, ſed conſidera, quoniam tanquam fœnum uelociter areſcēt. Tu autem ſpera in deum, & fac bonitatē, ſpera quia ſpe ſalui facti ſumus. Inhabita terram, & paſcere in diuitijs eius. Inhabita terram, id eſt, corpus tuū: & paſceris in diuitijs eius. Si operatus fueris terrā tuam, ſaturaberis panibus. Offerant oculi fructum ex concupiſcentia cœleſti, aures intentionē audiendi uerbum dei, os diuinis laudibus occupetur, manus eleemoſynis, uenter ieiunijs, & totum corpus caſtitatis uirtutibus occupetur, Sic inhabitans terram & paſceris in diuitijs eius, tunc delectaberis in Domino, & dabit tibi petitionem cordis tui.

Cum

Cum ei reuelaueris uiam tuam, tunc educet inſticiam tuam quaſi lumen, & iudicium tuum clarum faciet ſuper meridiem, Nihil enim clarius meridiano tempore. Perfectum enim hoc tempore progreditur lumen. *Subditus eſto* Domino, *& ora eum:* quaſi dicat, ſi ei ſubditus non fueris, ut facias uoluntatem eius, ſine cauſa obſecras eum. Noli zelari eum qui proſperis ſucceßibus pollet, hominem facientem iniquitatem. *Deſine ab ira, & derelinque furorem.* Noli zelari ut maligneris, quoniam qui malignantur, exterminabuntur. Quod differtur non aufertur, *puſillum, & non erit peccator,* Quæres locum eius, nec inuenies. Nam qui manſueti ſunt poßidebunt terram. Non iſtam matrem ſpinarum, & ſerpentium, ſed illam in qua æternitas regnat, terram fluentem lac et mel. *Et ibi delectabuntur in multitudinem pacis.* Hæc ſi iuſtus es, uide ne in præſenti mundo perquiras: non enim melior Paulo eris, in fame & ſiti duräti, in frigore & nuditate perſeueranti, Sed eſto ſollicitus, quia quotidie te diabolus conſiderat, & fremit ſuper te dentibus ſuis, ſed Dominus irridet eum, quia ſcit quod eueniat dies eius. Et quantacunque contra te dæmonia bella committant, noli timere: *Quia gladij eorum intrabunt in corda eorum, & arcus eorum confringentur.* Melius tibi ſit modicum de iuſtitia poßidere, quàm de iniuſto diuitias peccatorum multas. Nam brachia dæmonum ſi pugnaueris confringet Dominus. Dignatur enim iuſtos ſuos in ſua miſericordia confirmare, quorum ſcit uias immaculatorum, quorum hæreditas eorum Chriſtus eſt. Qui in æternum manet, per ipſum non confundentur in tempo-

tempore malo. Tempus malum eſt Chriſtiano, quando ad peccatum aliquod prouocatur. Sed ſi hæreditas eius in æternum manet, id eſt, ſi perſeuerat in Chriſto, non confundetur in tempore malo, & in diebus famis ſaturabitur, tempore quo peccatores pereunt. Modo autem regnāt etiam ipſi inimici Domini, qui licet honorentur, & ab adulatoribus exaltentur, deficientes quaſi fumus continuo deficient. Iuſti autem exabundabunt & largientur & tribuent. Iniuſtus autem etiam mutuabitur, & non ſoluet. Semper auarus eget. Iuſtus autem quia à Domino greſſus eius dirigentur, etiam ſi ceciderit, non collidetur, quia dominus ſupponit manum ſuam. Recordare ab initio, & uidebis iuſtum probatum potius quàm deceptum, non derelinquitur. Qui declinat à malo ut faciat bonum, in æternum conſeruabitur, quia os eius meditabitur ſapientiam. Lex enim Dei eſt in corde eius, & ideo non ſupplantabuntur greſſus eius. Conſiderat eum diabolus, & cupit mortificare eum, ſed Deus non derelinquet eum in manib. ſuis, nec damnabit eum cum iudicabitur illi. Expecta Dominum, & cuſtodi uias eius, & exaltabit te ut hæredites terram, tempore quo pereunt peccatores uidebis. Hoc loco quæ ſequuntur, licet multos conſcientia noſtra retineat ſubito de potentatu corruiſſe, & ita ad nihilum deueniſſe, ut nec locum ſui itineris reliquerint, tamen ſpecialiter hoc de diabolo ait. Ipſe eſt enim impius exaltatus ſuper cedros libani. Sed ubi tranſierit mundus, quæritur locus eius, & non inuenietur. Cuſtodiamus nos unitatem fidei, ut uideamus æquitatem iudicij. Qui faciet reliquias homini paci-

pacifico, iniuſtos autem punit ſimul. Reliquiæ uero impiorum tunc peribunt, quando ſalus uenerit iuſtorum à domino, & protector eorum erit in tempore tribulationis: ut autē euadant adiuuat eos dominus, & liberat eos, & eripit eos à peccatoribus, & ſaluat eos, quoniam ſperant in Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Pſalmus Dauid in rememoratione ſabbati. XXXVII.

DOmine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi, & confirmaſti ſuper me manum tuam. Non eſt ſanitas in carne mea à facie iræ tuæ, nō eſt pax oſſibus meis à facie peccatorū meorum. Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me. Putruerunt et corruptæ ſunt cicatrices meæ, à facie inſipientiæ meæ. Miſer factus ſum, & curuatus ſum uſque in finem, tota die contriſtatus ingrediebar. Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus, & non eſt ſanitas in carne mea.
Afflictus ſum, & humiliatus ſum nimis, rugiebam à gemitu cordis mei. Domine ante te omne deſiderium meum, & gemitus meus à te non eſt abſconditus. Cor meum conturbatum eſt, dereliquit me uirtus mea, & lumen oculorum meorum & ipſum non eſt mecum. Amici mei & proximi mei, aduerſum me appropinquauerunt & ſteterunt. Et qui iuxta me erant de longe ſteterunt, & uim faciebant qui quærebant animam meam.
Et qui inquirebant mala mihi locuti ſunt uanitates,

&

& dolos tota die meditabantur. Ego *autem tanquam ſurdus non audiebam,& ſicut mutus non aperiens os ſuum.* Et *factus ſum ſicut homo non audiens,& non habens in ore ſuo redargutiones.* Q*uoniam in te domine ſperaui,tu exaudies me domine deus meus.* Q*uia dixi ne quando ſupergaudeant mihi inimici mei, & dum commouentur pedes mei,ſuper me magna locuti ſunt.* Q*uoniam ego in flagella paratus ſum, & dolor meus in conſpectu meo ſemper.* Q*uoniam iniquitatem meam annunciabo,et cogitabo pro peccato meo.* Inimici *aūt mei uiuent,& confirmati ſunt ſuper me,& multiplicati ſunt qui oderunt me inique.* Q*ui retribuūt mala pro bonis detrahebant mihi, quoniam ſequebar bonitatem.* Non *derelinquas me domine deus meus, ne diſceſſeris à me.* Intende *in adiutoriū meū domine deus ſalutis meæ.*

COMMENTARIVM.

BEne *quidam uoluit adtropare in beati* Iob *paßionem iſtum pſalmum exponendo, ſed qui paßionem* Iob *legere & ſcire deſiderat,melius facit ſi ipſum eius librum diſcutiat.*Hic *autem idem qui in ſexto pſalmo eſt pœnitens clamat ad dominum,ne in ira domini arguatur,aut in correptionem eius diuinus furor exæſtuet.* Sanè *quotieſcunq; motus iſtos in deo legeris non ſecundum id quod tu pateris, iram ſenti, quia deus impaßibilis eſt,& non ſua cōmotione,ſed ſua æquitate caſtigat.*Nos *tamen cū irā ſentimus,furorem dicimus,quia inopiam patimur & ſermonis & rationis,& de incorporeo corporei,ac de impaßibili paßibiles,ſecūdū quod nos poſſumus,non ſecundum quod ipſe eſt proteſtamur.*

Deniq;

Denique ſequitur: Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi. Nũquid quia ſagittas nominat, uerè ſagittæ ſunt? Imò ipſæ uerè ſagittæ ſunt, de quibus ſpiritaliter pungimur, ut conſideremus, quia non eſt ſanitas in carne noſtra, quando libidinum uulneribus agitamur, ibi uulnus iræ Domini, ibi pacem oſſa noſtra non habent à facie peccatorum noſtrorum. Quando iniquitates noſtræ ſupergrediuntur caput noſtrum. Caput noſtrum Chriſtus eſt, Quando contra eius præcepta aliquid agimus, iniquitates noſtræ caput noſtrum ſupergrediuntur, & ſicut onus graue grauantur ſuper nos. Et quia moras facimus, in ipſis uulneribus noſtris putreſiunt, deteriorant ipſa uulnera, à facie inſipientiæ noſtræ miſeri efficimur, & turbamur uſque in finem. Quid autem in ipſo peccato triſtes efficimur? Quia cognoſcimus animam noſtram impletam illuſionibus dæmonum, & ideo non eſſe ſanitatem in carne noſtra. Incuruemur ergo & humiliemur uſq; quaque, & mugitum noſtri cordis gemitumq; reddentes, ex totis uiſceribus exclamemus: Domine ante te omne deſiderium meum. Deſideremus enim in ipſis peccatis poſiti, alieni effici à peccatis: et hoc orandum docemur, ut huic deſiderio annuat diuina clementia, quia cor noſtrum turbatur, & deſerit nos fortitudo noſtra, & lumen oculorum noſtrorum, id eſt, Chriſtus, & ſpiritus ſanctus non eſt nobiſcum. Quando pollutionibus occupamur, tunc amici noſtri apices Dei aduerſum nos ueniunt, & ſtant, increpant, minantur ignem æternum, minatur mortem repentinam. Proximi autem à longe ſtant, id eſt, angeli ſancti, qui proximi nobis

bis ſunt quando iuſte & pie & caſte tractamur. Et quia *pollutionibus aut impietatibus iuxta eſſe non poſſunt, ideo à longe ſtant: & illis longe ſtantibus uicio noſtro, uim nobis faciunt qui quærunt animam noſtram, et quærentes mala noſtra, ſuggerunt uanitatem, & dolos tota die meditantur. Iam qui uult ad miſericordiam peruenire, dicit quod ſequitur:* Ego autem tanquam *ſurdus nõ audiebam, illisq́; prouocantibus, ut in aliquo turpi aut malo uerbo prorumperem:* Factus *ſum ut mutus non aperiens os ſuum.* Quare *hoc?* Quia *in te ſpero* Domine. Spe *enim ſalui efficimur & credimus.* Quoniam *tu exaudis* Domine *deus, ut non inſultent nobis inimici noſtri.* Qui *inimici? illi qui quando cõmouentur pedes noſtri, aduerſum nos magna loquuntur.* Hæc *autem dicimus, ſi agnoſcamus nos pro peccatis noſtris in flagella paratos, & dolor cordis noſtri agat contra nos, atque iniquitatem noſtram pronuncians, faciat nos cogitare pro peccato noſtro.* Inimici *enim noſtri uiuunt, & firmantur ſuper nos, quando delinquimus: quando autem non delinquimus, multiplicantur ut odiant nos inique, ut retribuant nobis mala pro bonis: ita ut orantibus & caſte nos tractantibus, illi zelo ducti, pro his bonis mala retribuant, et faciant nobis detrahi, quando ſequimur iuſticiam.* Ei *ideo clamandum eſt ad dominum, ne derelinquat nos pro peccatis noſtris, ſed intendat in adiutorium noſtrum, in quo præterita pœnitemus, præſentia corrigimus, ipſe futura dirigat, ut ſicut titulus commemorationem diei ſabbati pſalmo poſitus proteſtatur, ab omni opere ſeruili ceſſemus, ut liberemur à ſeruitute*

peccati,per dominũ noſtrum Ieſum Chriſtũ,qui in unitate deitatis regnat cũ patre,& ſpiritu ſancto ante omnia, et nunc & ſemper,et in cuncta ſecula ſeculorum,Amen.

In finem pro ydithum canticum Dauid. XXXVIII.

Dixi cuſtodiam uias meas,ut non delinquam in lingua mea. Poſui ori meo cuſtodiam,cum conſiſteret peccator aduerſum me. Obmutui et humiliatus ſum & ſilui à bonis, & dolor meus renouatus eſt. Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcet ignis. Locutus ſum in lingua mea, notum fac mihi domine finem meum. Et numerum dierum meorũ quis eſt,ut ſciam quid deſit mihi. Ecce menſurabiles poſuiſti dies meos, & ſubſtantia mea tanquam nihil ante te. Veruntamen uniuerſa uanitas omnis homo uiuens. Veruntamen in imagine pertranſit homo,ſed & fruſtra conturbabatur. Thezauriſat & ignorat cui congregabit ea. Et nunc quæ eſt expectatio mea,nonne Dominus & ſubſtantia mea apud te eſt. Ab omnibus iniquitatibus meis erue me,opprobrium inſipienti dediſti me. Obmutui & non aperui os meũ,quoniam tu feciſti à me plagas tuas. A fortitudine manus tuæ ego deſeci in increpationibus, propter iniquitatem corripuiſti hominem. Et tabeſcere feciſti,ſicut araneam animam eius, ueruntamen uane conturbatur omnis homo. Exaudi orationem meam domine, & deprecationem meam, auribus percipe lachrymas meas. Ne ſileas quoniam aduena ego ſum apud te & peregrinus, ſicut omnes patres mei. Remitte mihi ut refrigerer,

prius

prius quàm abeam & amplius non ero.

COMMENTARIVM.

IN triceſimo & octauo pſalmo ingreßi uidemus ſancti propoſiti profeßionem, in qua poſitus homo Dei quid dixerit, quid cogitauerit, quid doluerit, quid meditatus fuerit, quid orauerit, explicatur. Quid ergo dixerit audiamus. Ponamus eum audiſſe: Currite dum lucem habetis, ne uos tenebræ comprehendãt: Et hic uolens currere dixerit, ut cuſtodiret uias ſuas. Primo omnium egit, ut non delinqueret in lingua ſua, poſuit ori ſuo cuſtodiam. Quando? Non ſemper tacuit? non omni tẽpore, ſed eo tempore dum cõſiſteret peccator aduerſus eũ, qui eum prouocaret, aut ad maledicendum, aut ad conuiciandum, aut ad obtrectandum, aut etiã aliquod malum ex ore ſuo proferendum, Hic eo tempore obmutuit, & humiliatus eſt et ſiluit, non ſolum à malis, ſed etiam à bonis. Perfectius egit Paulus, non obmutuit à bonis, ſed à ſolis malis. Nam dum conſiſteret peccator aduerſus eum, dixit: Maledicimur, & benedicimus, & blaſphemamur & obſecramus. Hic tamen nec bonum nec malum protulit: Sed obmutui, inquit, etiam à bonis, & dolor meus renouatus eſt, id eſt, nouis conuicijs, nouis doloribus commouebar. Sed Quia dixi ut non delinquerem in lingua mea, concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exarſit ignis genuinus, qui motum conſcientiæ innocentis inflammat. Locutus tamen tandem aliquando dixi domino: Notũ fac mihi finem meum, ut ſciam quàm diu opprobriũ inſipiẽti ero. Conſideraui tamẽ & hoc, quia uanitati ſubiacet omnis homo uiuens, quiq;

cum in imagine tranſeat, ſollicitus eſt & condit theſauros ignorans cui congreget eos. Quæ autem cauſa, ut dum agit de eo, qui eum ſuo iurgio prouocabat ad litigandum, ſubito ad iſtum deuolutus ſit qui theſaurizat. Vtiq; non eſſet lis in ſeculo, ſi non unus uellet alio ditior fieri, ſiue in opibus, ſiue in honoribus. Hic autem qui cuſtodit uias ſuas dicit: Expectatio mea non eſt alia, niſi dominus, & ſubſtantia mea ipſe eſt, qui ab omnibus iniquitatibus meis eripiat me, & amoueat à me plagas ſuas. *A fortitudine enim manus* Domini *defeci in increpationibus, conſiderans fortitudinem patientiæ Dei, qui uſque in crucem manus ſuas expandit, et dum illum cupio imitari, defeci in increpationibus.* Propter *præuaricationem primum hominem corripuiſti, & qui factus fuerat, ut efficeretur per obedientiam immortalis, per inobedientiam mortalis effectus eſt, & cum mortalis eſt, tabeſcat ueluti aranea anima eius.* Non dixit mori feciſti, *ſed tabeſcere feciſti & dat araneæ comparationem, ut ſicut ſciſſa tela eius repentino flatu, ita ſciſſo corpore eius à morte, anima tabeſcat, non habens florem corporeum, & tamen uane conturbatur cum ſciat ſe non longo poſt tempore moriturum. Hæc in alio increpans, in ſe emendat, & cum lachrymis orat, ut nõ taceat dominus, loquatur in corde eius in conſilio eius, ut cognoſcat ſe incolam & peregrinum in hoc ſeculo, & dicat:* Remitte mihi hic peccata mea, ut ibi refrigerer: *Hic inquit, mihi remitte prius quàm abeam, quia ſi mihi hic remiſeris, ibi refrigeriũ inuenio, & amplius nõ ero peregrinus, quia efficior ciuis ſanctorũ & domeſticus dei per dominũ noſtrũ*

Ieſum

Ieſum Chriſtum, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

In finem pſalmus Dauid. XXXIX.

EXpectans expectaui dominum, & intendit mihi. Et exaudiuit preces meas, & eduxit me de lacu miſeriæ, & de luto fecis. Et ſtatuit ſupra petram pedes meos, & direxit greſſus meos. Et immiſit in os meum canticum nouum carmen deo noſtro. Videbunt multi & timebunt, & ſperabunt in domino.

Beatus uir cuius eſt nomen domini ſpes eius, & non reſpexit in uanitates & inſanias falſas. Multa feciſti tu domine deus meus mirabilia tua, & cogitationibus tuis non eſt qui ſimilis ſit tibi. Annunciaui et locutus ſum, multiplicati ſunt ſuper numerum. Sacrificium et oblationem noluiſti, aures autem perfeciſti mihi. Holocauſtum & pro peccato non poſtulaſti, tũc dixi ecce uenio.

In capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem uoluntatem tuam deus meus uolui, & legem tuam in medio cordis mei. Annunciaui iuſticiam tuam in eccleſia magna, ecce labia mea non prohibebo domine tu ſciſti. Iuſticiam tuam non abſcondi in corde meo, ueritatem tuam, & ſalutare tuum dixi. Non abſcondi miſericordiam tuam, & ueritatem tuam à conſilio multo. Tu autem domine ne longe facias miſerationes tuas à me, miſericordia tua, & ueritas tua ſemper ſuſceperunt me. Quoniam circumdederunt me mala quorum non eſt numerus, comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui ut uiderem. Multiplicati ſunt ſuper capillos capitis mei, & cor meum dereliquit me. Complaceat tibi domine ut eruas me, domine ad adiuuandum me reſpice.

Confundantur & reuereantur ſimul, qui quærunt animam meam, ut auferant eam. Auertantur retrorſum & reuereantur qui uolunt mihi mala. Ferant confeſtim confuſionem ſuam, qui dicunt mihi euge euge. Exultent & lætentur ſuper te omnes quærentes te, & dicant ſemper magnificetur dominus, qui diligunt ſalutare tuum. Ego autem mendicus ſum & pauper, dominus ſollicitus eſt mei. Adiutor meus & protector meus tu es deus meus, ne tardaueris.

COMMENTARIVM.

Iste in triceſimo octauo pſalmo dixit:Quæ eſt expectatio mea, nonne dominus? Nunc *in triceſimo nono dicit:*Expect*ans expectaui dominum, & reſpexit me.*Et *qui ibi dixerat:*Exaudi *orationem meam,* Hic *dicit:*Exaudiuit *orationem meã. Quid oraſti?* Hoc *inquit, oraui, ut educeret cogitationes meas de lacu miſeriæ, & de luto libidinum, quæ merito fœces dicuntur, & ſtatueret ſuper petram pedes meos, ut ultra non commoueat flantibus uentis, id eſt, ſuggerentibus ſpiritib. immundis.* Et *his factis dirigat greſſus meos, tunc dabit ori meo canticum nouum. Omnis qui uicerit, nouum cãticum canit, canit autem non ſibi, reputans quia ſine deo non reſpondet ſalus, nec* Pharaoni, *ſed canit hymnũ deo, quia in ipſo faciemus uirtutem, & ipſe ad nihilum redigit inimicos noſtros.*Ego *ergo expectans dominum, hoc conſecutus ſum.*Videbunt *me multi ſperantem in domino, ad meum deſideriũ perueniſſe, & ipſi timebunt deum, & ſperabunt in domino.*Ille *enim ſolus beatus, qui nomen domini ſpem ſuã credens, non reſpicit uanitates mundi, &*

inſanias

inſanias falſas diaboli. Multa fecit dominus mirabilia, & in cogitatione eius nullus ſimilatur ei, nec in cœlis nec in terris. Ego autem *annunciaui, quia expectaui dominum, & locutus ſum, quia reſpexit me, & multiplicati ſunt qui expectarent* Dominum. Didicerunt *enim à me, quia ſacrificium & oblationem noluiſti, aures autem perfeci ſti mihi.* Dixiſti *enim:* Plus *eſt obedientia aurium, quàm ſacrificium manuum, quod tibi pro peccato offerri minime poſtulaſti: tunc dixi ecce ueniam.* In *capite libri ſcriptum eſt de me, id eſt, in initio pſalterij de me ſcriptum eſt, ut beatus efficiar uir, ut faciam uoluntatem tuam, & ſit in lege tua uoluntas mea, hoc uolui, & legem tuam in medio cordis mei.* Annunciaui *iuſtitiam tuam in eccleſia magna, id eſt, in conuentu magnorum iuſte locutus ſum, iuſte iudicaui, non accipiens perſonam.* Prohibui *labia mea, ut quod iuſtum eſt non abſconderem in corde meo, ſed ueritatem tuam in iudicio, & ſalutare tuum in perſona humili dixi.* Non celaui *miſericordiam tuam, ſed dixi miſerendum inopi.* Nec tacui *ueritatem tuam in ſynagoga multa, id eſt, in conuentu multorum.* Tu *ergo* Domine *ne longe facias miſericordias tuas à me, quia miſericordia tua & ueritas tua ſemper ſuſcepe runt me: ſuſceptum me ſuum agnoſcit, æquitas dum iudico, miſericordia dum ſubuenio.* Et *quoniam aduerſa & mala comprehenderunt me fugientem, & nõ poſſum mihi adeſſe, & multiplicãtur ſuper capillos capitis mei, ita ut ipſum cor meum derelinquat me,* Deprecor, *ut cõplaceat tibi domine, ut eripias me, domine ad adiuuandum me reſpice.* Quærunt *enim ſpiritus immundi animã*

meam ut auferant eam, & uolunt mihi mala, ita ut dum ſatis ſibi fecerint, dicant mihi, euge euge. Præſta *ut quotiens me uolunt capere, ferant confeſtim confuſionem ſuam, exultent autem qui diligunt ſalutare tuum in me.* Et *quia egenus in uiribus, & pauper in uirtute ſum, & ſine auxilio tuo pugnare nõ ualeo, tu domine adiuua me.* Feſtinant *illi ut interficiant, domine deus meus ne tardaueris in reſiſtendo eis, qui regnas cũ patre & ſpiritu ſancto, per omnia ſecula ſeculorum, Amen.*

In finem pſalmus David. XL.

B*Eatus uir qui intelligit ſuper egenum & pauperem, in die mala liberabit eum dominus.* Dominus *conſeruet eum & uiuificet eum, et beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum eius.* Dominus *opem ferat illi ſuper lectum doloris eius, uniuerſum ſtratum eius uerſaſti in infirmitate eius.* Ego *dixi domine miſerere mei, ſana animã meã quia peccaui tibi.* Inimici *mei dixerunt mala mihi, quando morietur & peribit nomen eius.* Et *ſi ingrediebatur ut uideret, uana loquebatur cor eius, congregauit iniquitatẽ ſibi.* Egrediebatur *foras, & loquebatur in idipſum.* Aduerſum *me ſuſurrabant omnes inimici mei, aduerſum me cogitabant mala mihi.* Verbũ *iniquum conſtituerũt aduerſum me, nunquid qui dormit non adijci et ut reſurgat.* Etenim *homo pacis meæ in quo ſperaui, qui edebat panes meos, magnificauit ſuper me ſupplantationem.* Tu *autẽ domine miſerere mei, & retribuam eis.* In *hoc cognoui quoniam uoluiſti me, quoniã non gaudebit inimicus meus ſuper me.* Me *autẽ propter innocentiam*

ſuſce-

ſuſcepiſti,et confirmaſti me in conſpectu tuo in æternum.

Benedictus dominus deus Iſrael à ſeculo in ſeculum fiat fiat.

COMMENTARIVM.

Qvinq; ſenſus eſſe in homine, omnibus notum eſt, qui ſunt, uiſus, auditus, odoratus, guſtus, et tactus. Sed his omnibus propoſitus, qui nutrimento ſapientiæ coaleſcit, et memoriæ cibo pingueſcit. Agitur ergo cum eo in capite pſalmi huius, ut intelligat ſuper egenum & pauperem. Nam uidere eum omnes poſſunt, ſed niſi intellexerit, inquit ſuper egenum & pauperem, beatus non erit, & in die mala non eum liberat dominus. dicit enim & hic egenus & pauper: Eſuriui, & non dediſtis mihi manducare: Sitiui, et nõ potaſtis me: Hoſpes fui, & non ſuſcepiſtis me: Infirmus fui, & non uiſitaſtis me. Beatus ergo qui intelligit ſuper egenum & pauperem. Chriſtum eſſe, ipſum enim ſi intelligit nõ cunctabitur, paratus erit ſuccurrere. In die ergo mala, quãdo dicendum eſt hœdis: Ite in ignem æternum. Tunc liberat eum dominus, & ut conſeruet eum, ut uiuificet eum, & beatum faciat eum, & emundet in terra animam eius, & non tradet eum in manus inimici eius: & uniuerſum ſtratum eius uerſaſti in infirmitate eius. Omnem tentationem inimici eſſe hoc loco cenſemus: Stratum uero eius orationẽ aſſerimus, in quo inclamat domino: Miſerere mei, Sana animam meã, quia peccaui tibi. Dum ergo ſanata fuerit anima, ſtratus eius, id eſt, proſtratio eius uerſatur in infirmitate, id eſt, in illo uerſatur qui fecit animam infirmam inimicis ſuis. Ideo denique & ſequitur: Inimici mei dixerunt

runt mala mihi, quando morietur? In peccato perijt ab eo hoc, quod dicitur Chriſtianus. Hoc enim nomen eſt, quod perire nobis dæmonia ſtudẽt. Et ingrediuntur cor noſtrum, ut uideant ſi conſentimus, & ſi conſenſerimus, ſimul in unum ſuſurrant, & cogitant aduerſum nos mala, & uerbum iniquum cogitant aduerſum nos, ut ſi peccauerimus non pœniteamur, ſed deſperantes recuperationem, ita damus nos hoſtibus prædam, dicẽtes eis: Nunquid qui dormit non adijciat ut reſurgat? Nam & homo pacis meæ, in quo ſperaui, id eſt, homo meus exterior ampliauit aduerſum me ſupplantationem, conſentiens ſuggeſtionibus eorum: qui edebat mecum panem uitæ, ipſe conſenſit eis, accepit ab eis, ut Iudas argenteos, & prodidit dominum. Ita hic accepit ab eis concupiſcentiam, & prodidit me: ſed tu domine ſicut ſuſcitaſti filium tuum à mortuis, ita me ſuſcita à peccatore, ſuſcita me, & retribuam illis. In hoc cognoui quia pro me paſſus es, ut non gaudeat inimicus meus ſuper me. Voluiſti mecũ, pro me mori, etiã non recuſaſti, ſed te iacente in ſepulchro timui, te aũt reſurgente non gaudebit inimicus meus ſuper me, propter innocentiam enim meã ſuſcepiſti me: hoc eccleſia in Apoſtolis & prophetis dicit, quia non philoſophi & rhetores, ſed ruſtici & piſcatores ſuſcepti à deo eccleſiam parauerunt, quam confirmauit in conſpectu ſuo in æternũ. Cui dicimus: Benedictus dominus deus Iſrael à ſeculo & in ſeculum, fiat fiat. Non te offendat diligens lector, quòd rem myſticam ad moralem traximus cauſam. Nam ſicut Iudam ad prodendum dominum circundederunt Phariſæi, & munera ei offerendo fecerunt eum ſalutem ſuam

tem ſuam tradere,ita hominem meũ exteriorem,qui edit panem meũ, ſpiritus immundi circundant,& offerũt ei, nunc pecunias per auaritiam, nũc luxuriam per cõcupiſcentiam, à quibus ſi acceperit, prodit, dum prodiderit, agunt cum eo ut laqueo ſe ſuſpendat,id eſt,ut deſperet ſe poſſe à pœnitentia liberari, ſed iſtis dicit: Nunquid qui *dormit non adijciet ut reſurgat. Quod quidem myſticus, ut dixi,ſenſus ad reſurrectionem dominicam manifeſtat, ſed nos moralem ex myſtico genuimus locum, qui propter hoc quod nos ipſi nobis nocuimus, abijcimur, ceſſemus nobis nocere, & innocentes efficimur,ut merito unuſquiſq; dicat deo:* Propter *innocentiam ſuſcepiſti me, & qui proieceras à facie tua per peccatum,nũc per pœnitentiam cõfirmas me in conſpectu tuo in æternum,qui regnas in ſecula ſeculorum* Amen.

In finẽ intellectus filijs Chore,*pſalmus* Dauid. XLI.

QVemadmodum *deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te deus.* Sitiuit *anima mea ad deum fontẽ uiuum, quãdo ueniam et apparebo ante faciẽ dei. Fuerũt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dũ dicitur mihi quotidie,ubi eſt deus tuus.* H*æc recordatus ſum,& effudi in me animam meam, quoniam tranſibo in locum tabernaculi admirabilis uſq; ad domum dei. In uoce exultationis & confeſſionis,ſonus epulantis. Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me.* Spera *in deo, quoniã adhuc confitebor illi,ſalutare uultus mei & deus meus. Ad me ipſum anima mea conturbata eſt, propterea memor ero tui de terra* Iordanis *& hermonijm à mõte modico.* A*byſſus*

abyſſum

abyſſum inuocat in uoce cataractarum tuarum. Omnia excelſa tua & fluctus tui ſuper me tranſierunt. In die mandauit dominus miſericordiam ſuam, & nocte canticum eius. Apud me oratio deo uitæ meæ, dicam deo ſuſceptor meus es. Quare oblitus es mei, & quare contriſtatus incedo dum affligit me inimicus. Dum confringuntur oſſa mea, exprobrauerunt mihi qui tribulant me inimici mei. Dū dicunt mihi per ſingulos dies, ubi eſt deus tuus, quare triſtis es anima mea, et quare cõturbas me. Spera in deo, quoniā adhuc confitebor illi, ſalutare uultus mei & deus meus.

COMMENTARIVM.

SIcut ceruus ſerpentinis carnibus paſtus, ueneno exæſtuans feſtinat ad fontes, ita ſerpentis antiqui paſtus conſilio feſtinat anima mea ad te deus. Et quia proiecisti me à facie tua per præuaricationē meam, nūc per pœnitentiā meam ſunt mihi lachrymæ panes die ac nocte dicēti, quando ueniam & parebo ante faciem dei? Patior enim inſultationes dæmonum dicentium mihi; ubi eſt ad cuius ſimilitudinem factus es? proiecit te de paradiſo ſuo. Ego autem credo quod ibi ingrediar in locū tabernaculi admirabilis, ubi factus eſt homo, nec ſolum ibi reuertar per Chriſtū, uerumetiam perueniam ad domum ipſius dei. Et qui inde proiectus ſum in uoce tribulationis, reuertar in uoce exultationis & confeſsionis ſonus epulantis. Noli ergo iam triſtis eſſe anima, ſed ſpera in deum, quia confitebor illi. Saluator uultus mei, id eſt, imaginis ſuæ recuperator erit deus meus, qui me à facie ſua, non ut ipſe uoluit proiecit, ſed ego à me ipſo animam

contur-

conturbaui, ego eam læſi à me ipſo, anima mea turbata eſt, & propter hoc memor ero nominis tui ad terrã Iordanis, ibi accipiam remiſsionem peccatorũ. Vbi abyſſus abyſſum inuocat. Filius patrẽ de profundo terræ, & fluminis, & apertis cataractis cœli deſcendente ſpiritu ſancto, pater appellat filium de altitudine cœlorum. Cum ergo altitudo ad altitudinem clamat, excelſa dei in me ingreſſa ſunt. Homo enim recuperatus eſt, non angelus, nõ aliqua alia creatura, quando in die mandauit dominus miſericordiam ſuam gratis in baptiſmo remittendo peccata, & ipſam miſericordiam ſuam mihi in tenebris peccatorum poſito, uelut in obſcuro noctis, ibi hãc eandem miſericordiã declarauit. Plus eſt enim miſericors in pœnitente, quàm in credẽte: ibi per baptiſmatis gatiam ſimplex eſt in dulgentia: hic geminatur, & ueluti duplici lumine declaratur: quando dicit homo cum lachrymis deo ſuſceptor meus es, quare me oblitus es, cum poſsis indulgendo ſuccurrere? Quare me repuliſti, cum poſsis expulſum & exulem ad patriam reuocare? Et quare triſtis incedo, cum poſsis læticiã reddere? Incedo, inquit triſtis, dum affligit me inimicus, dũ confringit omnia oſſa mea. Triſtitia enim animi, ait Salomon, exiccat oſſa. Ceſſa ergo triſtitia, & deſine conturbare me: ſpe enim ſaluus efficior, & erit ſalus uultus mei, reddens libertatem aſpectibus meis deus meus, qui regnat in ſecula ſeculorũ Amen.

In finem pſalmus Dauid. XLII.

IVdica me deus & diſcerne cauſam meã de gente non ſancta, ab homine iniquo et doloſo eripe me, Quia tu es deus fortitudo mea, quare me repuliſti, & quare

triſtis

triſtis incedo dũ affligit me inimicus. Emitte lucẽ tuã & ueritatẽ tuã, ipſa me deduxerũt & adduxerũt in mõtem ſanctũ tuum, & in tabernacula tua. Et introibo ad altare dei, ad deũ qui lætificat iuuentutẽ meam. Confitebor tibi in cythara deus deus meus quare triſtis es anima mea, & quare cõturbas me. Spera in deo, quoniã adhuc confitebor illi ſalutare uultus mei & deus meus.

COMMENTARIVM.

GEns non ſancta, cogitationũ peßimarum ſunt ſemina, quæ zizania in euangelio, à malo homine ſuper bonũ ſemen ſata naſcũtur. Ab hoc homine iniquo, id eſt, diabolo libera me, quia tu es deus fortitudo mea, noli me repellere à te, ut nõ triſtis incedam quando affligit me inimicus, ſed immitte lucem tuã & uince tenebras meas, mitte ueritatẽ tuam, & uince mendacia mea. Lux enim tua & ueritas tua, ipſæ me perducũt ad montem ſanctũ tuum, & in tabernacula tua, cum ingredi me feceris ad altare dei, ubi quamuis ſenectute confectus uenerim, ibi iuuenis fiã, ut quaſi infans confiteor in cythara domino deo meo: Iam noli triſtis eſſe anima mea, deſine cõturbare me, aufer à te deſperationẽ, et ſpera in deũ, quoniam confitebor illi. Salus enim uultus mei erit deus meus, qui regnat in ſecula ſeculorum Amen.

In finẽ pro filijs Chore intellectus pſal. Dauid. XLIII.

DEus auribus noſtris audiuimus, patres noſtri annunciauerunt nobis. Opus quod operatus es in diebus eorũ, & in diebus antiquis. Manus tua gentes diſperdidit & plantaſti eos, afflixiſti populos & expuliſti eos. Nec enim in gladio ſuo poſſederunt terram,

rum, & brachium eorum non ſaluabit eos. Sed dextera tua & brachiũ tuum & illuminatio uultus tui, quoniam complacuiſti in eis. Tu es ipſe rex meus & deus meus, qui mandas ſalutes Iacob. In te inimicos noſtros uentilabimus cornu, & in nomine tuo ſpernemus inſur gentes in nobis. Non enim in in arcu meo ſperabo, & gladius meus non ſaluabit me. Saluaſti enim nos de affligentib. nos & odientes nos confudiſti. In deo laudabimur tota die, & in nomine tuo confitebimur in ſeculum. Nunc aũt repuliſti nos & cõfudiſti nos, & nõ egre dieris deus in uirtutib. noſtris. Auertiſti nos retrorſum poſt inimicos noſtros, & qui oderũt nos diripiebãt ſibi.

Dediſti nos tanquã oues eſcarum, & in gentibus diſper ſiſti nos. Vendidiſti populum tuũ ſine precio, & nõ fuit multitudo in commutationibus eorum. Poſuiſti nos opprobrium uicinis noſtris, ſubſannationem & deriſum his qui ſunt in circuitu noſtro. Poſuiſti nos in ſimi litudinem gentibus, commotionem capitis in populis. Tota die uerecundia mea contra me eſt, & confuſio faciei meæ cooperuit me. A uoce exprobrantis & obloquentis, à facie inimici & perſequentis. Hæc omnia uenerunt ſuper nos nec obliti ſumus te, & inique non egimus in teſtamento tuo. Et nõ receßit retro cor noſtrũ, & declinaſti ſemitas noſtras à uia tua. Quoniam humiliaſti nos in loco afflictiõis, et cooperuit nos umbra mortis. Si obliti ſumus nomẽ dei noſtri, & ſi expandimus manus noſtras ad deũ alienũ. Nonne deus requiret iſta, ipſe .n. nouit abſcõdita cordis. Quoniã propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis.

Exurge

Exurge quare obdormis domine, exurge & ne repel-las in finem. Quare faciam tuam auertis, obliuiſceris inopiæ noſtræ & tribulationis noſtræ. Quoniam hu-miliata eſt in puluere anima noſtra, conglutinatus eſt in terra uenter noſter. Exurge domine adiuua nos, & re dime nos, propter nomen tuum.

COMMENTARIVM.

TRia genera hoſtium Chriſtiano inſurgunt: unum genus diaboli & dæmonum eius: aliud perſecuto rum: tertium quod commune eſt omnibus barbà ricæ feritatis. Sed tota tria genera non arcu noſtro nec brachio noſtro ſuperantur, ſed dextera dei & illumina-tione uultus eius; de quo patres noſtri narrauerunt no-bis. Quomodo manus illius eiecit gentes, & plantauit ea os. Sicut ergo illi non in gladio ſuo poſſederunt terram, ſic & nos non in uirtute noſtra confidētes terram noſtri corporis poßidemus, ſed tu ſaluas nos ex affligētib. nos, ſiue regibus perfidis, ſiue dæmonijs, ſiue (ut dixi) hoſti-bus uſitatis, quia damur eis pro peccatis noſtris, uelut oues eſcarum: ſed ſi exclamemus, dicentes: Hæc omnia ue nerunt ſuper nos, & obliti non ſumus te domine, Aut ſi obliti ſumus nomen dei noſtri, aut ſi expandimus manus dijs alienis, tu uerus deus require iſta, qui optime noſti occulta cordis, Pro deo patitur, quidquid aduerſi ſuſti-nuerit omnis ſanctus. Quia ſicut qui pecunias multas ha bet, ſi paſſus fuerit furis gladium, pro pecunijs ſuis paſ-ſus eſt: ita qui ſanctitatem in moribus obtinet, quicquid paſſus fuerit aduerſi, pro deo patitur, quæ ſumma eſt in-tegritas ſanctitatis: & patitur inimicum, ſiue perſecuto rem

rem fidei, ſiue perſecutorem mundi corporeum, ſiue per ipſum principem mundi & miniſtros eius. Tenentes ergo ſanctitatem, clamemus domino. Quoniam propter te morte afficimur tota die, rogamus, ut exurgas & non repellas nos in finem, ne obliuiſcaris inopiam noſtram, & tribulationem noſtram, quoniam humiliata eſt in puluere anima noſtra, adhæſit in terra uenter noſter. Quando enim corporalibus neceſſitatibus aggrauamur, uexatur in puluere anima noſtra. Dum autem uenter noſter terrenis dapibus adhæret, æternum nobis minatur interitum. Oſtẽdimus tibi uulnera noſtra, tu qui ſaluator es, exhibe uulnerib. medicamina. Nemo enim ab humilitate pulueris liberam habebit animam, niſi tu per inuiſibiles donaueris animæ contemptum pulueris corporalis. Nec habebit amorem ieiunij et orationis, ad contemnendum uentrem, qui terræ adhæret, niſi tu conceſſeris. Exurge domine adiuua nos & libera nos, propter hoc ipſum quod nominis tui ſplendore cenſemur, libera nos ab occupationibus pulueris, in quibus humiliatur anima noſtra, & ab aggrauatione uentris. Quia ſi harũ duarum ſpecierum nobis conceſſeris dona cõtemptum corporis & uentris, liberi erimus in Chriſto Ieſu domino noſtro, per quem & cum quo tibi eſt deo patri & ſpiritu ſancto honor & gloria in ſecula ſeculorum Amen.

In finẽ pro his qui cõmutabuntur filijs Chore ad intellectũ canticum pro dilecto. XLIIII.

ERuctauit cor meum uerbum bonũ, dico ego opera mea regi. Lingua mea calamus ſcribæ uelociter ſcribentis. Specioſus forma præ filijs homi

 num,

num, diffuſa eſt gratia in labijs tuis, propterea benedixit te deus in æternum. Accingere gladio tuo, ſuper fœmur tuum potentiſsime. Specie tua & pulchritudine tua, intende proſpere procede & regna. Propter ueritatem & manſuetudinem & iuſtitiam, & deducet te mirabiliter dextera tua. Sagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent in corda inimicorum regis. Sedes tua deus in ſeculum ſeculi, uirga directionis uirga regni tui.

D*ilexiſti iuſtitiam & odiſti iniquitatem propterea unxit te deus deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.*

Myrrha & gutta & caſsia à ueſtimentis tuis, à domibus eburneis ex quibus delectauerunt te filiæ regum in honore tuo. Aſtitit regina à dextris tuis in ueſtitu deaurato, circundata uarietate. Audi filia & uide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuum & domum patris tui, E*t concupiſcet rex decorem tuum, quoniam ipſe eſt dominus deus tuus & adorabunt eum.*

E*t filiæ Tyri in muneribus, uultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis. Omnis gloria eius filiæ regis ab intus, in fimbrijs aureis circumamicta uarietatibus. Adducentur regi uirgines poſt eam, proximæ eius afferentur tibi. Afferentur tibi in lætitia, & exultatione, adducentur in templum regis. Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij, conſtitues eos principes ſuper omnem terram. Memores erunt nominis tui domine, in omni generatione & generatione. Propterea populi confitebuntur tibi in æternum, et in ſeculum ſeculi.*

COM-

COMMENTARIVM.

ERuctauit cor patris uerbum bonū, omnia per ipſum facta ſunt. Quia uniuerſa ſuum eum creatorem agnoſcunt. Regi ſuo opera ſua dicūt, hoc eſt, omnia quæ ſubſiſtimus et mouemur et ſumus opera tua. Lingua mea calamus eſt. Cuius calamus? Scribæ, inquit, uelociter ſcribētis. Quid turbāter, quid feſtināter linguæ prophetæ proferre uult, audiamus: Hoc, inquit uerbum quod pater eructauit, cuius omnia quæ ſumus opera ſumus, Speciosſus forma apparebit, & præerit filijs hominum, Speciosſus forma, id eſt, uirginea forma erit ortus eius. Et effuſa gratia à labijs eius egreditur, per quam benedictus erit in æternū. Et accingit gladium ſuū ſuper fœmur, ad amputandas omnes libidines. Oſtendens ſpeciem ſuam, id eſt, manifeſtans patrem, & pulchritudinem ſuā, id eſt, & ſpiritū ſanctum. Species enim filij pater eſt, & pulchritudo eius, ſpiritus ſanctus: & in his intendit & proſpere procedit, & regnat propter ueritatē: propter hanc de cœlo deſcendit, quia perierat à filijs hominum: propter hanc procede, et regna propter ueritatem. Nec ſolum propter ueritatem, ſed & propter manſuetudinē, & propter iuſtitiam trinitas regnat. Pro his tribus ſpeciebus in Chriſto, propter ueritatem, pater ueritatis eſt: Propter manſuetudinē filius, qui exinaniuit ſeipſum, & cum eſſet æqualis patri, formā ſerui ſuſcepit, in qua ſpecioſus apparuit: & propter iuſtitiam eius ſpiritus ſanctus. Sic enim dicit ad Ioannem cum baptizaretur, Sic decet nos implere omnē iuſtitiā. Et his dictis aperti ſunt cœli, & in ſpecie columbæ uenit in eū ſpiritus ſanctus. Poſt

hæc deduxit eum mirabiliter dextera eius, ex qua cæcos illuminabat, infirmos curabat, mortuos ſuſcitabat. Sagittæ autem eius acutæ, omnibus notum eſt, ſic ut ipſi mundi amatores pingerent ſibi ſpiritum immundum in ſpecie cupidinis, intendentis arcum, & exprimentis ſagittas, in amorem libidinis uulnerantes. Ita ergo hic noſter exprimet ſagittas acutas potētiſſimas in amore regni cœlorum, ita ut renunciēt homines & patrem & matrem, & omnia quæ poſſident. Inſuper & ſeipſos abnegent & ſequantur eum. Iſtæ ſagittæ amicos regis liberant, inimicos regis occidunt. In corde enim percutiuntur, ubi eorum ſuggeſtiones inueniunt. Cum enim obtinuerint iſtæ ſagittæ in corde noſtro uictoriam, tunc ſedem Chriſti in mente noſtra ſuſcipimus, & uirgam rectam, hoc eſt, regulam rectæ fidei, uirgam regni eius appetimus, in qua ſub diſciplina agentes diligimus iuſtitiam, & odimus iniquitatem: eum ſcilicet imitantes quem unxit deus oleo lætitiæ præ cōſortibus ſuis. Sicut enim ſpecioſus forma præ filijs hominum in carne natus apparuit, ſic unctus chriſmate præ omnibus Chriſtus Ieſus apparuit. Multi filij hominum ſancti ab Abel uſq; ad Chriſtum, ſed nullus ex uirgine natus. Nullus hac ſpecie æditus, hac forma manifeſtatus: Quis, inquit, erit ſimilis deo inter filios dei? ut ſubaudiamus, illi gratia filij, hic natura: & multi Chriſti unctione olei, hic autem angelis adorantibus, ſtellis indicantibus, prophetis præconantibus, Ioanne metuēte, cœlis apertis, patre de cœlis clamante, ſpiritu ſancto adueniente de cœlis, & in eo manente, Chriſtus eſt præ omnibus participibus, quibus hoc comparticipatus eſt nomē.

Myrrha & gutta & Caßia à ueſtimentis eius. Myrrha in aſſumptionem corporis. Gutta cum attactu ueſtimentorum eius homines ſaluabantur. Caßia cum odor uitæ credentibus probabatur. Contra hoc uenit, ut dicatur, et Iudas ueſtimentum eius tetigit & perijt. Milites autem etiam poßiderũt ueſtimentum eius. Et pro hoc ipſum ad interitum ſunt deuoluti. Quomodo ergo odore ueſtimẽtorum eius ſalus animæ gignebatur. Audi Apoſtolum dicentem: Alijs quidem odor uitæ in uitam, Alijs uero odor mortis in mortẽ. Sanè illud conſiderandum eſt, quòd domus eum eburneæ delectant. Eburnea domus eſt corpus caſtum, in qua tinea nõ facit ullam libidinem peccati. Vnde animæ dicitur, in cuius poteſtate datum eſt corpus: Audi filia & uide, inclina aurem tũam his uerbis, ut obliuiſcaris populum tuum, id eſt, exempla peccantium, & domum patris tui, id eſt, imitationem Adæ patris tui ſecundum carnem. Quare hoc? Quia cõcupiuit rex decorem tuum. Quis iſte rex eſt? Quem adorant, inquit, filiæ Tyri in muneribus. Si enim Tyrus, quæ ſuperſtitioſior cæteris ciuitatib. ſemper fuit, dat adorantes animas Chriſto, & munera offerentes, quanto magis uultum eius adorabunt omnes diuites plebis? Sanè gloriam omnem quã in gemmis reginæ circunferũt extrinſecus ad uidendum hominibus, hic omnem gloriam filiæ regis ab intus eſſe uult in penetralibus mentis, ibi eam uult in fimbreis aureis circundari uarietate uirtutum. Tunc adducẽtur uirgines, incorrupta fides, patientia, prudentia, & proximæ earum adducentur in lætitiam & exultationem, ut intrẽt in templum regis. Vbi pro duodecim patriarchis,

nati ſunt deo filij alij duodecim, quos conſtituit princi-pes Ieſus, ſuper omnem terram, memores nominis ſui in omni gente, cum eis diceret, baptizate omnes gentes. Propterea populi confitentur deo in æternum, & in omnia ſecula ſeculorum Amen.

In finem filijs Chore pro arcanis. XLV.

DEus noſter refugium & uirtus, adiutor in tribulationibus quæ inuenerunt nos nimis. Propterea non timebimus dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris. Sonuerunt & turbatæ ſunt aquæ eorum, conturbati ſunt montes in fortitudine eius. Fluminis impetus lætificat ciuitatem dei, ſanctificauit tabernaculum ſuũ altiſsimus. Deus in medio eius non commouebitur, adiuuabit eam deus mane diluculo. Conturbatæ ſunt gentes, & inclinata ſunt regna, dedit uocem ſuam mota eſt terra. Dominus uirtutum nobiſcum ſuſceptor noſter deus Iacob. Venite & uidete opera domini quæ poſuit prodigia ſuper terram, auferens bella uſq; ad finem terræ. Arcum cõteret & confringet arma, & ſcuta comburet igni. Vacate & uidete, quoniam ego ſum deus, exaltabor in gentibus & exaltabor in terra. Dominus uirtutum nobiſcum, ſuſceptor noſter deus Iacob.

COMMENTARIVM.

QVando in lachrymis & in animi tribulatione fuderis orationem deo, ſecurus eſto quod deus tibi & refugium fit, & uirtus efficitur. Incipis non timere dum conturbatur terra corporis tui. Quia transferuntur montes Apoſtoli domini, altitudinem eius prædicantes.

dicantes. Ipſi transferuntur, in corde maris, in mentibus ſeculi fluctuantis, quantumuis ſonent & turbētur aquæ eius, & conturbentur etiam ipſi montes, id eſt, Apoſtoli in fortitudine eius, id eſt, in paßione eius quantáuis pec cata ſint quæ conturbent animas, & prædicantibus Apo ſtolis, hi qui peccatorum opprimuntur conſcientia, tribulentur: unus impetus Iordanis dat remiſſam peccatorum, & lætificat ciuitatem dei, cum ſanctificat tabernaculum corporis tui ſpiritus ſanctus. Deus iam in te non commouebitur, cum adiuuat animam tuam deus aſpectu ſuo. Hebræus dicit: Adiuuauit eam deus mane diluculò, id eſt, cum tenebræ peccatorum per fluminis impetum tranſierint, deus qui lux eſt, initium lucis dat in cor eius, & adiuuat eam, id eſt, animam quæ dicit: Dominus uirtutum nobiſcum, ſuſceptor noſter deus Iacob. quantumcunq; conturbentur gentes, id eſt, idola colentes aduerſus martyres domini, quantumuis inclinentur regna ad perſecutionem eorum, dat uocem ſuam altißimus in corde eorum, & ita mouetur terra corporis eorum, ut penitus non timeant eos qui occidunt corpus: timentes autem illum qui & animā & corpus poteſt perdere in gehennam, ita contemnūt animas eorum, ut paßionibus ſuis arcus eorū conterāt, & arma eorū confringāt. Qui hoc faciunt? qui uacant ab omnibus mundi curis, & uident, quoniam ipſe eſt deus qui negatur à gentibus, qui à Iudæis crucifigitur, hic noſter refugiū, hic noſter uirtus, hic noſter adiutor, hic deus uirtutū, hic ſuſceptor noſter eſt, qui eſt etiā deus Iacob regnās cū patre & ſpiritu ſancto nunc & ſemper, & in omnia ſecula ſeculorū Amen.

In finem pro filijs Chore, pſalmus Dauid. XLVI.

OMnes gentes plaudite manibus, iubilate deo in uoce exultationis. Quoniam dominus excelſus terribilis rex magnus ſuper omnem terram. Subiecit populos nobis, & gentes ſub pedibus noſtris. Elegit nobis hæreditatem ſuã, ſpeciem Iacob quam dilexit. Aſcendit deus in iubilo, & dominus in uoce tubæ. Pſallite deo noſtro pſallite, pſallite regi noſtro pſallite. Quoniã rex omnis terræ deus, pſallite ſapiẽter. Regnabit deus ſuper gẽtes, deus ſedet ſuper ſedem ſanctam ſuam. Principes populorũ cõgregati ſunt cum deo Abraham, quoniã dij fortes terræ uehemẽter eleuati ſunt.

COMMENTARIVM.

OMnes gentes plaudite manibus. Sicut in aduentu diaboli omnibus gentibus planctus indictus eſt: Audiuimus enim uocem de cœlo dicentem, uæ terræ & mari, quia proiectus eſt diabolus ad uos, ita in aduẽtu domini Ieſu in uoce exultatiõis dicitur: Omnes gẽtes plaudite manibus, deus enim ſummus, deus terribilis, qui eſt magnus ſuper omnẽ terram, hic ſubiecit populos nobis. Hoc Apoſtoli dicũt: Subiecit populos nobis, & gentes ſub pedibus noſtris. Quando hoc fecit? Quando elegit nobis hæreditatẽ ſuam in ſpecie Mariæ, quam dilexit ſpiritus ſanctus, tunc aſcendit in ſtrepitu & in uoce tubæ. Herodes turbatur, paſtores terrẽtur, magi fugiũt, infantes occiduntur, angeli pſallunt, dicẽtes: Gloria deo in excelſis: qui dicunt paſtoribus, quia ecce regnat deus ſuper omnes gentes, deus ſedet ſuper ſedem ſanctã ſuam. Si ſedes eius ubicunque uirginitas illibata fuerit, quanto

magis in Maria? Principes populorū conuenerunt cum deo Abraham. Principes hoc loco angelos indicat, qui cum deo Abraham ad Mariam conuenerunt, quando gloriam cecinerunt. Vt quid autem natus ſit rex magnus, & ut quid conuenerint principes cum deo Abraham, audiamus: Ideo, inquit, conuenerunt, quia dij fortes terræ in ſuperſtitionibus ſuis, & in templis ſuis nimium eleuati ſunt, ut his expulſis atque deiectis, regnet Dominus Ieſus Chriſtus ſuper omnes gentes in ſecula ſeculorum, Amen.

Pſalmus cantici filijs Chore ſecunda ſabbati. XLVII.

MAgnus dominus & laudabilis nimis, in ciuitate dei noſtri in monte ſancto eius. Fundatur exultatione uniuerſæ terræ, mons Syon latera Aquilonis ciuitas regis magni. Deus in domibus eius cognoſcetur cum ſuſcipiet eam. Quoniam ecce reges terræ congregati ſunt, conuenerunt in unum. Ipſi uidentes ſic admirati ſunt conturbati ſunt, commoti ſunt, tremor apprehendit eos. Ibi dolores ut parturientis, in ſpiritu uehementi conteres naues Tharſis. Sicut audiuimus, ſic uidimus in ciuitate domini uirtutum, in ciuitate dei noſtri, deus fundauit eam in æternum. Suſcepimus deus miſericordiam tuam, in medio templi tui. Secundum nomen tuum deus ſic & laus tua in fines terræ, iuſtitia plena eſt dextera tua, Lætetur mons Syon, et exultent filiæ Iudæ, propter iudicia tua domine. Circumdate Syon & complectimini eam, narrate in turribus eius. Ponite corda ueſtra in uirtute eius, & diſtribuite

domos eius, ut enarretis in progenie altera. Quoniam hic eſt deus noſter in æternum, & in ſeculum ſeculi, ipſe reget nos in ſecula.

COMMENTARIVM.

M*Agnus dominus & laudabilis nimis.* Laus domini pro diuerſitate donorum eius & operũ eſt prædicanda. Laudatur in ſanctis, laudatur in donis cibi carnalis & ſpiritualis: laudatur in fabrica mundi, & in diuerſis, ut diximus, largitionibus ſuæ inæſtimabilis pietatis. In iſto autẽ pſalmo qua de cauſa laudatur? Quia dilatauit, inquit, exultationem uniuerſæ terræ à monte Syon, à latere Aquilonis: ibi eſt ciuitas magni regis, ciuitas Bethleem. In huius ciuitatis grauibus, id eſt in his qui nulla ſunt leuitate ſuperflui, in his cognitus eſt Dominus, quando ſuſcepit eam. Quam eam? Exultationem utiq;, quam dilatauit omni terræ. In grauibus uſque hodie cognoſcitur dominus, Sicut enim ſi uideas aliquem leuem & uanum, ibi cognoſcis diabolum: ſic ſi quem uideris grauitate conſpicuum, ibi cognoſcis dominum Ieſum Chriſtum. Sicut tũc cognitus eſt in grauibus, in Mariæ integritate, & in Ioſeph caſtitate. Statim autem ut in his cognitus eſt, reges terræ turbati ſunt. Venerunt enim principes ſacerdotum & ſcribæ populi ad regem, & ad ſtellæ indicium interrogati, dixerunt natum Chriſtum in Bethleem Iudæ: Tunc, inquit, rex turbatus eſt, & omnis Hieroſolyma cum eo. Etiam ipſi uidentes ſtellam tunc admirati ſunt, & tremor apprehendit eos, ita ut admoniti in ſomnis non redirent ad Herodem regem. Miſit autem rex, & occidit omnes infantes, & ibi matres eorum

rum dolebant in nece eorum, ſicut parturientes doluerant. Dolebant *autem in ſpiritu uehementi. Contritæ ſunt etiam naues* Tharſis. *Etymologiam fecit naues Tharſis nominando, quod tempore quo non eſt inuentus* Dominus, *& infantes occiſi ſunt, etiam nauigia regio ſunt iuſſu uexata, quibus magi, qui non redierant ad regem credebantur fugere potuiſſe.* Nos *autem ſicut audiuimus ab eis natum* Regem: *ita & uidimus in ciuitate* Dei *noſtri, quam fundauit* Dominus *in æternum. Ibi ſuſcepimus* Deus *miſericordiam tuam, in medio templi tui ſecundum nomen tuum, quo ſaluator diceris, ita & laus tua in fines terræ. iuſticia enim plena eſt dextera qua nos dignaris eruere, & diabolum ſubiugare: quo facto lætatur mons* Syon, *lætatur* Eccleſia, *& exultant filiæ* Iu*dæ, omnes animæ ex utero eccleſiæ iterata natiuitate progenitæ, propter iudicia tua* Domine, *quibus hoc iudicaſti, ut diabolum ſubiugares, & animas hominum liberares.* Nunc *uos ò animæ liberatæ & iterum genitæ, circumdate matrem ueſtram* Syon, *& duorum teſtamentorum plena lactibus ubera ſugite, narrate in turribus eius miſericordiam, quam conſecuti eſtis.* In *turribus qui ſunt ciuitatem defendunt, & hoſtibus reſiſtunt.* Ponite *corda ueſtra in uirtute eius. Conſiderate qua uirtute pro uobis pugnat, & diſtribuite gradus eius, unumquemq; pro ſuo merito facite ad gradum accedere, ut illi iuſte* Epi*ſcopatus ſedem, illi iuſte presbyterij gradum tradas. Sic diſtribuite gradus eius, ſine pecunia, ſine acceptione perſonæ, ut enarretis in progenie altera. Quia hic eſt* Dominus Deus *noſter, qui regnat cum patre & ſpiritu*

ritu ſancto filius dei, ipſe reget nos in ſecula, Amen.

In finem pro filijs Chore pſalmus Da- uid. XLVIII.

AVdite hæc omnes gentes, auribus percipite omnes qui habitatis orbem. Quiq; terrigenæ et filij hominum, ſimul in unum diues & pauper. Os meum loquetur ſapientiam, & meditatio cordis mei prudentiam. Inclinabo in parabolam aurem meam, aperiam in pſalterio propoſitionem meam. Cur timebo in die mala, iniquitas calcanei mei circundabit me. Qui confidunt in uirtute ſua, & in multitudine diuitiarum ſuarum gloriantur. Frater non redimit, redimet homo, non dabit deo placationem ſuam. Et precium redemptionis animæ ſuæ, & laborabit in æternũ, & uiuet adhuc in finem. Non uidebit interitum cum uiderit ſapientes morientes, ſimul inſipiẽs & ſtultus peribunt. Et relinquent alienis diuitias ſuas, & ſepulchra eorum domus illorum in æternum. Tabernacula eorum in progenie et progenie, uocauerunt nomina ſua in terris ſuis. Et homo cum in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Hæc uia illorum ſcandalum ipſis, et poſtea in ore ſuo complacebunt. Sicut oues in inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos. Et dominabuntur eorum iuſti in matutino, & auxilium eorum ueteraſcet in inferno à gloria eorum. Veruntamen deus redimet animam meam de manu inferi, cum acceperit me. Ne timueris cum diues factus fuerit homo, & cum multiplicata fuerit gloria domus eius. Quoniam cum interierit non

ſumet omnia, neq; deſcendet cum eo gloria domus eius. Quia anima eius in uita ipſius benedicetur, confitebitur tibi cum beneſeceris ei. Introibit uſq; in progenies patrum ſuorum, & uſq; in æternum non uidebit lumen. Homo cum in honore eſſet nõ intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.

COMMENTARIVM.

Sola Chriſti uox omnes uocat ſimul in unum, excluſa omni acceptione perſonæ, diuitem & pauperem, nobilem & ignobilem, nec omnem omnino terrenum apicem dignitatis excludens, omnes inuitat, ex æquo aperiens in pſalterio propoſitionem ſuam, oſtendens quid timendum ſit nobis in die mala. Ne iniquitas, inquit, calcanei circundet me. In ſe dicit, quod in te timeas. Calcaneus finem corporis notat, ad ipſum ſerpens attendit, ibi inſidiatur. Hoc ſolum timẽdum eſt omnibus, ne in fine ſuo iniquitate ſua capiantur. In quo enim opere quis inuentus fuerit in fine, in eo erit uſque in ſempiternum. Vos autem qui confiditis in uirtute ueſtra, & in abundantia diuitiarũ gloriamini, hoc ſciatis, quod nullus uos ab interitu redimat, non pater, non mater, niſi homo Chriſtus Ieſus, qui dedit ſeipſum redemptionem pro omnibus, Nullus ueſtrum dabit Deo portionem ſuam, precium redemptionis animæ ſuæ, ut laboret in æternum, & uiuat in finem, & non uideat interitum, cum uiderit, ſapientes morientes. Si enim omnes illi magni & opinati, & ſapientiſſimi mortui ſunt, quomodo non inſipientes peribunt, qui congregant diuitias, & miſeri dum poſſunt egentibus dare, nolunt. Hi relinquent alie-

nis

*nis diuitias ſuas:*Nam *& cum plures domos habeant,ſe-pulchra tantum erunt domus eorum in æternum.* Miſer homo *, hoc dum in corpore eſt non intelligit, dum quaſi pecus cœperit mori, ſimilis erit illis,* Interim *in hac uia in qua uiuunt,monita ſancta ſcandalum ſunt illis,poſtea in ore ſuo benedicent. Cum ſicut oues in inferno poſitos,mors depaſcitur,tunc dominabuntur eis iuſti in matutino tẽpore,quo lux reſurrectionis inchoauerit, quando glorioſi à gloria ſua expulſi parebunt, tunc* Deus *liberat animam meam de manu inferni.accipiens me.* Nõ *ergo timeas paupertatem tuam,cum diuitias attendis alienas, quas bene noſti hic à moriente derelinquendas.* Non *enim quando moritur ſecum tollit omnia,neque ſimul deſcendit cum eo gloria domus eius.* Anima *deniq; eius ab adulatoribus in uita ipſius benedicetur.*Poſt *hæc confitebitur* Deo *inuitus, quod eius bonitate multa habuerit, multa potuerit, pœnitens quod cum poſſet inopes iuuare, noluerit.* Et *quia ſera confeſſio fructum indulgentiæ non capit,tempore quo progenies ingreditur patrem ſuorum,iam utique depoſito corpore,uſq; in æternum non uidebit lumen.* Quare? Quia *cum eſſet in corpore iſta non intellexit, modo comparatus iumentis inſipientibus, ſimilis factus eſt illis.* In *quo tamen honore fuerit,ſi forte requiris,ſimilis* Deo *fuit, & nunc ſimilis eſt iumentis inſipientibus,* Non *enim habens in ſe ſimilitudinem* Dei*, non uidebit lumen, ſed amiſſa ſimilitudine* Dei*, dum cœperit quaſi pecus uentri & libidini inſeruire.* Similis *pecoribus iam factus, ita uilis erit* Deo*, quàm uile eſt pecus.* Et *ideo ſic intrat progenies mor-*

mortuorum in peccatis ſuis, quos hic in iſta uita imitarus, quia ibi ſunt patres eorum, non quorum ſunt ſemine propagati, ſed quorum ſunt opera imitati. Denique Iudæi cum filij Abrahæ eſſent: dicit eis Dominus: Si filij Abrahæ eſſetis, opera Abrahæ faceretis. Vide & quid adiecit: Vos ex patre diabolo eſtis, opera enim patris ueſtri uultis facere. Sic ergo hic intrat in progenies patrum ſuorum, uſque in æternum non uidebit lumen. Seruantes autem ſimilitudinem Dei, & non ea abiecta, ſimilitudinem in ſe pecorum ſumentes, uenient ab oriente, & occidente, & recumbent cum Abraham, & Iſaac, & Iacob in regno patris & filij & ſpiritus ſancti, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Pſalmus Aſaph. XLIX.

DEus deorum Dominus locutus eſt, et uocauit terram. A ſolis ortu uſq; ad occaſum, ex Syon ſpecies decoris eius. Deus noſter manifeſte ueniet, Deus noſter & non ſilebit. Ignis ante ipſum præcedet, & inflammauit in circuitu eius tempeſtas ualida. Aduocauit cœlum deſurſum, & terram diſcernere populum ſuum. Congregate illis ſanctos ſuos, qui ordinent teſtamentum eius ſuper ſacrificia. Et annunciabant cœli iuſtitiam eius, quoniam Deus iudex eſt. Audi populus meus & loquar Iſrael, & teſtificabor tibi Deus, deus tuus ego ſum. Non in ſacrificijs tuis arguam te, holocauſta autem tua in conſpectu meo ſunt ſemper.

Non accipiam de domo tua uitulos, neque de gregibus tuis hircos. Quoniam meæ ſunt omnes feræ ſiluarum, iumenta in montibus & boues. Cognoui omnia

uolati-

uolatilia cœli,& pulchritudo agri mecum eſt. Si eſu-riero non dicam tibi,meus eſt enim orbis terræ,& pleni tudo eius. Nunquid manducabo carnes taurorũ, aut ſan guinem hyrcorum potabo. Immola Deo ſacrificium laudis,& redde altiſsimo uota tua. Et inuoca me in die tribulationis,eruam te & honorificabis me. Peccato ri autem dixit deus,quare tu enarras iuſtitias meas,& aſ ſumis teſtamentum meum per os tuum? Tu uero odi-ſti diſciplinam, & proieciſti ſermones meos retrorſum.

Si uidebas furem currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas. Os tuum abundauit mali-cia, & lingua tua concinnabat dolos. Sedens aduer-ſus fratrem tuum loquebaris,& aduerſus filium matris tuæ ponebas ſcandalum, hæc feciſti & tacui. Exiſtima ſti inique quòd ero tui ſimilis,arguam te & ſtatuam con tra faciem tuam. Intelligite hæc qui obliuiſcimini de-um,ne quando rapiat & non ſit qui eripiat. Sacrifi-cium laudis honorificabit me, & illic iter quo oſtendam illi ſalutare dei.

COMMENTARIVM.

DEus non nomen eſt dei,ſed indicium, quo ſuperi us aliquid indicari humana lingua non poſsit. Quod nomen participare uolens cultoribus ſu is,hoc eos fecit nomine uocitari, ut ipſe quidem cum ſit deus deorũ,qui ſeruiendo ei hoc meruerint nomine nun cupari. Quando ergo locutus eſt pater? Aut quando uo cauit terram? Tunc ſine dubio, quando ex Syon ſpecies decoris apparuit. Ipſe tunc manifeſte ueniet iudicare ſe-culum per ignem. Ignis deniq; in conſpectu eius ardebit,

&

& circa eum erit tempeſtas ualida, Tunc congregabuntur Apoſtoli *& martyres, & orthodoxi, quiq; doctores, qui ordinant teſtamentum eius ſuper ſacrificia, in præſenti erunt monitores, doctores* Apoſtoli. *Ipſi ſunt cœli, qui narrant gloriam* Dei. *Tunc ergo cum* Deus *iudex eſſe cœperit annunciabunt hi omnes iuſticiam eius, qui prædicant nunc miſericordiam eius. Audi ergo hoc populus meus, audi & loquar.* Tunc *teſtificor te me uenturum eſſe ad iudicandum, qui nunc ueni ad redimendum.* Ego *utiq;* Deus *tuus, non æſtimes, quia in ſacrificijs arguam te, obedientiam uolo magis quàm ſacrificium. Præcepta mea cuſtodiri ſuper ſacrificia ſtatui.* Non *enim manducabo carnes taurorum, aut ſanguinem hyrcorum potabo, quicquid ambulat & uolat, meum eſt. Quid mihi meum pro tuo porriges?* Hoc *tuum eſt, ſi puro corde mihi laudes effundas, & reddas mihi uotum, quod in baptiſmate poſitus deuouiſti, quo te renunciaturum diabolo ſpopondiſti, & mea promiſiſti ſeruaturum te eſſe mandata. Hoc dum feceris, inuoca me in die tribulationis, tempore quo de iſto corpore exies: & eripiam te de manibus dæmonum, & magnificabis me in donis meis. Tu autem qui lucra ſectando gradum ſacerdotij, aut tu qui gloriam humanam deſideras, aut qui in furto participaris, & ſi ipſe adulter non es, tamen cum adulteris uiuis: Quare tu enarras iuſticiam meam dicit dominus, cũ aduerſus fratrem tuum detrahas, & ſcandalum ponas?* An *taciturnitatem meam contemnens, ſperas me tibi eſſe ſimilem?* Ego *arguam te, & ſtatuam hæc ante faciem tuam. nolite obliuiſci, domino quod promiſiſtis reddite, ne*

rapiat ſicut leo, & non ſit qui eripiat. Finis itaq; ſemper ante oculos eſt habendus: & in dei laudibus permanendum. Ibi enim eſt iter, in quo oſtenditur ſalutare dei, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Pſalmus in finem Dauid quando uenit ad eũ Nathan propheta quãdo intrauit ad Berſabeam. L.

MIſerere mei deus, ſecundum magnam miſericordiam tuam. Et ſecundum multitudinem miſerationum tuarum, dele iniquitatem meã. Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatũ meum contra me eſt ſemper. Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci, ut iuſtificeris in ſermonibus tuis & uincas cum iudicaris. Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, et in peccatis concepit me mater mea. Ecce enim ueritatem dilexiſti, incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi. Aſperges me domine hyſopo & mundabor, lauabis me, & ſuper niuem dealbabor. Auditui meo dabis gaudium & læticiam, & exultabunt oſſa humiliata. Auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. Cor mundum crea in me deus, et ſpiritum rectum innoua in uiſceribus meis. Ne proijcias me à facie tua, & ſpiritũ ſanctum tuum ne auferas à me. Redde mihi læticiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me. Docebo iniquos uias tuas, & impij ad te conuertentur. Libera me de ſanguinibus deus, deus ſalutis meæ, & exultabit lingua mea iuſtitiam tuam. Domine labia mea aperies

ries, & os meum annunciabit laudem tuam. Quoniã ſi uoluiſſes ſacrificium dediſſem, utiq; holocauſtis nõ delectaberis. Sacrificium deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum deus non deſpicies. Benigne fac domine in bona uoluntate tua Syon, ut ædificentur muri Hieruſalem. Tunc acceptabis ſacrificium iuſticiæ oblationem & holocauſta, tunc imponent ſuper altare tuum uitulos.

COMMENTARIVM.

Quãdo uenit Nathan propheta ad regem Dauid, non inchoauit peccatũ arguere, ſed cœpit iudicium flagitare, dicens: Audiui te habentem greges ouium & armenta multa, ſublatam unam ouiculam pauperi, ipſam ſolam habenti. Queſtus iudici regi dedit rex ſententiam, dignum eſſe morte eum, qui fecit hanc rem. Tunc Nathan: Tu es, inquit, uir qui feciſti hanc rem. Vriam Ecetheum occidiſti, & uxorem eius accepiſti. Hæc dicit dominus, non recedet gladius de domo tua in æternũ. Inuenit reum ſententia, & rex ſub accuſatore poſitus, depoſita poteſtate, ſuo iudicio condemnatur. Deus enim uenit ad eum abditus in Nathan, occultus in propheta, & ipſe per prophetam poſtulauit iudicium homo, uicit deus. Deus enim iuſtificatus eſt in ſermonibus ſuis, quibus ab homine flagitauit ſententiam, iudicauit ſententia inter deum iraſcentem, & hominem delinquentem, & uicit deus iudicatus ab homine. Dixit enim homo: Dignus eſt morte uir qui fecit hanc rem. Deus ergo qui hanc uolebat in reum promulgare ſententiam, uenit ad iudiciũ, ut ſi iudicatum fuiſſet non debere hoc factum ulciſci, nõ

iuſtificaretur in ſermonibus ſuis, & non uinceret iudicatus. At ubi dictum eſt, morte dignus eſt uir qui fecit hanc rem, deus qui uenerat ad iudicium iudicandus, iuſtificatus eſt in ſermonibus ſuis, & uicit dum iudicatur. Videamus nunc quid egit uictoria dei, tenuit imperatorem captiuum, et tradidit ſententiæ reum. Reus ad clementiam conuolat, & exuens ſe purpura, induit ſe cilicio, cinerẽ tanquam panem manducans, & potum ſuum lachrymis miſcens: Oſtende, inquit, domine, quibus factis mutetur ſententia. Si enim mihi in hac humilitate poſito dignatus fueris indulgere, etiam impij ad te conuertentur. Miſerere obſecro ſecundum magnam miſericordiam tuam, quoniam iniquitatem meam ego agnoſco. Agnoſco iuſte iratum te, iniuſte egiſſe me. Tibi ſoli peccaui omnis qui ſub iudicio uiuit. cum deliquerit, peccat deo, peccat et legibus mundi Hic autem rex ſub nullo alio niſi ſub Deo ſolo agens, ipſum ſolum ſuper poteſtatem ſuam metuẽs, deo ſoli peccauit Malum, inquit, coram te feci, non fugi à facie tua. Volui enim ut iudicares me delinquentem, potius quàm ligares me fugientem. In iniquitatibus conceptus ſum. Seruauit in confeſſione ſua creatoris bonũ.

Non enim dixit, cum iniquitatibus, aut cum peccatis genuit me mater mea, ſed in iniquitatib. conceptus ſum, & in peccatis genuit me mater mea. Dicendo enim matrem in ſuis iniquitatibus eum concepiſſe, & in peccatis ſeculi peperiſſe, ſignauit. Quia omne peccatum corde concipitur, & ore conſummatur. Hic autem qui naſcitur, ſententiam Adæ habet, peccatum uero ſuum non habet. Tu domine ueritatem dilexiſti. Tempore quo ego fal-

ſitatem

ſitatem compoſui,ut in grauiori pugna poneretur. Vri=as, hoc incertum & occultum in peccatis meis, quod e=rat in corde meo manifeſtaſti mihi, & ita manifeſtaſti mihi, ut ego contra meipſum proferrem ſententiam. Ve=rum quia aſperſione hyſopi purificationem fieri ſordi=um præcepiſti: Aſperges me hyſopo, & mundabor. La=uabis me & ſuper niuem dealbabor. Hoc fiet, ſi auditui meo dederis gaudium et lætitiam, cum dictum fuerit mihi: Paſtor ouium, nuncio tibi gaudium magnum, quia natus eſt hodie dominus ex ſemine Dauid ſecundum carnẽ. Ecce gaudium, per quod exultant oſſa humiliata, per quod auertis deus faciem tuam à peccatis meis, per quod omnes iniquitates meas deles, per ipſum cor mundum creas in me deus, per ipſum ſpiritum rectum innouas in uiſceribus meis, ut deſiderio ſpiritali, deſiderium carna=le excludam, & ita quicquid peruerſum eſt execrer, ut quicquid rectum coram te probatur amplectar. Hæc deprecantem, non me proijcias à facie tua, & ſpiritum ſanctum tuum ne auferas à me. Sed redde mihi lætitiam quã perdidi, & ſpiritum quem ad confirmandam indulgen=tiam tribuis, per ipſum confirma me. Tertio autem ſpiritum nominando trinitatem in unitate eſſe perdocuit. Cũ ergo, inquit, me confirmaueris, deinde indulgentiam tu=am docebo & ego iniquos, quia miſereris & indulges impijs pœnitentibus: & hæc audientes impij, per pœni=tentiam ad te conuertentur. Libera me de ſanguinibus. De hac utique ſententia qua dixiſti: Non recedet gladius de domo tua, libera me ab hac ſententia, ut exultet lin=gua mea iuſticiam tuam. Labia autem mea quæ à reatu

meo clauſa ſunt, tu ea aperies indulgentia tua, quibus apertis, os meum annunciat laudem tuam. Verum quia in *lege tua ſcriptum eſt, quod ſacrificium pro uno quoque peccato offerri debeat, nunc uero placari ſacrificijs non uis, quod utique ſi uelles offerrem: quia ergo his non delectaris, offero tibi in ſacrificio ſpiritum cõtribulatum, cor contritum & humiliatum, ut benigne facias in bona uoluntate tua ſuper* Syon, *ut auferas gladium ab ea, quẽ pro peccato meo conſtituiſti, ut non deſtruantur, ſed magis ædificentur muri* Hieruſalem. *Tunc tibi accepta erunt ſacrificia iuſticiæ in oblationibus ſpiritus contribulati, & in holocauſtis cordis humiliati.* Et *ſuper altare tuum imponentur uituli, id eſt, iuuenes qui cognoſcunt tibi luxuriam ita diſplicere, ut punias, & per lachrymas ſpiritus contribulati delictum eius indulgeas.* Hij *uituli qui inferiores uitijs luxuriæ erant, à ſemetipſis uoluntate ſuper altare tuum, id eſt, in altitudine caſti conſilij imponentur.* Quod *autem ſolam hiſtoriam tractauimus eius uerſiculi, quo iuſtificatur* Deus *in ſermonibus ſuis, & uincit dum iudicatur: hæc res licet in iudicio ſaluatoris impleta ſit,* Vicit *enim cum iudicatus eſt in paſſione ſua, & ſic uicit, ut obtineret omnem principatum, & poteſtatem, & uirtutem: tamen & quotidie iudicatur, ſed dum iudicatur uincit.* Dicere *enim ſolemus:* Vt *quid mihi ſic fecit* Deus? Quare *hoc?* Ecce *iniqui regnant, iuſti affliguntur, uincit cum iudicatur.* Vt *medicus qui deſperatis iubet ad uelle ſeruiri, & omnia quæ deſiderant, præcipit non negari.* Quos *autem ſcit poſſe ſaluari, iubet eos artari, amaris potionibus potari, ferro ſecari,*

calle

cauteriari. Sic fiet, ut dum ſaluati fuerint abſtinentes, & mortui fuerint deſiderijs proprijs acquieſcentes, iuſtificabitur medicus in ſermonibus ſuis. Dicetur ei: Nos te *iniuſte culpabamus dum ligares, dum ſecares homines bonos, & malos nec ſecares, nec affligeres, inſuper etiam permitteres ſuis deſiderijs frui.* Huc accedit, ut dicamus de Deo, *quia quem diligit* Dominus *corripit*. Sed rogemus ut *corripiat nos iuſtus in miſericordia ſua, ut iudicia eius adiuuent nos, per dominũ noſtrum* Ieſum Chriſtum, *qui regnat in ſecula ſeculorum*, Amen.

In finem intellectus Dauid, *cum uenit ad eum* Doech *Idumeus & nunciauit* Sauli, *uenit* Dauid *in domum* Abimelech. LI.

Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? Tota die iniuſtitiam cogitauit lingua tua, ſicut nouacula acuta feciſti dolum. Dilexiſti *malitiam ſuper benignitatem, iniquitatem magis quàm loqui æquitatem.* Dilexiſti *omnia uerba præcipitationis, lingua doloſa.* Propterea *deus deſtruet te in finem, euellet te & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra uiuentium.* Videbunt *iuſti et timebunt, & ſuper eum ridebunt & dicent, ecce homo qui non poſuit deum adiutorem ſuum.* Sed *ſperauit in multitudine diuitiarum ſuarũ, & præualuit in uanitate ſua.* Ego *aũt ſicut oliua fructifera in domo dei, ſperaui in miſericordia dei in æternum, & in ſeculum ſeculi.* Confitebor *tibi in ſeculum quia feciſti, & expectabo nomen tuum, quoniam bonum in conſpectu ſanctorum tuorum.*

COMMENTARIVM.

FVgiens David à facie Saulis, uenit ad Abimelech ſacerdotem, & panes ſanctos inueniens aſſumpſit ipſe, & qui cum eo erant. Quem cum prohiberet ſacerdos, prohibendi cauſam David prodidit, dicens Mundi ſumus ego & pueri mei à mulieribus. Cum ergo fugeris gladium principis mundi; & ad altare conuolaueris & mundus panem ſanctum aſſumpſeris, non deerit qui te diaboli impulſione affligat, perſequatur, detegat. Et quia hoc ipſum non alius niſi diabolus operatur, ipſi diabolo tota uerba huius pſalmi ſtans in oratione cantabis, dicens: Quid gloriaris in malicia, qui potens es in iniquitate, tota die, id eſt, omni die, iniuſtitia in cogitationibus agit. Lingua tua non ceſſas contra iuſtitiã cogitationibus miniſtrare conſilia. Sicut nouacula acuta faciens dolum, tanto acumine concinnas dolos: ut homo ipſe ſui in perniciem elaboret, & agens præcipitium ſuũ gaudeat. Propter hoc deus deſtruet te in finẽ. Cum enim finẽ fecerit homo peccatis ſuis à te perſuaſis, deus deſtruet te, & euellet te de corde eius, quia hoc eſt tabernaculũ dei, & radicem tuam de terra uiuentium, id eſt, de corpore uiuentiũ deo. Videbũt iuſti aſtutias tuas, et timebũt dominum, & ſuper ſuggeſtiões tuas ridebunt, & dicent: Nos in omni opere deum in auxilium poſtulamus: Tu uero opus quod perpetrare ſuades, non ponitur ibi deus in adiutorio, ſed qui operantur hæc ſine deo ſunt, ſpem ſuam in diuitijs mundi ponentes: ſi diuites ſunt de diuitijs mundi præſumentes, ſi pauperes ſunt à diuitibus mundi, & non à Deo auxilium poſtulantes. Præualent in

uanitate

uanitate ſua, ſed his deficiẽtibus, Qui ſperat in miſericordia dei, erit ſicut oliua fructifera in domo dei, ſperans in miſericordia eius in æternum, & confitebitur domino in ſeculum beneficia eius in conſpectu omnium ſanctorum dei, qui regnat in ſecula ſeculorum Amen.

In finem intellectus David *pro Amalech.* LII.

D*Ixit inſipiens in corde ſuo, non eſt deus. Corrupti ſunt & abominabiles facti ſunt in iniquitatibus, non eſt qui faciat bonũ. Deus de cœlo proſpexit ſuper filios hominũ, ut uideat ſi eſt intelligens aut requirens deum. Omnes declinauerunt ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, nõ eſt uſq; ad unũ. Nonne ſciẽt omnes qui operantur iniquitatem, qui deuorant plebem meam ut cibum panis? Deum non inuocauerunt, illic trepidauerunt timore, ubi non fuit timor. Quoniam deus diſſipauit oſſa eorum qui hominibus placent, confuſi ſunt, quoniam deus ſpreuit eos. Quis dabit ex Syon ſalutare Iſrael, cum conuerterit deus captiuitatem plebis ſuæ exultabit Iacob, & lætetur Iſrael.*

COMMENTARIVM.

Q*Vando dominus de cœlo proſpexit per Ieſum ſuper filios hominum, Videns eum ſtultus populus Iudæorum, Dicit in corde ſuo: Non eſt deus. Omnes corrupti, omnes abominabiles facti ſunt, non uoluntate dei, ſed in uoluntatibus ſuis, ita ut non eſſet in eis qui facerent bona uſque ad unum. Dicendo uſque ad unum, de his dixit qui dicunt de Chriſto, nõ eſt deus. Nam ſi de omnibus hominibus generaliter dixiſſet, non diceret eſſe plebem ſuam, quæ deuoratur ab eis ſicut eſca pa-*

nis. Ab his utique qui deum eum non inuocauerunt, qui ibi trepidabant timore, ubi non eſt timor, id eſt, in cuſtodia ſabbati, in baptiſmatibus calicũ, & urceorum. Deus *autem diſsipat oſſa eorum qui hominibus placent.* Vnde *magiſter noſter* Paulus *dicit:* Ego *ſi adhuc uellem hominibus placere Chriſti ſeruus non eſſem. Ergo dum adhuc Iudæus eſſet, oſtendit hominibus placuiſſe: Qui autem illis placere uolunt, inquit, confundentur, quia deus ſpreuit eos. Qui deus? Qui dedit ex* Syon *ſalutem* Iſrael, Iacob *ſupplantator,* Iſrael *uidens deum interpretatur.* Ergo *&* Iacob *lætetur, quia ſupplantant inimicum, &* Iſrael *exultet, quia uidetur inuiſibilis, uidetur inaſpectabilis deus in genere eius facie ad faciem, qui regnat in ſecula ſeculorum* Amen.

In finem in carminibus intellectus Dauid, *cum ueniſſet* Cyphæi *& nunciaſſent* Sauli, *nonne* Dauid *abſconditus eſt apud nos.* LIII.

D*Eus in nomine tuo ſaluum me fac, & in uirtute tua libera me.* Deus *exaudi orationem meam, auribus percipe uerba oris mei.* Quoniam *alieni inſurrexerunt aduerſum me, & fortes quæſierunt animam meam, & non propoſuerunt deum ante conſpectum ſuum.* Ecce *enim deus adiuuat me, & dominus ſuſceptor eſt animæ meæ.* Aduerte *mala inimicis meis, & in ueritate tua diſperde illos.* Voluntarie *ſacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo domine, quoniam bonum eſt.* Quoniam *ex omni tribulatione eripuiſti me, & ſuper inimicos meos deſpexit oculus meus.*

COM-

COMMENTARIVM.

DEus in nomine tuo ſaluum me fac. Iſte ſermo orationis cauſas ſuas exequitur: Libera me, inquit, quia alieni inſurrexerunt in me, & fortes quæſierũt animã meam. Hi qui non proponunt deũ ante oculos ſuos. Dicit titulus & qui alieni, & qui ſint qui quærunt animam eius. Qui oſtenditur ad inimicos ſuos iſſe, et per eos euadere uoluiſſe. Vide amice, ne te credas inimicis in toto, uide, ne in neceßitate poſitus furtum facias, & eo te putes poſſe refici, ne dicas de bono quia malus eſt, dum uis hominibus complacere, ne à uirtutibus pergas ad uitia, faciente aliqua neceßitate, noli te eis credere. Ideo enim te ſuſcipiunt, ut ſimulẽt tibi latibulum. Cæterum tradere te uolunt in gaudio ei qui te perſequitur. Felix ſi non te credideris eis. Si uero credideris, clama ut propter nomen ſuum ſaluum te faciat dominus, ut uoluntatem tuam liberam faciat. Quia quam diu in uitiorũ conſenſu iacet, libera non eſt. Cum autem dominus adiuuauerit te, & inimicos tuos diſperdiderit, tunc uoluntarie ſacrificabis ei, cum ex omni tribulatione eripuerit, & inimicos tuos deſpiciet oculus eius, qui regnat in ſecula ſeculorum Amen.

In finem in carminibus intellectus Dauid. LIIII.

EXaudi deus orationem meam, & ne deſpexeris deprecationem meã, intende mihi & exaudi me. Contriſtatus ſum in exercitatione mea, & conturbatus ſum à uoce inimici & à tribulatione peccatoris. Quoniã declinauerunt in me iniquitates, & in ira moleſti erant mihi. Cor meum conturbatum eſt in me, & formi-

& formido mortis cecidit ſuper me. Timor & tremor uenerunt ſuper me, & contexerunt me tenebræ. Et dixi quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & uolabo et requieſcam. Ecce elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine. Expectabam eum qui ſaluum me facit à puſillanimitate ſpiritus & tempeſtate. Præcipita domine, diuide linguas eorum, quoniam uidi iniquitatem & contradictionẽ in ciuitate. Die ac nocte circundabit eam, ſuper muros eius iniquitas, & labor in medio eius & iniuſtitia. Et non defecit de plateis eius uſura & dolus.

Quoniam ſi inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem utique. Et ſi qui oderat me ſuper me magna locutus fuiſſet, abſcondiſſem me forſitan ab eo. Tu uero homo unanimis, dux meus, & notus meus. Qui ſimul mecum dulces capiebas cibos, in domo dei ambulauimus cum conſenſu. Veniet mors ſuper illos, & deſcendant in infernum uiuentes. Quoniam nequitiæ in habitaculis eorum, in medio eorum. Ego autem ad dominum clamaui, & dominus ſaluabit me. Veſpere & mane & meridie narrabo & annunciabo, & exaudiet uocem meam. Redimet in pace animam meam ab his qui appropinquant mihi, quoniam inter multos erant mecum. Exaudiet deus & humiliabit illos qui eſt ante ſecula. Non enim eſt illis commutatio, & non timuerunt deum, extendit manum ſuam in retribuendo.

Contaminauerunt teſtamentum eius, diuiſi ſunt ab ira uultus eius, & appropinquauit cor illius. Molliti ſunt ſermones eius ſuper oleum, & ipſi ſunt iacula.

Iacta ſuper dominum curam tuam, & ipſe te enutriet,

non

non dabit in æternum fluctuationem iuſto. Tu uero deus deduces eos in puteum interitus. Viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos, ego autem ſperabo in te domine.

COMMENTARIVM.

PRimus conuerſationis ſtatus eſt, ut contriſtetur homo in exercitatione delictorum, & conturbetur potius quàm delectetur à uoce inimici, & tribulatione peccatorum. Veniat formido mortis ſuper eum, ne in peccatis moriatur, & contegant eum tenebræ exteriores, ubi eſt fletus & ſtridor dentium. Sed ſi fieri poteſt, accipiat pennas animi in ſpiritu ſancto, ſicut columbæ deſcendentis de cœlo, & euolet fugiens inimicorũ manus, longe uadat, fugiat à peccato, & quaſi in ſolitudine poſitus, ſic nullis curis inuoluatur humanis. Tunc enim expectat deũ qui ſaluat eum à puſillanimitate & tẽpeſtate, ut præcipitet dominus, & diuidat linguas eorũ. Quoniam uidit iniquitatem, & contradictionẽ in ciuitatem, quæ iniquitas, & die & nocte circundat eam ſuper muros eius, id eſt, diabolus circundat animam ſuper muros eius, ubicunque ſe uicijs repugnare poſuerit. Et non deficit de plateis eius, id eſt, in cogitationibus eius uſura & dolus. Quoniam ſi inimicus maledixiſſet mihi, id eſt, ſi ipſe diabolus per ſe mala loqueretur aduerſum me, quia certus ſum, quod me odiret abſconderem me ab eò. Nũc uero tu unanimis dux meus & notus meus, id eſt, homo meus, exterior homo, utique corporalis, qui ſimul mecum dulces communicas cibos in menſa myſterij, tu contra me agis, tu cum inimicis meis delectaris in conſilijs eorum,

eorũ per te ueniũt ad me, ueniat mors ſuper eos. Et *quia natura immortales ſunt, deſcendant in infernũ uiuentes, quia nequitia in hoſpitijs eorum, in medio eorum, id eſt, in ſuggeſtionibus eorum, id eſt, in medio ſuggeſtionum eorum.* Si ergo ad dominum clamaueris, & uis ut dominus Ieſus exaudiat te, *ueſpere & mane & meridie,* ipſi narrabis, ipſi confiteberis, ipſi preces effundes, & ſine dubio ita *exaudiet uocem tuam, ut liberet à bello eorum animam tuam, ab his qui approximant ei.* Et inter *multos hos,* ipſe erit tecum qui *humiliet eos, qui ſe nunquam mutant, qui nunquam timent deum.* Extendit manum ſuam deus, in retribuendo eis, quia ipſi ſunt qui contaminant per conſenſum noſtrum teſtamentum eius, & quamuis *diuiſi ſint ab ira uultus eius,* quia impaßibilis eſt, tamen *appropriat cor eius.* Non eum latet, quia *molliunt ſermones* ſuggeſtionum ſuarum *ſuper oleum, et ipſi ſunt iacula.* Tu uero Chriſtiane, *iacta in deum cogitationem tuam, & ipſe te enutriet.* Noli dicere: *Quid manducabo, quid bibam, quo operiar?* Per iſtas enim cogitationes dæmones ipſi ſunt iacula, quos *deducet dominus in puteum interitus,* ſi tu in deo iactaueris cogitatum tuum: & tibi quidem tollet fluctuationem, illos uero *uiros ſanguinum & doloſos, non permittet nec dimidiare dies ſuos,* id eſt, ad quantum tentationes parant, non permittit eos nec dimidiare in te, ſi dixeris in toto corde: *Ego in te ſpero domine,* qui regnas in ſecula ſeculorum Amen.

In

In finem pro populo, qui à ſanctis longe factus eſt in tituli inſcriptione ipſi Dauid, cũ tenerent eum Allophyli in Geth. LV.

MIſerere mei deus, quoniam conculcauit me homo, tota die impugnans tribulauit me. Conculcauerunt me inimici mei tota die, quoniam multi bellantes aduerſum me. Ab altitudine diei timebo, ego uero in te ſperabo. In deo laudabo ſermones meos, in deo ſperaui non timebo quid faciat mihi caro.

Tota die uerba mea execrabantur, aduerſum me omnes cogitationes eorum in malum. Inhabitabunt & abſcondent, ipſi calcaneum meum obſeruabunt. Sicut ſuſtinuerũt animam meam pro nihilo ſaluos facies illos, in ira populos confringes. Deus uitam meam annunciaui tibi, poſuiſti lachrymas meas in conſpectu tuo.

Sicut & in promiſsione tua, tunc conuertentur inimici mei retrorſum. In quacunq; die inuocauero te, ecce cognoui, quoniam deus meus es. In deo laudabo uerbũ, in domino laudabo ſermones, in deo ſperaui, non timebo quid faciat mihi homo. In me ſunt deus uota tua, quæ reddam laudationes tibi. Quoniam eripuiſti animam meam de morte, & pedes meos de lapſu ut placeã coram deo in lumine uiuentium.

COMMENTARIVM.

SI tenuerint te Allophyli, & à ſanctis cogitationibus longe fecerint, clama ad deum, dicẽs: Miſerere mei domine, quoniã conculcauit me, homo utiq; exterior. Per te enim agunt cõtra te, per ipſum tota die pugnãt aduerſum te inimici tui. Sed hi qui bellãt aduerſum te,

te,timebunt, ſi dixeris deo:Ego domine in te ſperabo,nõ timebo quid faciat mihi caro. Inimici mei uerba mea exe crantur,dicentes:Ita iſte caſtitatem docet,ſemineus ei li bidines: hic qui contemptum mundi prædicat, amorem pecuniæ immittamus ei. Aduerſum te ergo ſunt iuſti,con ſilia eorum in mala. Tanta ſubtilitate agentes,ut abſcon diti tibi ſint,quòd dæmones ſint,putas autem angelos dei miniſtrare conſilium. Illi aũt inimici tui ſunt,calcaneum tuũ obſeruantes, id eſt,finem tuũ expectãtes. Suſtinet ani mam tuã pro nihilo, ut dum ſe uilem æſtimat,pro parui temporis delectamento, pereat in æternũ. Anima autem dum uulneratur pro nihilo,illi qui eam uulnerant, ſalui ſic eſſe uidẽtur,uictoria enim hoſtiũ ſalus eſt hoſtium. Ne ergo eueniat, clama ad deum, nuncia ei uitã tuam,pone lachrymas tuas in conſpectu eius, & ſicut promiſit,quo niam qui ſperat in me,liberabo eum. Sicut in promiſſio= ne ſua pollicitus eſt,ita conuertat inimicos tuos retro,ut cognoſcas,quia tecũ eſt deus tuus,& incipias in deo lau= des canere,& non timere quid faciat tibi homo,ſiue ca= ro,ſiue ipſe,qui inimicus homo in euangelijs Chriſti de= tegitur tritico ſuperſeuiſſe zizanias: tunc ergo uota tua reddes domino, quæ in baptiſmo poſitus promiſiſti, Re= nũciare te diabolo,& omnib. pompis & criminib. eius. Tũc, inquã, cum eripuerit dominus animã tuam de mor te luxuriæ,et oculos tuos de interitu cõcupiſcentiæ,et pe des tuos à lapſu,tũc placebis in lumine uiuentiũ,faciente domino Ieſu Chriſto, per quem & cũ quo tibi deo patri cũ ſpiritu ſancto eſt una diuinitas, indiuiſa trinitas, ante omnia & nunc,& in cuncta ſecula ſeculorum Amen.

In finem

In finem ne diſperdas Dauid in tituli inſcriptione cum fugeret à facie Saul regis Iſrael in ſpeluncam. LVI.

M*Iſerere mei deus, miſerere mei, quoniam in tè confidit anima mea. Et in umbra alarum tuarum ſperabo, donec tranſeat iniquitas. Clamabo ad deum altiſsimum, deum qui beneficit mihi.*

Miſit de cœlo & liberàuit me, dedit in opprobrium conculcantes me. Miſit deus miſericordiam ſuam & ueritatem ſuam, & eripuit animam meam de medio catulorum leonum, dormiui conturbatus. Filij hominum dentes eorum arma & ſagittæ, et lingua eorum gládiús acutus. Exaltare ſuper cœlos deus, & ſuper omnem terram gloriam tuam. Laqueum parauerunt pèdibus meis, & incuruauerunt animam meam. Foderunt ante faciem meam foueam, & inciderunt in eam.

Paratum cor meum deus, paratum cor meum, cantabò & pſalmum dicam domino. Exurge gloria mea, exurge pſalterium & cythara, exurgam diluculo. Confitebòr tibi in populis dòmine, & pſalmū dicam tibi in gentibus. Quoniam magnificata eſt uſq; ad cœlos miſericordia tua, et ueritas tua uſq; ad nubes. Exaltare ſuper cœlos deus, & ſuper omnem terram gloria tua.

COMMENTARIVM.

C*Vm fugeris à facie principis huius mundi perſequentis te, ſicut Saul perſequebatur Dauid, ſpeluncam pete, id eſt, ita te conſtitue, ut ab inimicò tuo inueniri nō poſsis. Et tu quidem inimicum tuum inter manus habeas, ille uero te nec uideat. Hoc enim eue-*

m niet;

niet, ſi ex toto corde dicas deo: Et *in umbra alarum tua-rum ſpero, donec tranſeat iniquitas, & clames ad deum altißimum: ipſe mittit de cœlo, & liberat te, & dat in op probrium conculcantes te.* Si *quod dicis deo, in te confi-det anima mea, non fallas, ſi uere quod in ipſo confidas factis oſtendis.* Qui *enim in ipſo confidit, non confidet in alio, non in auro, non in prædio, non in aliqua uirtute terrena:* Alioquin *in alijs confidens mentitur deo, dicens:* In *te confidet anima mea.* Si *uero in ipſo confidet, eripit animã eius de medio catulorum leonum, ubi dormierat conturbatus.* Vbicunque *deſperatio eſt recuperationis, ſomnus mortis incumbit, nominauit catulos leonum, quo rum dentes aſſeruit arma & ſagittas, & linguam gla-dium acutum: & in his dormiui, ait, conturbatus. ò ſom-num, credo hic ille ſomnus eſt, de quo idem* Pſalmiſta *di-cit:* Dormitauit *anima mea præ tedio.* Si *ergo contra paraturas dæmonum paratum cor habeas, & deo pſal-mum dicas, laqueos quos parauerunt animæ tuæ, ipſi ex eis ligabuntur, et foueas quas foderunt tibi, ipſi incidunt: ſi tamen in pſalterio & cythara exurgas diluculo, id eſt, abijciens opera tenebrarum, induaris arma lucis, tunc inuenies abundantem miſericordiam eius à terra uſque ad cœlos & ad nubes conſcendens inuenies ueritatem e-ius: tunc exaltatum ſuper cœlos inuenies deum, quod a-ſcendit in cœlo filius dei, & ſuper omnem terram reg-nat gloria eius cum patre & ſpiritu ſancto per omnia ſecula ſeculo-rum* Amen.

In finem

In finem ne diſperdas Dauid in tituli inſcri- ptione. LVII.

SI uere utique iuſtitiam loquimini, recte iudicate filij hominum. Etenim in corde iniquitates operamini in terra, iniuſticias manus ueſtræ concinnant. Alienati ſunt peccatores à uulua, errauerunt ab utero, locuti ſunt falſa. Furor illis ſecundum ſimilitudinem ſerpentis, ſicut aſpidis ſurdæ & obturantis aures ſuas. Quæ non exaudiet uocem incantantium, & ueneſici incantantis ſapienter. Deus conteret dentes eorum in ore ipſorum, molas leonum confringet dominus. Ad nihilum deuenient tanquam aqua decurrens, intendit arcum ſuum donec infirmentur. Sicut cera quæ fluit auferentur, ſupercecidit ignis, & non uiderunt ſolem. Priuſquam intelligerent ſpinæ ueſtræ rhamnum, ſicut uiuentes ſic in ira abſorbet eos. Lætabitur iuſtus cum uiderit uindictam, manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris. Et dicet homo ſi utiq; eſt fructus iuſto, utiq; eſt deus iudicans eos in terra.

COMMENTARIVM.

IVdæi uidētes dominum Ieſum Chriſtum ferias uanas reſpuentem, & diebus ſabbatorum hominibus ſubuenientem, ira erat in illis ſicut ſimilitudo ſerpentis, & ſicut aſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas. Aſpidas ideo ab incantantibus non capiuntur, quia ponunt unam aurem in terram, & alteram aurem de caudæ ſuæ acumine obturant, ut non exaudiant uocem incantantis ſapienter. Hoc quod ſapienter addidit, noſtrum incantatorem oſtendit, qui nō ceſſauit Iudæis incantare ſapienter:

Illi autẽ clauſis auribus, ſicut aſpides ſurdæ, eum non attenderunt. His dicit ſpiritus ſanctus: Si uere utiq; iuſtitiã loquimini, id eſt, ſi uere ſecundum legem agitis, iuſte iudicate filij hominum, dicite culpã, & ita date ſententiam. Vt quid iniuſtitiã manus ueſtræ concinnant? alienamini ab utero matris Saræ, erratis à uentre patris ueſtri Abrahæ. Hoc Abraham non fecit, ſi filij Abrahæ eſſetis, utique opera Abrahæ faceretis. Nunc uero alienati eſtis ab utero, non eſtis filij eius, erraſtis à uentre. Vos enim cuius opera uultis facere, huius filij eſtis, uos ex patre diabolo eſtis, loquentes falſa. Ille enim ab initio mendax fuit, et in ueritate non ſtetit. Quare excæcauit uos malicia ueſtra? *Cecidit enim ſuper uos ignis maliciæ, & uidentes non uidetis ſolem iuſticiæ, ſed ſicut leones ora ueſtra in mortis eius fremitu aperitis.* Illo autẽ exurgente à mortuis, deus *conteret dentes eorum in ore ipſorum, molas leonũ confringet dominus, ita ut ad nihilum deueniant, uelut aqua decurrens, contra quos intendit arcum dominus donec infirmetur. Sicut cera liquefacta auferentur.* Cera liquefacta ad naturam ſuam reuertitur & in ſtatu ſuo iterum redintegratur. Ita uult eos affligi dominus, ut ad ſtatum priſtinum reuertantur. *Priuſquam producant ſpinæ ueſtræ Rhamnos.* Spinæ naturam hanc habent, ut in uirgulto magis quàm in arboribus prorumpant. Rhamnus autem arbor eſt ſpinea nullum omnino afferẽs pomum. Ergo prius quàm ſpinæ ueſtræ in arborum duritiam cõuerſæ, radicitus fundatæ permaneant & effœtæ Rhamnus quaſi uiuentes abſorbeat uos ſpinoſa & obdurata iniquitas ueſtra. Verum quoniam clamaſtis: Sanguis huius

ſuper

ſuper nos & ſuper filios noſtros, Lætabitur cum uiderit uindictam impiorum, cum religauerit illum iu crucis patibulum, ita ut tollat & latronem & ſecũ ad paradiſum ducat, tunc lætabitur in hanc uindictam impiorum, hũc iuſtum uindicat dominus orans & dicens: Pater, remitte illis. Vos autem impij dæmones tũc uidebitis quia eſt fructus iuſto, cum uideritis filium dei manus ſuas lauare in ſanguine peccatorum, Cum enim illi dicerent, incitati ab ſpiritibus immundis, reus eſt mortis, expandit in crucem Chriſtus manus ſuas, & lauare eas cœpit inſanguine peccatorum, Fundẽs ex eis ſanguinem & lauans peccata eorum: tunc dixit omnis homo, quia eſt utiq; fructus iuſto, Domino Ieſu Chriſto, & utiq; deus curam mundi gerens iudicat eos in terra, iudicio ſuo adiuuans eos, qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum Amen.

In finem ne diſperdas Dauid in tituli inſcriptione: quando miſit Saul et cuſtodiuit domum eius ut interficeret eum. LVIII.

ERipe me de inimicis meis deus meus, & ab inſurgentibus in me libera me. Eripe me de operantibus iniquitate, & de uiris ſanguinum ſalua me. Quia ecce cœperunt animam meam, irruerunt in me fortes. Neq; iniquitas mea neq; peccatum meum domine, ſine iniquitate cucurri & direxi. Exurge in occurſum meum & uide, & tu domine deus uirtutum deus Iſrael. Intende ad uiſitandas omnes gentes, non miſerearis omnibus qui operantur iniquitatem. Conuertentur ad ueſperam & famem patientur ut canes, & circuibunt ciuitatem. Ecce loquentur in ore ſuo, & gladius

in labijs eorum quoniam quis audiuit. Et tu domine deridebis eos, & ad nihilum deduces omnes gentes. Fortitudinem meam ad te cuſtodiam, quia deus ſuſceptor meus es deus meus, miſericordia eius præueniet me. Deus oſtendit mihi ſuper inimicos meos ne occidas eos, ne quãdo obliuiſcantur populi mei. Diſperge illos in uirtute tua, & depone eos protector meus domine. Delictum oris eorum ſermonem labiorum ipſorum, et comprehendantur in ſuperbia ſua. Et de execratione & de mendacio annunciabuntur in conſummatione, in ira conſummationis & non erunt. Et ſcient quia deus dominabitur Iacob & finium terræ. Conuertentur ad ueſperam & famem patientur ut canes, & circuibunt ciuitatem. Ipſi diſpergentur ad manducandum, ſi uero nõ fuerint ſaturati & murmurabunt. Ego autẽ cantabo fortitudinẽ tuam, & exaltabo mane miſericordiam tuã. Quia factus eſt ſuſceptor meus & refugium meum in in die tribulationis meæ. Adiutor meus tibi pſallã, quia deus ſuſceptor meus es, deus meus miſericordia mea.

COMMENTARIVM.

QVando domus corporis tui à principe huius mũdi cuſtodiri præcipitur, ut capiaris, & interficiaris gladio cuiuſcunq; peccati, ex totis uiſceribus exclama: Eripe me de inimicis meis deus meus, quoniam occupauerunt animam meam, irruerũt ſuper me fortes. Ego enim caro ſum. Illi uero ſpiritus ſunt, Vnde autẽ patitur perſequutiones dæmonum Chriſtianus, niſi quia ſine iniquitate uult curſum ſuũ currere, & iter ſuum dirigere? Et ideo exurge domine in occurſum mihi, & uide

quia

quia cupio ſine iniquitate currere. Iſti autem qui perſequuntur me, hi ſunt qui operantur iniquitatem, qui conuertuntur ad ueſperū, & famē patientur, & canes ut circumeunt ciuitatē. Ecce ij loquuntur in ore ſuo quaſi pacifici, ſed gladij ſunt in labijs eorū. Sed quantūcunq; ſe ſapientes exiſtiment hi ſpiritus immundi, tu domine irridebis eos. Pro nihilo enim apud te ſunt omnes gentes, ſiue de uirtute præſumentes, ſiue de aſtutia confidentes. Fortitudo mea, à te cuſtodiar, quia tu ſuſceptor meus es, ut te ſuſciperet homo. Tu ſuſcepiſti hominem, ut miſericordia tua præueniret me, & oſtenderes mihi ſuper inimicos meos. Ideo enim immortalitatem eis non tolles, ut humano generi ſubiecti æternas pœnas luant, uidentes omnes angelos adorantes filium hominis ſedentem ad dexterā maieſtatis: et ipſe deſtruet eos, qui eſt protector meus. delicta oris eorum ſermo labiorū ipſorum. Siue tunc quando Adam ſeductus eſt, ſiue nunc, quando ſuggeſtionibus fœda conſilia pulchris mentibus ſubminiſtrant, ut comprehendantur in ſuperbia homines, contēnentes præcepta domini ſui, & de execratione & mēdacio dæmonū, compellantur ad malum. fiat ſuper eos ira indignationis tuæ & non erunt. Et ſcient quia tu deus dominaris in Iacob & in fines terræ. Ibi enim dominatur dominus, ubi fines faciunt terrenæ uoluptates, tunc conuertentur ad ueſperum immundi ſpiritus, ubi uiderint, quia lux mentibus noſtris deficit, & tenebræ creſcūt: tunc eſuriunt nos quaſi canes, & circumeunt ciuitatem, mentem uidelicet noſtram. Ipſi autem diſpergentur ad deuorandum feſtinantes, uſq; ad interfectionē animæ. Hæc eſt enim ſatuitas eo-

ritas eorum,ut uideant interire pugnantem. Sed qui ſer- uus Chriſti eſt dicit domino : Ego *cantabo uirtutes tuas, dicam aduerſarijs meis :* Non *ego de uirtute mea aduer- ſum uos arma corripio, ſed de uirtutibus dei mei cõfido, exultans mane in miſericordia eius .* Mane *enim exulta- mus in miſericordia eius: cũ tenebras à nobis peccatorũ abſtulerit, & dederit lucẽ ſuam in cordibus noſtris .* Ex- *ultamus in miſericordia eius,quia factus eſt ſuſceptor no ſter & refugium noſtrum in die tribulationis.* Adiutor *meus tibi pſallam .* Pſallit *deo, qui ſpiritu & ore pſallit,* Pſallit *deo,qui ea quæ canit mittit in opera, & ſine ceſſa tione dicit deo mẽs eius:*Tu *es miſericordia mea,per quã peruenitur ad uitam,euaſis omnibus inimicis,qui nos cõ nantur occidere gladio noſtri conſenſus,de quorum nos conſilijs & uiolentijs liberat dominus* Ieſus Chriſtus,*qui regnat cum deo patre & ſpiritu ſancto per omnia ſecu- la ſeculorum* Amen.

In finem pro his qui commutabuntur in tituli in- ſcriptione ipſi Dauid *in doctrinam : cum ſuccẽdit* Meſopotamiam Syriæ *&* Sobal,*& cõuertit* Ioab: *& percuſsit* Edom *in ualle ſalinarum duodecim milia.* LIX.

DEus *repuliſti nos & deſtruxiſti nos, iratus es & miſertus es nobis.* Commouiſti *terram & con turbaſti eam,ſana contritiones eius quia commo ta eſt .* Oſtendiſti *populo tuo dura, potaſti nos uino cõ punctionis.* Dediſti *metuentibus te ſignificationem,ut fugiant à facie arcus .* Et *liberentur dilecti tui,ſaluum fac dextera tua & exaudi me .* Deus *locutus eſt in ſan cto ſuo.*

ſto ſuo, lætabor & partibor Sichimam & conuallem tabernaculorum metibor. Meus eſt Galaad, & meus eſt Manaſſes & Effraim fortitudo capitis mei. Iuda rex meus, Moab olla ſpei meæ. In Idumeã extẽdam calciamentum meũ, mihi alienigenæ ſubditi ſunt. Quis deducet me uſq; in ciuitatem munitã, quis deducet me uſq; Idumeã. Nonne tu deus qui repuliſti nos, & non egredieris deus in uirtutib. noſtris. Da nobis auxilium de tribulatione, quia uana ſalus hominis. In deo faciemus uirtutem, & ipſe ad nihilum deducet tribulantes nos.

COMMENTARIVM.

P*Roſtratis hoſtibus, uictoriam nos docuit* Domino *reputare, quo irato uincimur, quo miſerante uincimus.* Ipſe *mouet terram corporis noſtri, & conturbat eam, ſiue comminatione futuri iudicij, ſiue plaga aliqua præſentis exitij, pro qua rogamus ut ſanet contritiones eius.* Oſtendiſti *enim populo tuo dura.* Durum *cor* Pharaonis *in opere duro.* Potaſti *nos uino compunctionis.* Vbicunq; *ira domini & paßio cuiuſcunq; plagæ eſt, aut calix iræ, aut uinum ebrietatis memoratur, ſicut dicit* Hieremias *ad* Hieruſalem: *Inebriata es calice iræ & furoris domini.* Tempore *ergo quo potaſti nos uino compunctionis in* Aegypto, *dediſti metuentibus te ſignificationem, ut fugerent à facie arcus.* Vt *qui uaſtabat primogenita, reſpiciens ſignificationem ſanguinis agni, nõ contingeret eos.* Nunc *ergo quia idem es deus qui tunc fuiſti, ſaluum me fac non mea uirtute, ſed tua dextera & exaudi me.* Deus *enim locutus eſt in ſancto ſuo famulo* Moyſe. *Lætabor & diuidam Sichimã, & conuallem taberna*

culorum metibor. Ipſe dixit, meus eſt Galaad, & meus eſt Manaſſe, & Effrem fortitudo capitis mei: ipſe dixit, Iuda rex meus. hæc omnia deus locutus eſt in ſancto ſuo implenda, id eſt, in domino noſtro Ieſu Chriſto. Triplici modo in ſancto locutus eſt. Locutus eſt in ſancto ſuo, id eſt, in Iacob locutus eſt de Effrem & Manaſſe, & de Iuda. Hæc ipſa locutus eſt in ſancto ſuo, ut diximus in Moyſe, ſed in his abuſiue locutus eſt, ut in Ieſu Chriſto non abuſiue, ſed proprie complerentur. In ipſo enim Iudas regnum obtinuit, & regni eius nõ erit finis. Iuda ergo rex meus, Moab lebes ſpei meæ. Lebes, id eſt olla. Quia Moab ſtupri filius, in olla ſuccenſionis libido eius, & quia Idumæam occupauerunt Moabitæ: Eijciam, inquit, inde Moab, & ego ibi extendam calciamentum meum. Ergo & tu ò Chriſtiane ſi eieceris de terra quã inuaſerat Moab, & captiuato aut incenſo ſicut olla rege libidinis, Allophylos cœperis habere ſubiectos, deducet te dominus in ciuitatem circumſtantium, in petra refugij in auxilio ſuo, ubi te circunſtant angeli & gubernant quouſq; peruenias ad ciuitatẽ munitam. Cum regnum obtinueris ſuper Idumæam, cum in corpore tuo ubi abundauit iniquitas, ſuperabundat gratia, uide ne de tua uirtute præſumẽs, iſta te implere poſſe confidas. Gloria enim hominis non eſt certa ſed uana, ſed clamans ad dominum, dic cum omnibus ſanctis: Da nobis auxilium de tribulatiõe, quia uana ſalus in homine. In te domine faciemus uirtutẽ. quia tu ad nihilum rediges omnes tribulantes nos, qui regnas in ſecula ſeculorum, Amen.

In finem in hymnis, pſalmus Dauid. LX.

E*Xaudi deus deprecationem meam, intende orationi meæ.* A *finibus terræ ad te clamaui, dum anxiaretur cor meum, in petra exaltaſti me.* De*duxiſti me, quia factus es ſpes mea, turris fortitudinis à facie inimici.* In*habitabo in tabernaculo tuo in ſecula, protegar in uelamento alarum tuarum.* Q*uoniam tu deus meus exaudiſti orationem meam, dediſti hereditatē timentibus nomen tuum.* Dies *ſuper dies regis adijcies, annos eius uſq; in diem generationis & generationis.* Permanet *in æternum in conſpectu* Dei, *miſericordiam & ueritatē eius quis requiret.* Sic *pſalmū dicā nomini tuo in ſeculum ſeculi, ut reddam uota mea de die in diē.*

COMMENTARIVM.

E*Ccleſiam ſupra petræ ſoliditatem fundatam, & turrem fortitudinis factam in qua redduntur uota deo de die in diem, nullus ignorat.* Sed *tu ò amator uitæ æternæ, ſi uis exaudiri deprecationem tuam, ſi uis ut dum anxiatum fuerit cor tuum, id eſt, dum exieris de corpore, ſi uis ut turris tibi fortitudinis* Dominus *appareat à facie inimici, ſi uis ut inhabites in tabernaculo eius in æternum, ſi uis protegi in uelamento alarum eius, ſi uis accipere hæreditatem quam conſequuntur timentes nomen eius, ſi uis ut dies ſuper dies regis adijciat annos tuos, ut uitam tibi æternam conferat, & permaneas in æternum in conſpectu* Dei, *miſericordiā & ueritatem inſtanter inquire.* Et *poſteaquā eas charas amicas, & quaſi ſpem uitæ tuæ poſſederis, ſic pſalle domino* Deo *in ſeculo & miſeriarū ualle poſitus.*

Et

Et quaſi cotidie initium faciens diligendi eus,redde uota tua de die in diem domino Ieſu Chriſto, qui regnat cum patre & ſpiritu ſancto in ſecula ſeculorum, Amen.

In finem pro Idythum pſalmus David. LXI.

NOnne deo ſubiecta erit anima mea,ab ipſo enim ſalutare meum. Nam & ipſe deus meus & ſalutaris meus,ſuſceptor meus non mouebor amplius. Quouſq; irruitis in hominem interficitis uniuerſi uos, tanquam parieti inclinato & maceriæ depulſæ. Verumtamen precium meum cogitauerunt repellere,cucurri in ſiti,ore ſuo benedicebāt & corde ſuo maledicebant. Verumtamen deo ſubiecta eſto anima mea, quoniam ab ipſo patientia mea. Quia ipſe deus meus & ſaluator meus,adiutor meus nō emigrabo. In deo ſalutare meum & gloria mea, deus auxilij mei, & ſpes mea in deo eſt. Sperate in deo omnis congregatio populi,effundite coram illo corda ueſtra, deus adiutor noſter in æternum. Verumtamen uani filij hominum, mēdaces filij hominum in ſtateris,ut decipiant ipſi de uanitate in idipſum. Nolite ſperare in iniquitate & rapinas nolite concupiſcere, diuitiæ ſi affluant nolite cor apponere. Semel locutus eſt deus duo hæc audiui, quia poteſtas dei eſt & tibi domine miſericordia, quia tu reddes unicuiq; iuxta opera ſua.

COMMENTARIVM.

IN omnibus pſalmis myſticus exuberat ſenſus,ſed mihi cura propenſior ad moralem explanationem incumbit,in qua agitur,ut id quod canimus,faciamus. Vt in propoſito in quo deo ſubdita eſt anima tua, ita fi-

xus & ſolidus maneas, ut non mouearis amplius, ut dum uenerint ad te ſpiritus immundi, & uoluerint te à ſeruitio domini ſeparare, ingerentes tibi occaſiones malas, cogitationes peſſimas, dicas eis: Deus adiutor meus, ego per ipſum non mouebor amplius. *Vos autem quouſq; irruitis in homines.* Et ſicut paries ruitis ſuper uniuerſos nos, *qui & meum honorem uultis à me repellere, ſiue pretioſitatem meam uilem facere.* Et cum ſitim habeam ſancti *propoſiti, & ſitienter in eo curram, uos ore ueſtro bene dicitis, id eſt ſub ſpecie boni cõſilij ſuaſiones affertis.* Sed *corde maledicitis, id eſt, hoc q̃d bonũ dicitis ore ueſtro, malum mihi & pernicioſum probatis. Audiamus ſollicite locum iſtum.* Dantur nobis à dæmonijs *bona conſilia plena dolis, emamus & reuendamus, & lucra pauperibus erogemus.* Nunquid non quaſi bonũ eſt, ſed non permittit te hoc opere intrare in potẽtias domini. *Item præſentes pecunias reponamus, unde ſcimus quid eueniat.* Et hoc bonum uidetur, ſed non facit Chriſti diſcipulum. *Item illi uiduæ iuuenculæ, melius nos quàm alij præbeamus ſolacium.* Et hoc bonum eſt, ſed dolis diaboli plenum. *Hæc & multa his ſimilia cum ore ſuo tibi benedixerint dæmones, corde ſuo maledicunt, & ideo dic illis:* In deo ſalutari meo eſt gloria mea, *non migrabo à propoſito meo, quo uos ſtatui contemnendos.* Et dic fratribus meis: Sperate in eo omnis conuentus plebis meæ. Fundite corã illo corda ueſtra, *quia deus adiutor noſter eſt.* His autem qui audiunt conſilia malignorum ſpirituum, *hoc ordine loquere:* Vani filij hominum, mendaces in ſtateris *quid uos mutuo conſentitis inimicis ueſtris?* Nolite

ſperare

ſperare in iniquitatem, quia decipit ſperantes in ſe. Rapinam nolite concupiſcere, quia concupiſcentia furandi, interficit amatorem ſuum. Diuitiæ ſi affluant nolite cor apponere, quia radix omnium malorum eſt auaricia. Hoc ſolum quod ſemel locutus eſt diligenter auſculta, quia poteſtas dei eſt, et dei arbitratu conſequimur miſericordiam. Quia ipſe reddet unicuiq; ſecundum opera ſua. Vbi autem hæc ipſa dominus locutus ſit, ſi forte requires agnoſce. In Deuteronomio canitur: Quoniam ego deus, ego occidam & uiuere faciam, percutiam, ego ſanabo, & nõ eſt qui eripiat de manu mea. Hæc ergo poteſtas dei eſt, & patris & filij & ſpititus ſancti, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Pſalmus Dauid cum eſſet in deſerto Idumeæ. LXII.

DEus deus meus ad te de luce uigilo. Sitiui in te anima mea quàm multipliciter tibi caro mea. In terra deſerta inuia & inaquoſa ſic in ſancto apparui tibi, ut uiderem uirtutem tuam & gloriam tuã. Quoniam melior eſt miſericordia tua ſuper uitas, labia mea laudabunt te. Sic benedicam te in uita mea, & in nomine tuo leuabo manus meas. Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea, & labijs exultationis laudabit os meum. Si memor fui tui ſuper ſtratum meum, in matutinis meditabor in te, quia fuiſti adiutor meus. Et in uelamẽto alarum tuarũ exultabo, adhæſit anima mea poſt te, me ſuſcepit dextera tua. Ipſi uero in uanũ quæſierunt animam meam, introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladij, partes uulpium erunt. Rex uero

lætabi-

lætabitur, in Deo laudabuntur omnes qui iurant in eo, quia obſtructum eſt os loquentium iniqua.

COMMENTARIVM.

IN toto pſalterio nuſquàm inuenies, orabo te domine hora quacunque alia, niſi matutino, mane, diluculo. Quo dicto nõ tempus ſignificat, ſed peccatorum no cte tranſacta, & tenebrarum excluſa perfidia ceſſat dormitare, & uigilare ſtudet, & ueluti in diluculo initium lucis tuæ accipiens, incipit ſitire dominũ non ſolum animo, ſed & corpore, ut uideat uirtutem eius & gloriam eius. Tũc cognoſcit, quia melior eſt miſericordia eius ſuper uitam. Et labijs mundis à dolo laudat dominum, rogans ut ita ei proueniat quàm diu uiuit, ſic ut benedicat dominum in uita ſua. Et in ſimilitudine crucis Chriſti leuet manus ſuas, ut ſicut adipe et pinguedine repleatur anima eius. Pinguis fiat in amore dei, & labia eius exultatione plena, nõ neceßitate coacta, ſed beneficijs prouocata laudẽt nomẽ eius. Hoc ei euenit ſi memor fuit dei ſuper ſtratũ eius, & ubi alius memoratur luxuriæ, ego dei memor in matutinis meditabor in eo, quia ipſe eſt adiutor meus. Dicẽdo ſuper ſtratũ, & addendo adiutoriũ, oſtendit per eius auxilium potuiſſe ſe caſtimoniam, obtinuiſſe. Et ſequitur quo ordine auxiliũ conſequatur. Dæmonia enim animam per libidinis luxum quærunt capere. Sed iſte audi quid dicat: In uanum, inquit, quæſierunt animã meam. Et qua ratione non ſit captus exponit: In uelamento, inquit, alarum tuarum ſperaui, adhæſit anima mea poſt te, me ſuſcepit dextera tua. Et ſic factũ eſt, ut in uanum quærerent animam meam, ipſi magis fugerunt

dum

*dum me quærunt. Ingreſsi ſunt in inferiora terræ, peruenerunt uſq; ad inferiora corporis. Inuenerunt ibi gladium uerbi dei ſuper femur potentiſsimum, & ibi traditi ſunt in manus gladij.*Nota *tibi amator caſtitatis, quo ordine caſtitas cuſtoditur. Ipſi enim qui quærunt animam tuam, ad inferiora terræ tuæ perueniunt, tu ſtatim ſi gladium ſuper femore cinctus fueris, hoc eos gladio manu tua partibus mittis. Sanè notandum quod partes ipſæ factæ de eis non auium aut canum, ſed uulpium, quia et canes & aues ſolent perdere partes ſuas.* Vulpes *tam aſtute agunt, ut non ſolum ſuas non perdant, ſed & ex aliena et fortioris ſe præſumant.* Deniq; *Phyſiologus refert, ſemper uulpem in inſidijs eſſe lupo, ut ubi eius ſenſerit prædam occultam, rapiat ei. Ita & tu caſtitatis amator, non ſolum tuam caſtitatem ſerues: ſed eos quos prædatus eſt, arte qua potes quaſi aſtutus eripias: ut aſtutia tua, quaſi uulpes, partes dæmonum rapiat, caſtitas comedat, & ipſa conſumat in his factis.* Rex *tuus Chriſtus filius dei lætabitur in patre & ſpiritu ſancto, & laudabitur omnis qui iurat in eo, non iuramento ad ſatisfactionem hominis, ſed iura quæ in eo ſunt conſeruando.* Quo *facto, obſtruitur os loquentium iniqua. Non audebunt dæmones loqui iam tuo cordi ſuperflua, faciente auxilio domini noſtri Ieſu Chriſti, qui regnat cum patre & ſpiritu ſancto in ſecula ſeculorum, Amen.*

In finem pſalmus Dauid. LXIII.

E*Xaudi deus orationem meam cum deprecor, à timore inimici eripe animam meam.* Protexiſti *me à conuentu malignantium, à multitudine operantiū*

rantiam iniquitatem. Quia exacuerunt ut gladiũ linguas ſuas, intenderunt arcum rem amaram, ut ſagittent in occultis immaculatum. Subito ſagittabunt eum & nõ timebunt, firmauerunt ſibi ſermonem nequam. Narrauerunt ut abſconderent laqueos, dixerunt quis uidebit eos. Scrutati ſunt iniquitates, defecerunt ſcrutantes ſcrutinio. Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur deus. Sagittæ paruulorum factæ ſunt plagæ eorum, & infirmatæ ſunt contra eos linguæ eorum. Cõturbati ſunt omnes qui uidebant eos, & timuit omnis homo. Et annunciauerunt opera dei, & facta eius intellexerunt. Lætabitur iuſtus in domino & ſperabit in eõ & laudabuntur omnes recti corde.

COMMENTARIVM.

EXaudi deus orationem meam cum tribulor ſiue cum deprecor. Quã orationem? A timore ait inimici eripe animã meam, quia protexiſti me à cõuentu malignantium, & à multitudine operantium iniquitatem. Tu domine à timore inimici libera animam meam, ipſa enim ſuſcepit in ſe ſpiritum ſanctum. Iſti autem ſagittis in amaro arcu paratis, in occulto conſiſtũt agentes, ut ſagittent in occulto immaculatum. Tamen ſi non conſenſerit homo, etiam ſi ſagittauerint eum, non timebit, non abſcedit, ſtat uiriliter, ut recuperet ſanitatem uulneratus, Vt illi autem affirmantes ſibi uerbum iniuſtum, in quo diſputãt ut abſcondat laqueos. Et audi quid dicant: Inuiſibiles eis ſumus, non uidebunt nos. Et ideo ſcrutantur corda hominum iniquis ambagibus, ſed per gratiã dei deficiunt ſcrutantes ſcrutinio. Videntes ſe de-

feciſſe,& hominem accedere ad ſuperiorem gradum iu ſticiæ, faciunt ei cor altum, ut per elationem cordis eius exaltet ſe deus ab eo. Quantacunq; igitur in te,ò pſalmi ſta, uirtus contemnendi concreſcit, tanto altitudo cordi ſuo decreſcat Inſiſte,quia omnis qui ſe exaltat humiliabi tur. Tunc ſagittæ paruulorum fiunt plagæ eorum,dabi tur poteſtas etiam paruis deſiderijs tuis, qui in Chriſto ſunt. Paruulis,inquã,mox natis ex te deſiderijs ſpiritali bus dabitur uirtus,ut ſagittis ſuis plagas dæmonibus faci ant,& pro nihilo cõputantes eos,cõtra ipſos faciant lin guas eorum,id eſt, ea quæ ſuggeſſerint contra eos reuer ti faciat. Quia ſicut ſi conſenſerimus,ipſos uulneramus. In hac regula omnis homo qui nos cognouerit agere ti mebit deum,& adnunciat opera eius & facta eius intel liget. Iuſtus autem qui eſt,non triſtabitur in aduerſis, ſed lætabitur in domino,& ſperauit in eo,& erit laus omni bus rectis corde in Chriſto domino noſtro, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

In finem pſalmus Dauid canticum Aggæi,Hie remiæ & Ezechielis,de uerbo peregrinatio nis;& de populo tranſmigrationis, cum inci perent proficiſci. LXIIII.

TE decet hymnus deus in Sion, & tibi reddetur uo tum in Hieruſalem. Exaudi orationem meam, ad te omnis caro ueniat. Verba iniquorũ præ ualuerũt ſuper nos,& impietatib. noſtris tu propiciabe ris. Beatus quem elegiſti & aſſumpſiſti,inhabitabit in atrijs tuis. Replebimur in bonis domus tuæ, ſanctum eſt templum tuum mirabile in æquitate. Exaudi nos deus

ſalutaris noſter,ſpes omniũ finium terræ & in mari lon-
ge. Præparans montes in uirtute tua accinctus potentia:
qui conturbas profundum maris ſonum fluctuum eius.
Turbabuntur gentes & timebunt qui inhabitant ter
minos à ſignis tuis,exitus matutini et ueſpere delectabis.
Viſitaſti terram & inebriaſti eam,multiplicaſti locu-
pletare eam. Flumen dei repletum eſt aquis,paraſti ci
bum illorum,quoniam ita eſt præparatio eius. Riuos
eius inebrians multiplica genimina eius, in ſtillicidijs e-
ius lætabitur germinans. Benedices coronæ anni beni
gnitatis tuæ, & campi tui replebuntur ubertate. Pin
gueſcent ſpecioſa deſerti,& exultatione colles accinge-
tur. Induti ſunt arietes ouium, & ualles abundabunt
frumento,clamabunt etenim hymnum dicent.

COMMENTARIVM.

IN Hebræo non habet nec Hieremiam, nec Aggæum,
niſi ſolum Dauid.Sed Heſdra habens charitatem eo-
rum, uoluit eos memorare, aſſerens iſtũ pſalmum
Dauid cecinisse eos in prophetationis ſuæ initio,hoc eſt,
extra,terra aliena eſt & non poteſt cantare hymnos in
terra aliena. Sit ergo Sion anima noſtra ut deceat hym-
num in ea dici.Decebit autem Sion eam eſſe ſi reddiderit
uotum Hieruſalem,ſi quod uotum fecit deo ſe renuncia-
turum diabolo & pompis eius impleuerit, tunc exaudit
Deus orationem eius cum omnis caro ad eum uenerit.
Non eſt enim nec tribus nec gens,ex qua non genu flecte
tur domino Ieſu Chriſto.Prædicãtibus enim apoſtolis, in
omnem terram exiuit ſonus eorum. Et licet uerba ini-
quorum, phariſæorum ſcilicet, præualuerint ſuper eos

et impie eos afflixerint:ſed impietatibus,inquit, quas pæ timuir tu propiciaberis: Beatus eſt enim Dominus Ieſus Chriſtus,*quem elegiſti & aſſumpſiſti, hic habitauit in ta bernaculis tuis quando repleſti in bonis domus tuæ, in qua ſanctum templum tuum regnat nō manufactum,ſed uerbo genitum,& uirginali utero procreatum, cui dici mus*: Exaudi nos deus *ſalutaris noſter,ſpem enim omni generi humano tu tribuiſti,etiā his qui longe ſunt,& his qui propc*. Quando *paraſti montes in uirtute tua, qui= bus dixiſti*: Prædicate *euangelium omni creaturæ*. Si= *gna autem credentibus hæc oſtendetis, infirmos curabi= tis,cæcos illuminabitis,mortuos ſuſcitabitis*. Ab *his ſig= nis turbatæ ſunt gentes, & timent deum omnes qui ha bitant fines terræ ab his enim ſignis timor dei ſuper fa= ciem terræ ſumpſit exordium*. Et *in exitu matutini et ue ſperi delectabitur deus,id eſt,in oriente,& in occidente in ædificationibus eccleſiarum delectaberis, ex quo uiſi taſti terram aduentu tuo,et inebriaſti eam ſanguine tuo, quando flumen* Iordanis *repletum eſt aquis,uocibus ſci= licet prophetarum*. Tunc *paraſti cibum non qui perijt, quia ita eſt præparatio tua*. Riuos *eius inebriaſti, ita ut cum eſſet hora diei tertia,illi ebrij putarentur*. Tempo= *re quo multiplicaſti generationes eius,Cuius eius, id eſt,* Iordanis, *quod eſt baptiſmate*.Ibi *erant quando riuos e= ius inebriaſti* Parthi & Medi,& Elamitæ,Cretes, Syri, Arabes,Romani,Cyrenæi.Et *penè omnes gentes,ex qui bus multiplicaſti generationes eius,quando quaſi ſtillici dijs cœleſtibus cœpit exoriri*.Tunc *inchoauit corona an ni diem ſanctum paſchæ, et campi repleti ſunt ubertate,*

omnia

omnia fertilitate congaudent, feſtiuitate epulantur, ita ut fines deſerti pingueſcant, & exultatione colles accingentur. Induuntur enim arietes manſuetudine ouiũ, non uentilabunt cornubus, & conualles abundabunt frumento corporis Chriſti. Quod quando accipient, clamabunt arietes & oues ſimul hymnum dicentes Chriſto filio dei, qui regnat cum patre & ſpiritu ſancto in unitate deitatis, & in trinitate unitatis in ſecula ſeculorum, Amen.

In finem canticum pſalmi reſurrectionis. LXV.

IVbilate Deo omnis terra, pſalmum dicite nomini eius, date gloriam laudi eius. Dicite deo quàm terribilia ſunt opera tua domine, in multitudine uirtutis tuæ mentientur tibi inimici tui. Omnis terra adoret te Deus & pſallat tibi, pſalmum dicat nomini tuo.

Venite & uidete opera dei, terribilis in conſilijs ſuper filios hominum. Qui conuertit mare in aridam, in flumine pertranſibunt pede ibi lætabimur in ipſo.

Qui dominatur in uirtute ſua in æternum, oculi eius ſuper gentes reſpiciunt, qui exaſperant non exaltentur in ſemetipſis. Benedicite gentes deum noſtrum, & auditam facite uocem laudis eius. Qui poſuit animam meam ad uitam, & non dedit in cõmotionem pedes meos. Quoniam probaſti nos deus, igne nos examinaſti ſicut examinatur argentum. Induxiſti nos in laqueum, poſuiſti tribulationes in dorſo noſtro, impoſuiſti homines ſuper capita noſtra. Tranſiuimus per ignẽ & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium. Introibo in domũ tuam in holocauſtis, reddam tibi uota mea, quæ diſtinxe

n 3 runt

runt labia mea. Et locutum eſt os meũ in tribulatione mea. Holocauſta medullata offeram tibi cũ incenſo arietum, offeram tibi boues cum hyrcis. Venite & audite & narrabo omnes qui timetis deum, quanta fecit animæ meæ. Ad ipſum ore meo clamaui & exultaui ſub lingua mea. Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet dominus. Propterea exaudiuit deus & attendit uoci deprecationis meæ. Benedictus Deus qui non amouit orationem meam, & miſericordiam ſuam à me.

COMMENTARIVM.

IVdæorum terra ſola iubilabat deo, ſed quia nunc oculi eius, id eſt, dei ſuper gentes per Chriſtum attendunt, non iam ſola Iudæa iubilat deo, ſed omnis terra deo pſalmum dicit nomini eius, & dat gloriam laudi eius, & dicit deo. Quia terribilia ſunt opera tua in multitudine uirtutis tuæ, quibus te uerum deum dei filium declaraſti, quando mentiti ſunt inimici tui, dicentes: Nõ eſt à deo, te dæmonia fugante, mortuos ſuſcitante, leproſos mundante, paralyticos curante, mortuos ſuſcitante, mare pedibus ambulante, uentis imperante. In hac multitudine uirtutis tuæ mentiebantur tibi inimici tui, dicentes: Scimus quia à deo es, et non accipis perſonas hominum. Plus autem in multitudine uirtutis tuæ tunc mẽtiti ſunt, quando dixerunt te furatum à diſcipulis, cum iam reſurrexiſſes, & omnis terra, in cuius corde fueras, adorat te. Illi dicebant militibus mentimini, dicite eum furatum uobis dormientibus. Pſalmus hic reſurrectionem in titulo prænotat, nolite mentiri, ſi dormiſtis, non uidiſtis qui rapuit corpus. Aut enim uidiſtis rapientes & non dormi-

ſtis,

ſtis, aut dormiſtis, & non uidiſtis, Quid mentimini? Magis uenite & uidete opera domini, ipſe eſt enim iſte qui conuertit mare in aridam, ut tranſirēt patres ueſtri per ſiccum per medium mare. Ipſe *eſt qui diuiſit fluuium ut tranſirent eum pedibus patres ueſtri.* Magis *lætamini in unum omnes, quia ipſe eſt qui dominatur in uirtute ſua in æternum.* Et *quia oculi eius ſuper gentes reſpiciunt.* Vos Iudæi *gaudete, quod promiſſum patris ueſtri completur.* Deus *enim dixit* Abrahæ, In *ſemine tuo hæreditabo omnes gentes.* Quid *eis inuidetis, & more ſolito dominū ad iracundiam prouocatis, itaut dicat uobis:* Quia *auferetur à uobis regnum dei, & dabitur gentibus facientibus uoluntatem eius.* Benedicite *ergo gentes deum noſtrum, & obedite uoci laudis eius.* Hoc *ecclesia in omnibus ſequitur cum* Apoſtolis *& martyribus:* Poſuit, *inquit animam meam ad uitam, & non dedit cōmoueri pedes meos, quando probaſti nos deus, & examinaſti igne paßionum, ſicut examinatur argentum.* Induxiſti *in laqueum, poſuiſti tribulationes in dorſo noſtro, & homines ſupra capita noſtra,* Tamen *tranſiuimus per ignem martyrij, & aquam baptiſmatis, & induxiſti nos in refrigerium.* Nam *& in baptiſmo ſpiritu ſancto & igne cenſiti ſumus, quando intrauimus domum tuam in holocauſtis, & reddidimus uota, quæ locutum eſt os noſtrum in tribulatione noſtra.* Holocauſta *medullata offeram tibi.* Holocauſta *ſine medulla offerat deo, qui corde inanis, corpore uidetur orare & pſallere.* Ego *autē, inquit, medullata tibi offeram.* Orabo *ſpiritu, orabo, & mente, pſallam ſpiritu, pſallā et mēte, offeram incenſum arietū,*

uiriliter repugnans zelo ouiũ tuarum, aduerſus omnem hæreticũ: offeram tibi boues cum prædico, hyrcos cum imperium libidinis ſubiugo, uel iugulo. Venite et audite quanta deus fecit animæ meæ, ut animã meam eriperet, animã ſuã poſuit: ut me à morte eriperet, mortẽ accepit. Si nõ credo te uerũ deũ, & iniquitatẽ negantis uides eſſe in corde meo, non me exaudias deus. Verũ quia credo te eſſe, ideo exaudiſti me. Benedico te qui nõ amouiſti precẽ meam, nec miſericordiam tuam à me, qui regnas cum pa tre et ſpiritu ſancto per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

In finem in hymnis pſal. cantici Dauid. LXVI.

DEus miſereatur noſtri & benedicat nobis, illumi net uultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri. Vt cognoſcamus in terra uiam tuam, & in omnibus gentibus ſalutare tuum. Confiteãtur tibi po puli deus, confiteantur tibi populi omnes. Lætentur & exultent gentes, quoniam iudicas populos in æquita te, & gentes in terra dirigis. Confiteantur tibi populi deus: confiteantur tibi populi omnes, terra dedit fructum ſuum. Benedicat nos deus deus noſter, benedicat nos deus, & metuant eum omnes fines terræ.

COMMENTARIVM.

IN hymnis pſalmus cantici eſt, quod canebant angeli gloria in excelſis, quando illuminando uultum ſuum ſuper nos uenit, & benedixit nos, ut cognoſceremus in terra uiam dei, & in omnibus gentibus ſalutare eius. Confiteantur hoc populi, quia ueniſti ut lætẽtur gentes, quia incipiũt tuo iudicio agi in æquitate, & in terra cor poris ſui, à peruerſitate recto tenore auferri & dirigi.

Confi-

Confiteantur & hoc populi omnes, quia Maria ex terreno corpore, ſed cœleſti ſemine dedit fructum ſuum, ut benedicat ipſe fructus in trinitate. Benedicat nos deus deus noſter, benedicat nos deus. Ter deus dictus, unus in trinitate nominatus, quem metuunt omnes fines terræ, per omnia ſecula ſeculorum Amen.

In finem pſalmus cantici Dauid. LXVII.

E*Xurgat deus & diſſipentur inimici eius, & fugiant qui oderunt eum à facie eius. Sicut deficit fumus deficiãt, ſicut fluit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie dei.* Et *iuſti epulentur & exultent in conſpectu dei, & delectentur in lætitia.* *Cãtate deo, pſalmum dicite nomini eius, iter facite ei qui aſcendit ſuper occaſum, dominus nomen illi.* Exultate *in conſpectu eius, turbabuntur à facie eius patris orphanorum & iudicis uiduarum.* Deus *in loco ſancto ſuo, deus qui inhabitare facit unius moris in domo.* Qui *educit uinctos in fortitudine, ſimiliter eos qui exaſperant qui habitãt in ſepulchris.* Deus *cum egredieris in conſpectu populi tui, cum pertranſieris in deſerto.* Terra *mota eſt, etenim cœli diſtillauerunt à facie* Sinai, *à facie dei* Iſrael. Pluuiam *uoluntariam ſegregabis deus hæreditati tuæ & infirmata eſt, tu uero perfeciſti eam.* *Animalia tua habitabunt in ea, paraſti in dulcedine tua pauperi deus.* Dominus *dabit uerbum euangelizantibus uirtute multa.* Rex *uirtutum dilecti, dilecti & ſpeciei domus diuidere ſpolia.* Si *dormiatis inter medios cleros pẽnæ colũbæ deargentatæ, & poſteriora dorſi eius in pallore auri.* Dum *diſcernit cœleſtis reges ſu*

per eam niue dealbabuntur in Selmon mõs dei mons pinguis. Mons coagulatus mons pinguis, ut quid ſuſpicamini montes coagulatos. Mons in quo beneplacitum eſt domino habitare in eo, etenim dominus habitabit in finem. Currus dei decem milibus multiplex milia lætantium, dominus in eis in Synai in ſancto. Aſcendiſti in altum, cepiſti captiuitatem, accepiſti dona in hominibus. Etenim non credentes inhabitare dominum deũ.

Benedictus dominus die cotidie, proſperum iter faciet nobis deus ſalutariũ noſtrorum. Deus noſter deos ſaluos faciendi, & domini domini exitus mortis. Veruntamen deus cõfringet capita inimicorũ ſuorũ, uerticem capilli perambulantiũ in delictis ſuis. Dixit dominus ex Baſan conuertã, conuertam in profundũ maris. Vt intingatur pes tuus in ſanguine, lingua canũ tuorũ ex inimicis ab ipſo. Viderunt ingreſſus tuos deus, ingreſſus dei mei regis mei, qui eſt in ſancto. Præuenerunt principes coniuncti pſallentibus in medio iuuẽcularum tympaniſtriarum. In eccleſijs benedicite deo domino de fontibus Iſrael. Ibi Beniamin adoleſcentulus in mentis exceſſu. Principes Iuda duces eorum, principes Zabulon & principes Neptalym. Manda deus uirtuti tuæ, confirma hoc deus quod operatus es in nobis.

A templo tuo in Hieruſalem tibi offerant reges munera. Increpa feras harundinis congregatio taurorum in uaccis populorum, ut excludant eos qui probati ſunt argento. Diſsipa gentes quæ bella uolunt, uenient legati ex Aegypto, Aethiopia præueniet manus eius deo.

Regna terræ cantate deo pſallite domino. Pſallite

deo

deo qui aſcendit ſuper cœlum cœli ad orientem. Ecce dabit uoci ſuæ uocem uirtutis, date gloriam deo ſuper Iſrael, magnificentia eius & uirtus eius in nubibus. Mirabilis deus in ſanctis ſuis, deus Iſrael ipſe dabit uirtutem & fortitudinem plebis ſuæ benedictus deus.

COMMENTARIVM.

ITem pſalmus cãtici in quo exurgit à mortuis, ut diſſipentur inimici eius, & fugiant qui crucifixerunt eum à facie eius. Sicut deficit fumus contra altitudinem eundo, ſic deficiant: & ſicut fluit cera ignem quidem ſentiens, ſed ad naturã ſuam rediens, ſic pereant peccatores ſine conſpectu dei. Iſti uero, id eſt, Apoſtoli exurgente domino epulẽtur & delectẽtur in lætitia, & quouſq; aſcendat ſuper occaſum, iter faciant illi, et gaudeant in conſpectu eius. Super occaſum aſcendit, quia iuxta occaſum ſuum cœpit mundus eſſe quando in cœlos aſcendit. Vnde & Apoſtolus Ioannes dicit: Pueri nouiſſima hora eſt. Turbati ſunt à facie eius Iudæi, quando oſtendit ſe patrem orphanorum & iudicem uiduarum. Deus in loco ſancto ſuo. Vbicunq; ſanctitas eſt, locus dei eſt, & ibi eſt deus, & ipſe facit unanimes in domo, in eccleſia utique ſua unam fidem integram exercere, ipſe educet uinctos à diabolo in fortitudine ſua. Et ipſos qui ad iram prouocant, id eſt, qui magicis artibus ſeruiunt, hi ſunt qui habitant in ſepulchris. Deus egredere coram populo tuo, dum tranſieris ad deſertum terram mutaſti, quando cœli ſtellam protulerunt, à facie dei Iſrael. Tunc pluuiam uoluntariam ſegregaſti deus hæreditati tuæ, quando angeli cecinerũt pacem hominibus bonæ uoluntatis.

Hæreditas

Hæreditas eius in apoſtolis ſumpſit exordium, in quibus infirmata eſt ipſa hæreditas, ſed ipſe dominus perfecit eã reſurgẽdo à mortuis, oſtendẽdo fiſſuras clauorum in manibus, uulneris ſignũ in latere, & ita eam perfecit, ut nõ ſolum ſpiritales, ſed & animales habitent in ea, quia parauit ea dulcedinem ſuam deus, quando dedit uerbũ mulieribus dominus, ut euangelizarent uirtutem multam. Dominus ergo eis dedit uerbum dicens: Ite dicite fratribus meis, ut eant in Galilæam, ibi me uidebunt. Quis hoc dixit? Rex uirtutum dilecti, id eſt, interior Chriſti & ſpecies domus, utiq; corporis ſpecioſi forma præ filijs hominum, in quã diuidit ſpolia, & captiuauit ſynagogam, & & theſauros eius diuiſit in eccleſia, alij dedit prophetiã, alij uerbum, alij uirtutem ſanitatum: denique ultra ſynagoga non habet, nec prophetam, nec unctionem, nec ſacrificium. Hæc captiuæ ſynagogæ ſublata uelut ſpolia ſunt, diuiſa cum dormirent inter medios cleros ſcribæ et phariſæi. Inter medios inquam cleros, id eſt, inter libros ſanctos. Cleros enim libros hoc loco dictos, & Iudæi dicunt & noſtri plurimi tractatores. Ergo ſi inter libros diuinos poſiti dormiatis, id eſt negligatis, & tenẽtes claues regni, nec uos intretis, nec alios ingredi permittatis. Qui uos pennæ columbæ deargentatæ, id eſt, ò uos pennæ columbæ deargentatæ, id eſt, ſimulantes ſimplicitatẽ columbæ, ueluti pennæ eius uos oſtendiſtis. Porrò autem deargentatæ pennæ eſtis non uerũ argentum, & ſpeciẽ auri, non aurum uerum oſtenditis. Ergo ſi uos dormitis, ego dabo uigilantes cœleſtes reges, id eſt, apoſtolos ſuper terram, ut in omnem terram exeat ſonus eorum. Ita ut hi

quos

quos nigredo peccatorũ obtinuit,ad prædicationem eorum niue dealbentur in Selmon. Selmon locus eſt in quo purificabantur proſelyti,uel hi,qui ſatebantur grauiori bus ſe pollutionibus inquinatos. κατ᾽ ἀντίφρασιν locum Selmon uoluit dici omnem locum, in quo hi qui nigrificauerunt peccatorum ſordibus, dealbentur.Ergo cum diſcernit dominus ſuper terram Apoſtolos ſuos,qui cunq; audierunt eos & crediderunt,ſi ſuper ſeniciũ fuerunt nigri,tanquam lana candida facti, quaſi nix dealbati ſunt in Selmon,in loco purificationis,ubi omnia peccata lauantur: ubi mons dei, eſt mons pinguis,nullus alius niſi Chriſtus Ieſus, ipſe pinguis, ſudans oleo lætitiæ,oleo chryſmatis, mons coagulatus eſt. Hic ipſe mons pinguis in unitate deitatis trinitatem coagulatam gerens. Videte ne ſuſcipiatis in deitate alium aliunde. Nam qui hæc faciunt,arguũtur,& dicitur eis:Vt quid ſic ſuſcipitis montes uberes,id eſt, ut quid pluralem facitis deitatem. Coagulatum montem in unitate tenete, & patrem ac ſpiritum ſanctum in uno Domino noſtro Ieſu Chriſto ſuſpicite. Ipſe eſt enim mons in quo placuit deo habitare in eo, & in ipſo dominus habitauit in ſecula ſeculorum. Huius currus decem milibus. Multiplex currus eius in paſsione agitatus eſt, ubi ſibi ipſe plus ſufficit, quàm decem milia legiones angelorum, & milia lætantium,quæ fuerunt cum Moyſe in Sina in ſancto. Tunc aſcendit in altum, id eſt, in crucem, cepit captiuitatem, ipſam captiuitatem ligni primi,ipſam cepit,& de peccato damnauit peccatum. De ligno, inquam,crucis lignum concupiſcentiæ cepit, & dona erogauit hominibus. Paſſus

eſt etiam

eſt etiam,qui non credebant,etiam his dona dedit in cru ce poſitus, & nõ parua dona. Audi quàm magna. Preces pro his fundebat,dicẽs: Pater remitte illis,quia ignorãt. Dedit ergo dona hominibus, id eſt,credentibus,& nõ ſo lum credentibus, ſed etiam his qui non credunt inhabita re dominum, qui non credunt, quia deus erat in Chriſto mundum concilians ſibi. Benedictus dominus pater, be nedictus deus filius. Benedictus dominus ſpiritus ſanctus, quia proſperum iter crucis ſuæ fecit nobis deus ſaluator noſter,qui ideo cruciari uoluit,ut nos ſaluos faceret. Ideo mortis exitium ſuſcepit,ut conquaſſaret capita inimico rum ſuorum, & liberaret peccatores de manibus dæmo num,qui à uertice capilli perambulabant in delictis ſuis. Dixit dominus ex Baſan conuertam. Baſan rex fuit,qui pro peccato captiuabat Iſrael. Ergo qui pro peccatis ſu is à Baſan capti ſunt,per crucem meam ex Baſan conuer tam. Verum quia in abyßis & in profundo eſt locus dia boli, etiam inde conuertam dicit interior diuinitas per fecta, profecto homini ſuo Ieſu Chriſto: Conuertam, in quit,etiam de profundo maris,donec intingatur pes tuus in ſanguine paßionis. Ibi lingua canum tuorum. Canum utique latrantium: Crucifige Crucifige. Ergo hæc lingua canum ex inimicis ab ipſo diabolo excitata eſt. Poſt paſ ſionem autem uiſi ſunt ingreſſus tui deus, probatum eſt, quia ingreſſus eſt in homine deus, & eſt in ſancto. De quo præuenerunt principes prophetæ coniuncti pſallen tibus in medio iuuencularum,quæ exierant in occurſum Dauid,cantantes: Vicit Dauid in decem milibus. Deiecto Golia,ibi Chriſtus in Dauid erat uictor in medio iuuen

tularum tympaniſtriarum. Verum quia ibi fuit imago, hic ueritas comprobatur. Nolite hæc in ſynagoyis canere, ſed in eccleſijs ſanctorũ, ibi benedicite dominum, non aliunde uenientem, non aduenam, non nouum, ſed ipſum qui ſemper eſt, dominũ de fontibus Iſrael. Ibi Beniamin adoleſcentior in pauore. Vbi? Ibi in eccleſijs ſine dubio. Ibi Beniamin ille qui dicit: Ego Iſraelita ſum ex tribu Beniamin. Quare adoleſcentior? Quia nouißimus natus eſt patri ſuo. Inter illos undecim cœpit eſſe duodecimus, ſed in conuiuio duplices partes accepit, ita ut amplius illis omnibus laborans, obtineret hunc ipſum laborem non ſibi, ſed gratiæ dei patris ſui imputans. Ibi ergo Beniamin adoleſcentior, in pauore, id eſt, in exceſſu mentis. Ruit enim ſubito, & expauit: ruit in terra, & ſurrexit in cœlo: ruit perſecutor, & ſurrexit Apoſtolus: ruit Saulus, & ſurrexit Paulus. Vbi tamen ubi Beniamin? ubi ſi interrogas: ibi, inquit, ubi principes Iuda, ubi principes Zabulon, ubi principes Neptalim, ubi mãdauit deus uirtutem ſuam, ubi confirmauit quod operatus eſt in nobis, ubi eſt templum in triduo ſuſcitatum, quod eſt in Hieruſalem ubi offerunt reges munera, ubi increpãtur feræ ſiluæ. Hæretici ſunt qui quaſi feræ in ſilua legis latebram fouent, ut ex occulto lædant conſilium taurorũ inter uaccas populorum. Lædere enim ſtudent ſacerdotum conſilia, qui hoc loco tauri nominantur apti altario inter uaccas, id eſt, inter plebes ſurdas & ignaras agentes. Quare autem increpari à deo poſtulantur? Vt inſipientia eorũ nota fiat omnibus, ne forte cum hi non increpantur, excludant eos qui non ſunt deargentati, ſed probati ſunt argento.

gento. Diſſipa eos domine, quia bella uolunt. Venient legati ex Aegypto Pharaone demerſo, mitte duces tuos ad Aegptum, fungãtur legatione ex Aegypto: ipſam etiam interiorem partem Aegypti, Aethiopiam præueniat manus tua: ut regna terræ canãt tibi, qui aſcendiſti in cœlos cœlorum ad orientem, quando dediſti uocem tuam uocẽ uirtutis, ut in tuo nomine Apoſtoli ſuper omnes infirmãtes, & ſuper dæmones, & ſuper ipſam mortem uirtutem imperandi ſuſciperẽt, ut facientes hæc ſigna dicerẽt gentibus. Date honorem deo, ſuper Iſrael magnum nomen eius, & per eum qui uidet deum in Chriſto, cuius uirtus in nubibus, In Apoſtolis ſcilicet, quos mittens ad gentes, monuit, ne pluerent in Iudæam, ut compleret quod diceret: Mandabo nubibus meis, ne pluant ſuper eam pluuiã. Non enim iam in incredulis mirabilis uult eſſe, ſicut ſemper fuit in incredulis mirabilis, ſed nunc mirabilis in ſanctis, quibus credentibus dat uirtutẽ, & per ipſos dat fortitudinem plebi ſuæ benedictus deus, qui regnat in ſecula ſeculorum Amen.

In finem pro his qui commutabuntur, pſalmus ipſi David. LXVIII.

SAluum me fac deus, quoniam intrauerunt aquæ uſque ad animam meam. Infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia. Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me. Laboraui clamans raucæ factæ ſunt fauces meæ, defecerunt oculi mei dum ſpero in deũ meũ. Multiplicati ſunt ſuper capillos capitis mei, qui oderũt me gratis. Confortati ſunt qui perſecuti ſunt me inimici mei iniuſte, quæ nõ rapui tunc exoluebam.

olvebam. Deus tu ſcis inſipientiam meam, & delicta mea à te non ſunt abſcondita. Non erubeſcāt in me qui expectant te domine uirtutum. Non confundantur ſuper me, qui quærūt te deus Iſrael. Quoniam propter te ſuſtinui opprobriū, operuit confuſio faciem meam. Extraneus factus ſum fratribus meis, & peregrinus filijs matris meæ. Quoniam zelus domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantiū tibi ceciderunt ſuper me. Et operui in ieiunio animā meam, & factū eſt in opprobrium mihi. Et poſui ueſtimētum meum cilicium, & factus ſum illis in parabolam. Aduerſum me loquebantur qui ſedebant in porta, & in me pſallebant qui bibebant uinum. Ego uero orationem meam ad te domine, tempus beneplaciti deus. In multitudine miſericordiæ tuæ exaudi me in ueritate ſalutis tuæ. Eripe me de luto ut non infigar, libera me ab his qui oderunt me, & de profundis aquarū. Non me demergat tempeſtas aquæ, Neq; abſorbeat me profundum, neq; urgeat ſuper me puteus os ſuum. Exaudi me domine quoniam benigna eſt miſericordia tua, ſecundum multitudinem miſerationū tuarū reſpice me. Et ne auertas faciem tuā à puero tuo, quoniam tribulor uelociter exaudi me. Intende animæ meæ & libera eam, propter inimicos meos eripe me. Tu ſcis improperiū meum, et confuſionem meā, & reuerentiam meam. In conſpectu tuo ſunt omnes qui tribulant me, improperiū expectauit cor meum & miſeriam. Et ſuſtinui qui ſimul contriſtaretur et non fuit, qui conſolaretur & non inueni. Et dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto. Fiat menſa eorum

rum coram ipſis in laqueũ, & in retributiones et in ſcandalum. Obſcurentur oculi eorum ne uideant, & dorſum eorũ ſemper incurua. Effunde ſuper eos iram tuã, & furor iræ comprehendat eos. Fiat habitatio eorum deſerta, & in tabernaculis eorum non ſit qui inhabitet.

Quoniam quem tu percuſsiſti perſecuti ſunt me, & ſuper dolorem uulnerum meorum addiderunt. Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum, & non intrent in iuſtitiam ſuam. Deleantur de libro uiuentium, & cũ iuſtis non ſcribantur. Ego ſum pauper & dolens, ſalus tua deus ſuſcepit me. Laudabo nomen dei cum cantico, & magnificabo eum in laude. Et placebit deo ſuper uitulum nouellum cornua producentem & ungulas. Videant pauperes et lætentur, quærite deũ & uiuet anima ueſtra. Quoniam exaudiuit pauperes dominus & uinctos ſuos non deſpexit. Laudent illum cœli & terra, mare & omnia reptilia in eis. Quoniam deus ſaluam faciet Syon, & ædificabuntur ciuitates Iudæ. Et inhabitabunt ibi, & hæreditate acquirent eam. Et ſemen ſeruorum eius poßidebit eam, & qui diligunt nomen eius habitabunt in ea.

COMMENTARIVM.

IN domino noſtro Ieſu Chriſto duas ſubſtantias dei & hominis confitemur, & uirtutes deo tradimus, infirmitates homini applicantes, cuius uocem in iſto pſalmo ab initio uſq; ad finẽ prophetatam aduertimus. Conſuetudo habet humani ſermonis, ut grauem calumniam patientem, graui dicamus tempeſtati accumbere, hoc ordine aquas uſq; ad animã ſuam perueniſſe ſignificat. Dicendo

cendo aūt in limo profundi ſe infixum, fabricā primi hõminis ſonat, in qua fixū cruci tempeſtas ſeditioſi populi merſit eum in mortem. Rogat nūc pro diſcipulis ut non *erubeſcant in eo, qui expectāt reſurrectionem eius, neq; confundantur qui requirunt te in me deus Iſrael.* Quoniam propter te, *inquit portaui improperiū, dum facio uoluntatē tuam, illos offendi, operuit reuerentia faciem meā palmis attractatā, exterus factus ſum fratrib. meis, omnes me derelicto fugerunt.* Hoc ideo *paſſus ſum, quia zelatus ſum domum tuam, quia eieci de templo tuo negotiationes, operui ieiunio animam meā, quadraginta diebus totidemq; noctibus nihil accipiēs, indutus ſum ſacco, forma ſerui. Indutus ſum rex cœlorū, & factus ſum illis in parabolam, hinc inde uerborum inſultationibus ſubiacens. Aduerſum me exercebantur ſacerdotes, ipſi in portis eliguntur ſedere, ſicut* Hieremias *dicit, oderunt arguētem. In portis ergo hi accipiunt pontificium iudicandi & corripiendi, quaſi qui claues ciuitatis teneant in portis ſedere memorantur, & in me pſallebant ebrij.* Ego *uero orationem fundens agebā, ut eriperes me de luto mortis, ne ibi adhærerem, ut non urgeret ſuper me puteus os ſuum. Puteus pro diabolo hoc loco poſitus eſt. Puteus à potando dicitur, ipſe potauit primos homines, et per populū oris ſui aperuit ſuper eos os in morte.* Vnde *ſancti in paßione euadentes dicunt:* Niſi *dominus fuiſſet in nobis, forſitā uiuos deglutiſſent nos. qui? miniſtri utiq; eiuſdem inimici. Suſtinui, inquit, qui ſimul contriſtaretur et non fuit.* Non *enim poterat ſimul pati diuinitas, ſicut ſol ſi in ligno ſit, quando cōciditur ſimul concidi nō poteſt;*

Forte per poculum

ita diuinitas ſimul fuit paßioni, & ſimul non patiebatur triſtitiã. Quæſiui conſolantẽ & nõ inueni, tot milia ſaturati, tot milia ſaluati, infiniti edocti, & nec unus inuentus eſt mihi cõſolator tempore quo dederunt in eſca mea fel, & in ſiti mea potauerũt me aceto. Propter hoc facta eſt menſa eorum coram ipſis in laqueum. Menſam hic ſynagogam canit, ad quam, quaſi refecturi ſpiritaliter euntes, laqueum æternæ mortis incurrunt. Obſcuratos habẽtes oculos ne uideant lumen eccleſiæ, dorſum ſuum parietibus uanis incuruant. Et ideo apponitur iniquitas ſuper iniquitatem ipſorum, quia & ipſi geminant iniquitates ſuas. Occiderunt Chriſtum, ſanctos perſecuti ſunt, eccleſiam negãt, uoces prophetarum euacuant. Et ideo delentur de libro uiuentium, & cum iuſtis nõ ſcribuntur. Non habent enim partem cum Abraham, neq; cum omnibus ſanctis ueteris teſtamenti, quia contempſerũt pauperem in aſpectu, illum de quo omnes patres eorum concionati ſunt: Pauper, inquit, ego & dolens. Pauper ut nos diuites faceret, dolens ut nos à doloribus æternis eriperet. Factus eſt hoſtia deo pro nobis, pacificans in ſanguine ſuo, ſiue qui in terris ſunt, ſiue qui in cœlis. Et placuit in ſacrificio crucis, quaſi uitulus nouellus cornua producẽs duorum teſtamentorum, & ungulas quatuor euangeliorum quod uidentes pauperes lætantur. Pauperes Apoſtoli, nõ habentes duas tunicas, non peram, non pecuniam in zonis ſuis. Vnde & petrus mendicanti infirmo: Argentum & aurum non habeo, ſed quod habeo hoc do tibi. In nomine Ieſu ſurge & ambula. In his operibus magnificatus eſt dominus Ieſus Chriſtus in laude, quod uidentes pauperes

peres gratulantur, quia ſic exaudit pauperes dominus, uinctos ſuos non ſpernit. Laudate eum cœli, quia aſcendit, & terra quia reſurrexit, & mare quia pedibus illud ambulauit, & Syon quia ædificauit eam non habentem maculam, neq; rugam, & ciuitates Iudæ animæ Apoſtolorum, quæ inhabitantur à Chriſto, & hæreditatem primam acquiſiuit eas. Semen etiam ſeruorum Chriſti poßidebunt eas qui non poßident terrenas uanitates. Apoſtolorum utiq; doctrinas poßident, & qui diligunt nomen domini inhabitabunt in ea, id eſt, in fide, in doctrina, in eccleſia. In qua regnat dominus noſter Ieſus Chriſtus cum patre & ſpiritu ſancto, nunc & in cuncta ſecula ſeculorum Amen.

In finem pſalmus Dauid in rememoratione quod ſaluum fecit eum dominus. LXIX.

DEus in adiutoriū meum intende, domine ad adiuuandum me feſtina. Confundantur et reuereantur, qui quærūt animam meam. Auertantur retrorſum & erubeſcant, qui uolunt mihi mala. Auertantur ſtatim erubeſcentes, qui dicunt mihi euge euge. Exultent & lætentur in te omnes qui quærunt te, & dicant ſemper magnificetur dominus, qui diligunt ſalutare tuū. Ego uero egenus et pauper ſum, deus adiuua me. Adiutor meus et liberator meus es tu, domine ne moreris.

COMMENTARIVM.

IN rememoratione, inquit Dauid, eo quod ſaluum me fecit Dominus, ibi dixit ſaluum me fac domine, hic gratias agit ſaluatus. Quid tamē orauit, ad adiuuandum me feſtina, feſtinanter ſuſcita me à mortuis, ut erube

ſcant ſtatim erubeſcentes, qui dicũt mihi, euge euge. Exul tent hi qui ſperãt in te, & qui quærũt te, & dicãt ſemper magnificetur dominus qui diligunt ſalutare tuũ. Liquet Apoſtolos, & quæſiſſe & dilexiſſe: Ego uero, ait, mendicus & pauper ſum. Exinaniui enim meipſum, factus obe diens uſq; ad mortẽ. Deus adiuua me, non enim fragilitas humana reſurgit, niſi potentia fuerit diuina releuata. Ad iutor ergo & liberator meus eſto domine, ne tardaueris, deus qui regnas in ſecula ſeculorum Amen.

Pſalmus Dauid filiorum Ionadab & priorum captiuorum. LXX.

IN te domine ſperaui non confundar in æternum, in iuſtitia tua libera me, & eripe me. Inclina ad me aurem tuam, & ſalua me. Eſto mihi in deum protectorem, & in locũ munitum, ut ſaluũ me facias. Quo niam firmamentũ meum, & refugiũ meum es tu. Deus meus eripe me de manu peccatoris, et de manu contra le gem agentis, & iniqui. Quoniam tu es patientia mea domine, domine ſpes mea à iuuentute mea. In te confirmatus ſum ex utero de uentre matris meæ, tu es prote ctor meus. In te cantatio mea ſemper, tanquam prodi gium factus ſum multis, & tu adiutor fortis. Repleatur ós meum laude, ut cantem gloriam tuam, tota die magni tudinem tuã. Ne proijcias me in tempore ſenectutis, cũ defecerit uirtus mea ne derelinquas me. Quia dixerũt inimici mei mihi, & qui cuſtodiebant animam meam cõ ſilium fecerũt in unum. Dicentes deus dereliquit eum perſequimini & comprehendite eum, quia non eſt qui eripiat. Deus ne elongêris à me, deus meus in auxiliũ

meum

meum reſpice. Confundantur & deficiant detrahen-tes animæ meæ operiãtur confuſione et pudore, qui quærunt mala mihi. Ego autem ſemper ſperabo, & adijciam ſuper omnem laudem tuam. Os meum annunciabit iuſticiam tuã, tota die ſalutare tuum. Quoniam nõ cognoui literaturam introibo in potentias domini, domine memorabor iuſtitiæ tuæ ſolius. Deus docuiſti me à iuuentute mea, & uſq; nunc pronunciabo mirabilia tua. Et uſq; in ſenectam & ſenium, deus ne derelinquas me. Donec annunciem brachium tuum, generationi omni quæ uentura eſt. Potentiã tuam & iuſticiam tuã deus uſq; in altißima quæ feciſti magnalia, deus quis ſimilis tibi. Quantas oſtendiſti mihi tribulationes multas et malas, & conuerſus uiuificaſti me, & de abyßis terræ iterũ reduxiſti me. Multiplicaſti magnificentiam tuam, & conuerſus conſolatus es me. Nam & ego confitebor tibi in uaſis pſalmi ueritatem tuam deus, pſallam tibi in cythara ſanctus Iſrael. Exultabunt labia mea cum cantauero tibi & anima mea quam redemiſti. Sed & lingua mea meditabitur iuſtitiam tuam, cum confuſi & reueriti fuerint, qui quærunt mala mihi.

COMMENTARIVM.

PSalmus, inquit, filiorũ Ionadab, et priorũ captiuorum. Videndũ eſt cũ quibus canit Dauid. Cũ filijs Ionadab, de quibus Hieremias dicit patria cõſtitutione uinũ non bibere, & uocẽ domini increpantis memorat, quia dictũ eſt. Filij Ionadab cuſtodiunt præcepta patris ſui, & nõ bibent uinũ. Non ergo putemus filios Ionadab cũ Dauid ceciniſſe pſalteriũ, ſed ſobrietatis uiros

*participes fuiſſe,et in pſallēdo deo.*Non *enim canebatur ad libitū, ſed ad gemitū,ubi captiui primi ſimul lachrymas funderēt, dicentes:*Deus *meus eripe me de manu cōtra leges agentis & iniqui.* In *te confirmatus ſum ex utero.*Ex *utero utiq; uirginali.* Nos *dicimus in deo cōfirmatum Chriſtū, qui tanquam prodigiū factus eſt multis incredulis,credentibus aūt extitit adiutor & fortis.* Reple*tum eſt os eius nō in cibo,nō ebrietate,ſed laude, & non eſt protectus in tēpore paßionis cū deficeret uirtus eius:* Non *eſt penitus derelictus tempore quo dicebant inimici:*Deus *dereliquit eū.*Tunc *deus non diſceßit ab eo,quo reſurgente erubuerunt,& confuſi ſunt inſultantes auerſi retro,& confuſi uolentes animam eius nullam cognoſcens aliā negotiationē,niſi hanc ut intraret in potentias domini.*Nūc *exterior interiori dicit:* Quæ *feciſti magnalia deus, quis ſimilis tibi,quantas oſtendiſti mihi tribulationes multas & malas,& conuerſus ecce uiuificaſti me, & de abyſſo terræ iterum reduxiſti me.* Dicendo *iterum quæſtionem fecit.* Semel *enim paſſus,ſemel mortuus,ſemel ſepultus,ſemel de abyſſo terræ reductus.quid eſt hoc iterum?* Iterum *dicendo excluſit noua.*Ita *nos pœnitentiæ recuperationem negantes, & prædas leonum in eorū faucibus relinquentes,noſter hic paſtor non relinquet prædam,nō uidet lupum & fugit,ſed uiuentes de ore leonum oues eripiens,iterum ſuis gregibus præſentat incolumes,hoc eſt,iterū,qui in ipſo ſepulti ſumus per baptiſmum, &* Chriſtum *induti morimur, quando nos morti tradimus conſentiendo inimicis noſtris, qui nos ſic terrenis uoluptatibus implicant,ut uideamur in abyſſo terræ demerſi.*

Etiam Hieronymus *in cōmētarijs pro literatura uertit negotiationē.*At*que ita habet pſalteriū* Ro*manum.*

demerſi. Sed quia non patitur in nobis perire quod contulit, iam per baptiſmum ſemel à mortuis ſuſcitatos ad uitam æternam, ab æterna uita per diaboli excluſos aſtuciam, in eo iterum Chriſtus de abyſſo terræ reducit, in quo multiplicans iuſtitiam ſuam, id eſt, excommunicans eū, & à pacis oſculo proijciens, conuerſus iterum conſolatur, reddens ei communionem quam abſtulerat, oſculum quod negabat: Et ego, inquit, cōfitebor, ait, quia confeſſio eſt quæ liberat pœnitentem. Confitetur ergo in oratione ſua domino deo ſuo peccata ſua. Dei autem ueritatem in uaſis pſalmi. Quæ ſunt uaſa pſalmi? In uaſis pſalmi ueritatem dei nunciant, qui intus intra uaſculum corporis ſui ueritatem rectæ fidei habent incluſam. Namq; ſi incorporaliter quiſpiā pœnitentiæ ſuæ afflictiones oſtēdat, à peccato abſtineat, in ieiunio, cinere, cilicioq; permaneat: niſi in uaſis pſalmi ueritatem teneat, omnia quæ laborauerit euaneſcunt. Facilius per ueritatem fidei ſine ſuâ ad indulgentiam ueniet, quàm per afflictionem ſuam ſine ueritate attinget. Age ergo in confeſſione tua correptionem etiam ſine cilicio, & in pſalmi uaſculo ueritatē include. Pſalmus enim quem canis ad deum non peruenit, niſi intus in uaſculo ſuo ubi pſalmū includit memoria, in uaſe inquam ipſo ueritas dei ſimul fuerit cōmorata. Tunc pſallis in cythara ſancto Iſrael, tunc gaudent labia tua, dum cantas domino, & anima tua quā redemit, quam iterū de abyſſo reuocās liberauit, & cōfundit æterna confuſione qui quærebat eā. Solus enim creator eius poſſidet eam, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen. Luth.

o 5 Pſalmus

Pſalmus Dauid in Salomonem LXXI.

DEus iudicium tuum regi da, & iuſticiam tuam filio regis. Iudicare populum tuũ in iuſticia,& pauperes tuos in iudicio. Suſcipiãt montes pacem populo,& colles iuſtitiã. Iudicabit pauperes populi,et ſaluos faciet filios pauperũ, & humiliabit calumniatorem. Et permanebit cũ ſole & ante lunã,in generatione & generationẽ. Deſcendet ſicut pluuia in uellus,& ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terrã. Orietur in diebus eius iuſticia,et abundantia pacis,donec auferatur luna. Et dominabitur à mari uſq; ad mare, & à flumine uſq; ad terminos orbis terrarum. Coram illo procident Aethiopes,& inimici eius terram lingent. Reges Tharſis & inſulæ munera offerent,reges Arabũ,& Saba dona adducent. Et adorabunt eum omnes reges,omnes gentes ſeruient ei. Quia liberauit pauperem à potente,& pauperẽ cui non erat adiutor. Parcet pauperi & inopi, & animas pauperum ſaluas faciet. Ex uſuris & iniquitate redimet animas eorũ,& honorabile nomen eorum coràm illo. Et uiuet & dabitur ei de auro Arabiæ, et adorabunt de ipſo ſemper,tota die benedicẽt ei. Erit firmamentũ in terra in ſummis montiũ, ſuperextolletur ſuper libanũ fructus eius,et florebunt de ciuitate,ſicut fœnũ terræ. Sit nomen eius benedictũ in ſecula,ante ſolem permaneat nomẽ eius. Et benedicentur in ipſo omnes trib.terræ,omnes gentes magnificabũt eum. Benedictus dominus deus Iſrael,qui facit mirabilia ſolus. Et benedictũ nomen maieſtatis eius in æternũ, replebitur maieſtate eius omnis terra:fiat fiat.

COM-

COMMENTARIVM.

Qvi prophetiam in pſalmis credunt, tenent illam regulam quam cecinit Zacharias dicens de deo, quod ipſe locutus ſit per os prophetarum, liberaturum ſe nos ab inimicis noſtris. Quod autem in capite huius pſalmi legis, dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum explanatorem inuenies. Dicit enim in euangelijs: Pater nõ iudicat quemquam, ſed omne iudicium filio dedit. Quod ergo per os ſanctorum promiſit in filio ſuo, rex uerum impleuit, cuius tunc imaginem Salomon gerens, ſapientis nomẽ accepit, habens in ſe ſcintillam ſapiẽtiæ. Hic autem ipſa ſapientia ueniens dedit pacem montibus, id eſt, Apoſtolis et collibus iuſticiã, id eſt, plebibus, iudicauit cũ iuſticia pauperibus, contẽnens perſonas diuitũ, Humiliauit calumniatorẽ, id eſt, populum Iudaicũ. Permanet cũ ſole, imo ſuper ſolem, quia ad dexterã patris permanet ſedens, & ante lunam in ſecula. Lunam hoc loco nõ pro cauſa lunæ, ſed pro æternitate memorauit Domini Ieſu Chriſti. Et deſcendit ſicut pluuia in uellus, id eſt, in uelleribus lanæ, ſicut Gedeon ſignũ uictoriæ in uelleribus lanæ percepit. Nam & uerbum ſuum pater ſic iuſsit ſicut pluuia expectari: Expectetur, ait, ſicut pluuia uerbum meum. Ergo quem in Deuteronomio iuſsit expectari ſicut pluuiam, in euangelijs præſentauit ſicut pluuiã. Non utiq; ex inferioribus ſemine humano erũpente progenitum, ſed uerbo patris de cœlorũ altitudine quaſi pluuiã uenientem exortũ. Exortum, inquam, in tenebris mundi lumen rectis corde. Orta eſt in dieb. eius iuſticia & abundantia pacis. Pacem meam do uobis, non talem qualem

hic

hic mundus habet, ſed pacem meam illam qualem habēt cœli, in qua dominatur Chriſtus à mari uſq; ad mare, hoc eſt, ſuper omnem terram aquis maris & fluminum circundatam. Coram illo procident Aethiopes. Aethiopes nigredinis circundati perfidia, non in corio carnis, ſed in ſenſibus animæ. Propter hoc procident ante eum, & terram inimici eius lingent, ut indulgentiam ab eo conſequi mereantur. Reges autem Tharſis & inſulæ munera offerunt, id eſt, qui regnant in corpore ſuo ſecuri & munera offerunt, reges Arabum & Saba dona adducunt, qui dominantur moribus Barbaris. Hi dona adducunt animas ſuas, ut ipſas ei tradant ad adorandum eum cum regibus terræ, qui terrenis uoluptatibus dominātur. Omnes autem gentes ſeruient ei, quia liberat pauperem à potente. Vide cauſam, ideo ait omnes gentes ſeruient ei, quia liberat pauperem, ſenſum eorum à potente & aſtuto diabolo, qui eos ſuaſit opera manuum ſuarum timere & colere. Ex uſuris et iniquitate liberauit animas eorū, Ampliabantur uſuræ animabus eorū, quia quod debebatur deo, idolis tradebatur (& illis accipientibus, ſi tamē uel dici poteſt illis accipiētib. qui nihil nec accipiūt, nec recuſant) dæmonijs ergo accipientibus quod ſoli deo debebatur, iſtis & debitum concreuit & fœnus. Videns pius, cui pater iudicium ſuum tradidit in reddendo eos ſatis eſſe mendicos, hoc iudicauit: Inuicem, inquit, uos homines remittite uobis debita, & uobis remittit pater uester qui eſt in cœlis. Et adiecit: Si non remiſeritis, nec uobis remittit. O liberātem ex uſuris & iniquitate animas, uerè præclarum nomen tuum nobis, qui uiuis in ſecula

ſeculo-

ſeculorum, uiuis & dabitur tibi aurum Arabiæ. Aurum enim terræ illius eſt magnum, aurum accipis probatū, fulgidum in Apoſtolis, in martyribus, in confeſſoribus, in uirginibus. Aurum accipis, non tibi poteſt fieri impoſtura. Erit firmamentum tuum in terra corporum noſtrorum, non in conualle fletus, ſed in ſummis montibus ſuperextolletur fructus tuus, & ſupergredietur altitudinem etiam Libani montis, & floriet in altitudinibus Apoſtolorum. Quid floriet audiamus: Sicut fœnum, inquit. ergo in illa altitudine laudata floriet fœnum. Floriet in eccleſia uſq; hodie, ut paſcantur iumenta, nihil cum populo defectionibus agitur. Ibi ergo producitur fœnū iumentis. Perfectorum enim eſt ſolidior cibus. quia ergo fœnum florent montes, nemo fugiat eccleſiam, ueniant omnes ut benedicatur ibi deus Iſrael, qui facit mirabilia ſolus, & ſit ibi nomen maieſtatis eius benedictum in ſecula, ut repleatur maieſtate eius omnis terra: fiat fiat, ipſi gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

Defecerunt hymni Dauid filij Ieſſe. Pſalmus Aſaph. LXXII.

QVàm bonus Iſrael deus, his qui recto ſunt corde. Mei autem penè moti ſunt pedes, penè effuſi ſunt greſſus mei. Quia zelaui ſuper iniquos, pacem peccatorum uidens. Quia non eſt reſpectus morti eorum, & firmamentum in plaga eorum. In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Ideo tenuit eos ſuperbia, operti ſunt iniquitate et impietate ſua. Prodijt quaſi ex adipe iniquitas eorū, tranſierunt in affectum cordis. Cogitauerunt & locuti

cuti ſunt nequitiam, iniquitatem in excelſo locuti ſunt.

Poſuerunt in cœlum os ſuum, & lingua eorum tranſiuit in terra. Ideo conuertetur populus meus hic, & dies pleni inuenientur in eis. Et dixerunt quomodo ſcit deus, et ſi eſt ſcientia in excelſo. Ecce ipſi peccatores, & abundantes in ſeculo obtinuerunt diuitias. Et dixi, ergo ſine cauſa iuſtificaui cor meum, & laui inter innocentes manus meas. Et fui flagellatus tota die, & caſtigatio mea in matutinis. Si dicebam narrabo ſic, ecce nationem filiorum tuorum reprobaui. Exiſtimabam ut cognoſcerem, hoc labor eſt ante me. Donec intrem in ſanctuarium dei, & intelligam in nouiſsimis eorum. Verumtamen propter dolos poſuiſti eis, deieciſti eos dum alleuarentur. Quomodo facti ſunt in deſolationem, ſubito defecerunt perierunt propter iniquitatem ſuam. Velut ſomnium ſurgentium domine in ciuitate tua imaginem ipſorum ad nihilum rediges. Quia inflammatum eſt cor meum, & renes mei cõmutati ſunt, et ego ad nihilum redactus ſum, & neſciui. Vt iumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum. Tenuiſti manum dexteram meam, & in uoluntate tua deduxiſti me, & cum gloria ſuſcepiſti me. Quid enim mihi in cœlo, & à te quid uolui ſuper terram. Defecit caro mea & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Quia ecce qui elongant ſe à te peribunt, perdidiſti omnes qui fornicantur abs te. Mihi autem adhærere deo bonum eſt, ponere in domino deo ſpem meam. Vt annunciem omnes prædicationes tuas in portis filiæ Sion,

COM-

COMMENTARIVM.

CVm deus omnibus bonus ſit, & nulli ſit malus, quid ſit uoluit dicere. His bonus, qui recto ſunt corde. Hæc dictio humanis ſenſibus applicanda eſt his, qui uituperant iudicia dei, dicentes: Ille perfidus, ille iniquus, ſordidus, truculentus, inſanus eſt. Ille autẽ innocens, caſtus, humilis, inſania fatigatur, infirmitate concutitur, & his ſimilia. Hæc rectis corde uirtutum ſemina conprobantur. In quibus probata fides ſegetem ſuam in æternæ uitæ amœnitate ſuſcipiat, & in ſeculo quaſi in hyeme glaciali poſiti primæ anaſtaſis quaſi primi uerbi flores expectent. Lætantes itaq; in pace ſua peccatores, quod cum hominibus non flagellaniur teneat ſuperbia, fiant craßi, prodeat ex adipe eorum iniquitas, ponãt in cœlo os ſuũ, & loquantur iniquitatem in excelſo, dicant non eſſe ſcientiã in deo, qui tamẽ ſunt audiamus: Hi ſunt, inquit, peccatores, & abundantes, qui in ſeculo obtinuerunt diuitias, mei autem penè moti ſunt pedes, & à recto itinere penè effuſi ſunt greſſus mei, quia dixi in corde meo: Ego ſine cauſa iuſtificaui cor meum, & laui inter innocentes manus meas. At ubi conſideraui omnia temporalia eſſe quæ peccantibus miniſtrantur, & ſubito eos deficere & perire propter iniquitatem ſuam, & iſtam uitam eos quaſi ſomnium tranſire. Et quia deus in ciuitate ſua Hieruſalem quã præparat ſanctis, imaginẽ eorũ ad nihilum rediget, tunc inflammatum eſt in amore dei cor meum, & renes mei reſoluti ſunt, id eſt, ad caſtitatis libertatẽ à mali exẽpli uinculo reſoluti. Ideo enim ad nihilũ redactus ſum, hæc cogitãs, quia neſciui nõ eſſe condi-

Forte ueris

condignas paſsiones huius temporis ad futuram gloriam. Poſtea quàm didici, *etiam iumentum æſtimatus, et pecus ad occiſionem poſitus, tamen permanſi ſemper tecũ.* Tenuiſti *manum dexteram meam, in uoluntate tua deduxiſti me, & cum gloria aſſumpſiſti me.* Hæc in domino Ieſu Chriſto *completa ſunt.* Ipſe *tenuit generi humano dexteram iam mortuo iam fœtenti, duxit à uoluntate diaboli ad uoluntatem ſuam, & aſſumpſit in gloriam, qui audenter diceret:* Quid *mihi reſtat in cœlo?* Hoc *eſt in terra poſitus ita cœleſtem uitam exercui, ut dum in cœlo aſcendero, nihil mihi ſuperſit quod in terra poſitus non impleuerim: nihil enim præter te uolui ſuper terram, etiam ſi defecit cor meum, et caro mea in paſsiones, et pars mea, quia deus eſt, non defecit, ſed manet in ſecula.* Non *enim pereunt, niſi hi qui longe ſe faciunt à deo conſeruatore ſuo: & ipſe non perdet, niſi illos qui fornicantur ab illo: id eſt, quorum anima alterum ducit* Deum, *aut à ueritatis coniugio ſe falſitate commiſcet.* Vnuſquiſque *autem noſtrum his probatis dicat. Mihi autem adhærere deo bonum eſt, & ponere in* Domino *ſpem meam, ut annunciem omnes laudationes* Dei *in portis filiæ Sion.* Filia *Sion anima credens* Chriſto, *quæ in finem pſalmi inueniet laudes, quas ſibi in titulo defeciſſe teſtatur.* Defecerunt *ei laudes, quia zelata eſt in peccantibus, quas inueniet in finem, ſi adhæſerit* Domino, *& in ipſo ſuam ſpem ex integro collocarit, qui regnat in ſecula ſeculorum,*

Amen.

In *finem*

In finem intellectus Aſaph. LXXIII.

VT quid deus repuliſti in finem, iratus eſt furor tuus ſuper oues paſcuæ tuæ. Memor eſto congregationis tuæ, quam poſſediſti ab initio. Redemiſti uirgam hæreditatis tuæ, mons Sion in quo habitaſti in eo. Leua manus tuas in ſuperbias eorum in finē, quanta malignatus eſt inimicus in ſancto. Et gloriati ſunt qui oderunt te in medio ſolennitatis tuæ. Poſuerunt ſigna ſua ſigna, & non cognouerunt ſicut in exitu ſuper ſummum. Quaſi in ſilua lignorum ſecuribus exciderunt ianuas eius in idipſum, in ſecuri et aſcia deiecerunt eam.

Incenderunt igni ſanctuarium tuum in terra, polluerunt tabernaculum nominis tui. Dixerunt in corde ſuo cognatio eorum ſimul, quieſcere faciamus omnes dies feſtos dei à terra. Signa noſtra non uidimus, iam non eſt propheta, & nos non cognoſcet amplius.

Vſque quo Deus improperabit inimicus, iritat aduerſarius nomen tuum in finem. Vt quid auertis manum tuam, & dexterā tuam de medio ſinu tuo in finem.

Deus autem rex noſter ante ſecula operatus eſt ſalutē in medio terræ. Tu confirmaſti in uirtute tua mare, contribulaſti capita draconum in aquis. Tu confregiſti capita draconum, dediſti eum eſcam populis Aethiopum. Tu dirupiſti fontes, & torrentes, tu ſiccaſti fluuios Etham. Tuus eſt dies, & tua eſt nox, tu fabricatus es auroram & ſolem. Tu feciſti omnes terminos terræ, æſtatem & uer tu plaſmaſti ea. Memor eſto huius, inimicus improperabit Domino, & populus inſipiens incitabit nomen tuum. Ne tradas beſtijs animas

confitentes tibi, & animas pauperũ tuorum ne obliuiſcaris in finẽ. Reſpice in teſtamentũ tuum, quia repleti ſunt qui obſcurati ſunt terræ domibus iniquitatũ. Ne auertatur humilis factus confuſus, pauper & inops laudabũt nomen tuũ. Exurge deus iudica cauſam tuam, memor eſto improperiorũ tuorum eorũ quæ ab inſipiente ſunt totã die. Ne obliuiſcaris uoces inimicorum tuorum, ſuperbia eorum qui te oderunt aſcendit ſemper.

COMMENTARIVM.

IRatus eſt dominus ſuper Iſrael, cum eſſet arca Dei in Silo, cum Ofni & Finees filij Heli in ſacrificijs ſuis et fornicationibus, nec increpati corrigerentur. Tradita eſt etiam arca teſtamenti aduerſarijs, & gloriati ſunt qui oderunt eum in medio atrij eius. Quaſi in ſilua lignorum exciderunt ianuas munitionum. Incẽderunt igni ubicunq; inuenerunt ſanctuarium, id eſt, locum orationis eorum extructum. Et quieſcere fecerunt feſtos dies Domini in terra, dicentes: Iam in Iſrael non eſt propheta, utique audientes Heli mortuũ & duos filios eius, qui ſummam ſacerdotij tenebant occiſos in prælio. Samuel adhuc erat infantulus, cuius nec opinio cœperat. Et ideo uidebatur improperare inimicus populus gentium & inſultare, in quo rogat ne animas pauperum ſuorum obliuiſcatur dominus in ſempiternum. ut exurgat & iudicet cauſam ſuam, quia ſuperbia eorum qui odiebãt eum, aſcendebat nimis. Hactenus hiſtoricus ſermo ceperit finẽ. Eſt enim & in uobis arca teſtamenti domini, quam quotidie hoſtes conantur eripere, id eſt, animi conſtantiam, quæ pro defenſione uirtutum contra uitia bella committit.

tit. Si ergo huius arcæ ſacerdotes, id eſt, corpus et animã mea ex conſenſu coluerunt, requieſcit ſuper eam dominus, & non audebunt dæmonia, nec bellum in cute conſiſtere. At ubi hæc per negligentiam ſacerdotum ceſſerit, capitur ab aduerſarijs, & malignatur inimicus in ſancto, & gloriantur qui oderunt dominum in eo. Poſt hæc cum lachrymis orandus eſt dominus, ut animas pauperum non obliuiſcatur. Dominus in ſempiternum, non auertatur in perpetuo, humilis factus, confuſus, ut non in æternum tradatur beſtijs anima quæ confitetur ei: ut memor ſit creaturæ ſuæ, quia repleti ſunt qui obſcurati ſunt terræ domus iniquitatum. Exurgat ergo dominus & iudicet cauſam ſuam, quoniam per occaſionem peccatorũ meorum inimicus improperat domino: Memor, inquit, eſto domine improperiorum tuorum, quæ ab inſipientibus fiunt tota die, ut non obliuiſcaris uoces quærentium te per pœnitentiam, & contemnentium te ſuperbia aſcendat ad te, ut illis ſuperbientibus reddas, & nobis confitentibus parcas, qui regnas in ſecula ſeculorum, Amen.

In finem ne diſperdas uel corrumpas, Pſalm. cantici Aſaph. LXXIIII.

Confitebimur tibi deus, confitebimur & inuocabimus nomen tuum. Narrabimus mirabilia tua, cum accepero tempus ego iuſtitias iudicabo. Liquefacta eſt terra, & omnes qui habitãt in ea, ego confirmaui colũnas eius. Dixi iniquis, nolite iniquè agere, et delinquentib. nolite exaltare cornu. Nolite extollere in altũ cornu ueſtrum, nolite loqui aduerſus deũ iniquitatem. Quia neq; ab oriẽte, neq; ab occidente, neq; à de-

ſertis montibus, quoniam deus iudex eſt. Hunc humi*liat & hunc exaltat, quia calix in manu* Domini *uini meri plenus mixto.* Et *inclinauit ex hoc in hoc, uerunta*men *fex eius non eſt exinanita, bibent omnes peccatores terræ.* Ego *autem annunciabo in ſeculum, cãtabo deo* Iacob. Et *omnia cornua peccatorum confringam, & exaltabuntur cornua iuſti.*

COMMENTARIVM.

A Liquanta in ſeptuageſimo tertio idcirco prætermiſimus pſalmo, quia in ſeptuageſimo quarto ea credidimus melius declaranda: Confitebimur, inquit, tibi deus. Si peccata confitemur, non ut ſciat quæ ignorat, ideo confitemur, ſed ut ea quæ optime nouit indulgeat. Q*uia confitemur eum & nomen eius inuocamus. Confeßio enim pœnitentiis ad indulgentiã non attendit, ſi rectæ fidei inuocatio nominis* Dei *non fuerit ſubſecuta, in qua confeßione narrantur omnia mirabilia eius, quæ ſancti ſymboli textus oſtendit.* Verum *quia (ut dixi) in anteceßione huius pſalmi aliquãta tranſiui, quæ ſunt in iſto reddenda hæc ſunt: ut narres contra* Manichæ*um omnia mirabilia eius, & non dicas aduerſis & contrarijs mundum agi, & alium lucis dominum, alium tenebrarum, alium noctis, alium diei, ſed unum eundemq́; dominum confitentes, narremus omnia mirabilia eius, dicentes:* Tuus *eſt dies, & tua eſt nox, tu feciſti ſolem & lunam, æſtatem & uer tu feciſti.* Confirmaſti *in uirtute tua mare, tu confregiſti capita draconum in aquis, id eſt, capita dæmonum in baptiſmate.* Quod *autem aquis dixit, uoluit oſtendere unum baptiſma in aquis poſſe omnibus*

nibus celebrari, fluminum, maris, fontium, torrentium, ſtagnorum, ibi capita dæmonum confringuntur, id eſt, in omnibus aquis. Caput autem draconis magni in pœnitentia confringet dominus, & dat eum in eſcam populo Aethiopum. Aethiopes à plaga meridiana nigri ſunt. Hi ergo qui dæmoniorum meridianorum ruinam patiuntur, nigri fiunt apud deum, & pro ipſa nigredinis perfidia, Aethiopes appellantur. Hi itaq; cum baptizarentur, quia in aquis confracta ſunt capita dæmonũ, uenenũ omne in aquis fluentibus euanuit. Et illos iam mundos, quũ ab omni ueneno defecatos exhibuit, nunc in ſicco poſitis, draco magnus ipſe princeps draconum aduenit, quem ſuis cibantes nefarijs factis ueneno eius iterum nigrarunt. Verũ quia pœnitentibus auxilium diuinæ pietatis occurrit, confringitur & huius caput draconis in ſicco. Aqua ibi ſola lachrymarũ eſt. Et quia non ſunt fluuij circa eum ſalientes, quæ tantum nefas ueneni abluãt, datur eis in cibo, & dicitur eis. Quando draconum capita in aquis uobis confracta ſunt, guſtaſtis & uidiſtis quàm ſuauis eſt dominus. Modo quia dominum reliquiſtis, guſtate & uidete quàm amarus eſt diabolus. Ibi guſtaſtis mel & lac, hic guſtate cinerẽ pro pane, & lachrymas ueſtras in poculis miſcete. Ibi ueſtes candidas et mundas, hic ſacceas ſordidas. Ibi habuiſtis gaudium, hic mugitum gemitumq; inter ſuſpiria excrepate. Sicq; Aethiopes eſſe ceſſabitis, & priſtinus uobis candor ſplendorq; redditur. Ibi enim uobis rumpent iterum fontes & torrentes, ubi ſiccati fuerunt fluuij Aethan. Aethan fluuij in deſerto Sina inuenti ſunt. Ex quibus qui guſtaſſet, non ſi-

Aliter Mora cut de Myrrha amaritudine replebatur,ſed ſtatim tumore correptus,mortis periculo ſubiacebat.Quando ergo quando conuertit ſolidam petram in ſtagna aquæ, & rupem in fontes aquarum,iſti Aethan fluuij dei nutu ſiccarunt.Quod factum ad hoc ducit,quia pœnitentibus Aethan fluuij exiccantur. Et ex deſperato lapide atque duriſsima petra in deſerto, & in ſquallentibus locis poſita fontes pariter erumpunt atq; torrentes.Hæc fecit rex noſter,Deus ante ſecula qui eſt ipſe. Hæc fecit in ſecula qui operatus eſt ſalutem in medio terræ, in Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui dixit iniquis: Nolite iniqua agere, & nolite delinquentibus exaltare cornu,nolite extollere in altum cornu ueſtrum,nolite loqui aduerſum Deum iniquitatem.Siquis autem uobis dixerit, Ecce hic Chriſtus, aut ecce hic,illic,nolite credere, quia neq; ab oriente, neque ab occidente, neq; à deſertis montibus, ſed ſicut fulgur ita ueniet,quoniam deus iudex eſt.Nõ ſic uenit quomodo homo uenit, ſed quomodo deus iudex, ut ſuperbũ humiliet ſicut promiſit, & exaltet humilem ferens calicem in manu uini meri plenum mixto, ex quo inclinat ex hoc in hoc.Vinum duas ſpecies habet,unam unde infirmos ſanat,aliam unde ſanosdebilitet.Ex uno eodemq; uino iuſtis propinatur ad ſalutem,peccatoribus ad interitum irrogatur. Sicut ignis iuſtis proficit ad ſplendorẽ, ad uſturam infertur iniuſtis, fex tamen calicis non exinanitur, ut bibant non pauci, ſed omnes peccatores terræ: quod uno eodemq; poculo alijs ſalus, alijs interitus uenit,etiam hodie qui indigne guſtauerint. Vnde ſalutem digne guſtantes hauſerunt:inde iſti,ut ait Apoſtolus,ſibi iudici-

*iudicium ſumunt.*Nos autem *hæc ſciētes,ſi uolumus gau dere in ſecula ſeculorum, ita cantemus deo* Iacob, *ut om nia peccatorum cornua confringamus, id eſt, uiciorum uentilationes contemnendo frangamus,& uirtutum cor nua exaltemus in domino noſtro* Ieſu *Chriſto,qui regnat in ſecula ſeculorum,* Amen.

In *finem in carminibus canticum ad* Aſſyrios *pſalmus* Aſaph. LXXV.

NOtus *in* Iudæa Deus, *in* Iſrael *magnum nomen eius.* Et *factus eſt in pace locus eius & habitatio eius in* Sion. Ibi *confregit potentias, ar cum, ſcutum, gladium,& bellum.* Illum*inans tu mira biliter à montibus æternis, turbati ſunt omnes inſipientes corde.* Dormierunt *ſomnum ſuum, & nihil inue nerunt omnes uiri diuitiarum in manibus ſuis.* Ab *in crepatione tua deus* Iacob. *dormitauerunt qui aſcende runt equos.* Tu *terribilis es & quis reſiſtet tibi, ex tūc ira tua.* De *cœlo auditum feciſti iudicium, terra tre muit & quieuit.* Cum *exurgeret in iudicium deus, ut ſaluos faceret omnes manſuetos terræ.* Quoniam *co gitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitatio nis diem feſtum agent tibi.* Vouete *& reddite domi no deo ueſtro, omnes qui in circuitu eius affertis mune ra.* Terribili *& ei qui aufert ſpiritum principum, ter ribili apud omnes reges terræ.*

COMMENTARIVM.

CAnticum *contra* Aſſyrium,*id eſt, contra diabo lū inchoamus.*Contra *cū enim notus factus eſt in* Iudæa *deus, in* Chriſto *mundum recōciliās ſibi.*

In Iſrael magnum nomen eius. Iſrael homo Iudæus. Deũ ergo qui uidit hominem & credidit deum, in ipſo primum factum eſt nomẽ eius. Ita ut diceret ei: Tu es Petrus *& ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Et *quia portæ inferi nõ præualebunt aduerſus eam. Ibi confregit cornua arcuum, & ſcutum, & gladium, & bellum, fecitq́; in pace locum eius, & habitationem eius in* Sion, *& illuminauit ei à montibus æternis, à prophetis qui fuerunt ab initio. Contra quam turbantur uſque hodie omnes inſipientes corde.* Et *qui moriuntur in peccatis ſuis dormientes ſomnum mortis ſuum, id eſt, ſomnũ ſuæ dormientes.* Nihil *inuenerunt in manibus ſuis. Ibi omnes uiri diuitiarũ. Hic enim naſcentes quæ inuenerũt, hic morientes relinquunt.* Non *ſolum diuites dormiunt, ſed & fortes qui aſcenderunt equos* Deus *enim terribilis eſt, & nemo poteſt reſiſtere ei.* Tunc *in ira ſua, cum enim cœperit iudicium de cœlo iaculari, terra tremet & quieſcet, cum exurgere cœperit in iudicio* Deus, *in quo non ſaluabit alios, niſi omnes manſuetos terræ. Ibi cogitatio hominis confitebitur ei, & reliquiæ cogitationum diem feſtum agent* Deo. *Sic erunt omnes dies iuſtorum, quomodo nobis ſemel in anno ſanctus dies eſt paſchæ.* Omnes *ergo ſancti dies feſtos agent* Deo: *& uos, inquit, ſi uultis gaudere cum ſanctis, uouete & reddite domino deo ueſtro. omnes qui in circuitu eius offertis munera, memores debent eſſe quid uouerint, aut cui uouerint.* Nã *in baptiſmatis conſecratione uouerũt ſeipſos tradere,* et *omnibus operib. diaboli renũciare.* Hoc reddite domino Deo *ueſtro, ante oculos hoc habentes, quia etiam prin-*

cipum

cipum auferet ſpiritus, cum à uoto diſcedunt. Et eſt terribilis etiam regibus terræ, ipſi gloria in ſecula ſeculorum Amen.

In finem pro Idythum, pſalmus Aſaph. LXXVI.

VOce mea ad dominum clamaui, uoce mea ad deũ & intendit mihi. In die tribulationis meæ deũ exquiſiui manibus meis nocte contra eũ, & non ſum deceptus. Renuit conſolari anima mea, memor fui dei & delectatus ſum, & exercitatus ſum, & defecit ſpiritus meus. Anticipauerunt uigilias oculi mei, turbatus ſum & nõ ſum locutus. Cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui. Et meditatus ſum nocte cum corde meo, & exercitabar & ſcobebam ſpiritum meum. Nunquid in æternum proijciet Deus, aut non apponet ut complacitior ſit adhuc. Aut in finem miſericordiam ſuam abſcidet, à generatione in generationẽ. Aut obliuiſceretur miſereri deus, aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas. Et dixi nũc cœpi, hæc mutatio dexteræ excelſi. Memor fui operũ domini, quia memor ero ab initio mirabiliũ tuorũ. Et meditabor in omnib. operibus tuis, & in adinuẽtionibus tuis exercebor. Deus in ſancto uia tua, quis deus magnus ſicut deus noſter, tu es deus qui facis mirabilia. Notam feciſti in populis uirtutem tuam, redemiſti in brachio tuo populum tuum filios Iacob & Ioſeph. Viderunt te aquæ deus uiderunt te aquæ & timuerunt, & turbatæ ſunt abyſſi. Multitudo ſonitus aquarum, uocem uiderũt nubis. Etenim ſagittæ tuæ tranſierunt, uox tonitrui tui in rota. Illuxerunt

xerunt coruſcationes tuæ orbi terræ, cõmota eſt & contremuit terra. In mari uia tua & ſemitæ tuæ in aquis multis, & ueſtigia tua nõ cognoſcentur. Deduxiſti ſicut oues populum tuum, in manu Moyſi & Aaron.

COMMENTARIVM.

IN iſto pſalmo promittit ſe propheta omnia mirabilia dei ab initio memoraturũ, & cauſam huius commemorationis exponit. Ac memorans præterita bona, de malis præſentibus quærelatur: Clamaui, inquit, ad dominum in die tribulationis. Et expandi manus meas coram eo in noctibus, & nõ ſum deceptus Modo autem tantas moras faciet in ſubueniendo dominus, ut dicam: Nunquid in æternum obliuiſcetur miſereri deus, aut continebit in ira ſua miſericordiam ſuam? Et dixi, modo cœpit mutatio dexteræ excelſi: Et ut oſtendam, inquit, quia modo cœpit, memor ero ab initio mirabilium eius, in quibus liberauit populum ſuum. Quis enim tam magnus deus quàm deus noſter, quem uiderunt aquæ maris, & timuerunt. Turbatæ ſunt abyßi, dantes uiam ſiccam pedibus filiorum Iſrael & Ioſeph. Poſt hæc uocem dederunt nubes: In columna enim nubis uox erat, quando ſagittæ dei in Aegyptios tranſierunt. Vox tonitrui eius in rota. Moyſes rotæ comparatur. Rota licet in terra uoluatur, tamen dum ſteterit, magna pars eius aliena eſt à terra, et parua pars eius in terra conſiſtit. Vox ergo dei in rota eſt, qui paruis rebus terrenis contentus, totum quod ſurſum eſt quærit, quod ſurſum eſt, pergit ubi Chriſtus eſt. Illuxerunt coruſcationes eius orbi terræ, quando in mari uiam fecit. Et ſemitã in aquis multis, quando deduxit ue=

xit uelut oues populum ſuum, in manu Moyſi et Aaron. Ipſi gloria in ſecula ſeculorum Amen.

Intellectus Aſaph. LXXVII.

Attendite popule meus legem meã, inclinate aurem ueſtram in uerba oris mei. Aperiã in parabolis os meũ loquar propoſitiones ab initio.

Quanta audiuimus & cognouimus ea, & patres noſtri annunciauerunt nobis. Non ſunt occultata à filijs eorum in generatione altera. Narrantes laudes domini & uirtutes eius, & mirabilia eius quæ fecit. Et ſuſcitauit teſtimonium in Iacob, & legem poſuit in Iſrael.

Quanta mandauit patribus noſtris nota facere ea filijs ſuis, ut cognoſcat generatio altera. Filij qui naſcentur & exurgent narrabunt filijs ſuis. Vt ponant in deo ſpem ſuam, & non obliuiſcantur operum dei, & mandata eius exquirant. Ne fiant ſicut patres eorũ generatio praua & exaſperans. Generatio quæ non direxit cor ſuum, & non eſt creditus cum deo ſpiritus eius. Filij Effrem intendentes & mittentes arcum, cõuerſi ſunt in die belli. Non cuſtodierũt teſtamẽtum dei, et in lege eius noluerunt ambulare. Et obliti ſunt benefactorum eius, & mirabilium eius quæ oſtendit eis. Coram patribus eorũ fecit mirabilia in terra Aegypti in campo Thaneos. Interrupit mare & perduxit eos, & ſtatuit aquas quaſi in utre. Et deduxit eos in nube diei, & tota nocte in illuminatione ignis. Interrupit petrã in eremo, et adaquauit eos uelut in abyſſo multa. Et eduxit aquã de petra, & eduxit tanquã flumina aquas. Et appoſuerũt adhuc peccare ei, in ira concitauerunt excelſum in inaquoſo.

Et

Et tentauerunt deum in cordibus ſuis, ut peterent eſcas animabus ſuis. Et male locuti ſunt de deo, dixerunt, nũquid poterit deus parare menſam in deſerto. Quoniã percußit petram & fluxerunt aquæ & torrentes inundauerunt. Nunquid & panem poterit dare, parare menſam populo ſuo. Ideo audiuit dominus & diſtulit & ignis accenſus eſt in Iacob, & ira aſcendit in Iſrael. Quia non crediderunt in deo, nec ſperauerunt in ſalutari eius. Et mandauit nubibus deſuper, & ianuas cœli aperuit. Et pluit illis manna ad manducandum, & panem cœli dedit eis. Panem angelorum manducauit homo, cibaria miſit eis in abundantia. Tranſtulit auſtrũ de cœlo, & induxit in uirtute ſua africum, et pluit ſuper eos ſicut puluerem carnes, & ſicut arenam maris uolatilia pennata. Et ceciderunt in medio caſtrorum eorum circa tabernacula eorum. Et manducauerunt & ſaturati ſunt nimis, & deſiderium eorum attulit eis, non ſunt fraudati à deſiderio ſuo. Adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum, & ira dei aſcendit ſuper eos. Et occidit pingues eorum & electos Iſrael impediuit.

In omnibus his peccauerunt adhuc, & non crediderunt in mirabilibus eius. Et defecerunt in uanitate dies eorum, & anni eorum cum feſtinatione. Cum occideret eos quærebant eum, & reuertebantur & diluculo ueniebant ad eum. Et rememorati ſunt, quia deus adiutor eſt eorum, & deus excelſus redemptor eorum eſt. Et dilexerunt eum in ore ſuo, & lingua ſua mentiti ſunt ei. Cor aũt eorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti ſunt in teſtamento eius. Ipſe aũt eſt miſeri

cors

eors, & propicius ſiet peccatis eorum & non diſperdet eos. Et abundauit ut auerteret iram ſuam & nõ accendit omnẽ iram ſuam. Et recordatus eſt, quia caro ſunt ſpiritus uadens & non rediens, quotiens exacerbauerũt eum in deſerto, in iram concitauerunt eum in inaquoſo.

Et conuerſi ſunt & tentauerunt deum, & ſanctum Iſrael exacerbauerunt. Non ſunt recordati manus eius die qua redemit eos de manu tribulãtis. Sicut poſuit in Aegypto ſigna ſua, & prodigia ſua in cãpo Thaneos. Et conuertit in ſanguinem flumina eorum, & imbres eorum ne biberent. Miſit in eos cynomiam & comedit eos, & ranam & diſperdidit eos. Et dedit erugini fructus eorum, & labores eorũ locuſtæ. Et occidit in grandine uineas eorum, & moros eorũ in pruina. Et tradidit grandini iumenta eorum, & poſſeßiones eorũ igni. Miſit in eos iram indignationis ſuæ, indignationem & iram et tribulationem, immißionem per angelos malos.

Viam fecit ſemitæ iræ ſuæ, nõ pepercit à morte animarum eorum & iumenta eorum in morte concluſit. Et percußit omne primogenitum in terra Aegypti, primitias omnis laboris eorum in tabernaculis Cham. Et abſtulit ſicut oues populum ſuum, & perduxit eos tanquã gregem in deſerto. Et deduxit eos in ſpe & non timuerunt, & inimicos eorum operuit mare. Et induxit eos in montem ſanctificationis ſuæ, montem quem acquiſiuit dextera eius. Et eiecit à facie eorum gentes, & ſorte diuiſit eis terram in funiculo diſtributionis. Et habitare fecit in tabernaculis eorum tribus Iſrael. Et tentauerũt & exacerbauerũt deum excelſum, & teſtimonia eius nõ

cuſto-

cuſtodierunt. Et auerterunt ſe & non ſeruauerunt pactum, quemadmodum patres eorũ conuerſi ſunt in arcũ prauum. In iram concitauerunt eum in collibus ſuis, et in ſculptilibus ſuis ad æmulationem eum prouocauerũt. Audiuit deus & ſpreuit, et ad nihilum redegit ualde Iſrael. Et repulit tabernaculum Sylo, tabernaculum ſuum ubi habitauit in hominibus. Et tradidit in captiuitatem uirtutem eorum, & pulchritudinem eorum in manus inimici. Et concluſit in gladio populum ſuũ, & hæreditatem ſuam ſpreuit. Iuuenes eorum comedit ignis, & uirgines eorum non ſunt lamentatæ. Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt, & uiduæ eorum nõ prolabantur. Et excitatus eſt tanquã dormiens dominus, tanquã potens crapulatus à uino. Et percuſsit inimicos ſuos in poſteriora, opprobriũ ſempiternum dedit illis. Et repulit tabernaculum Ioſeph, & tribum Effrem non elegit. Sed elegit tribum Iuda, montẽ Sion quem dilexit. Et ædificauit ſicut unicorniũ ſanctificium ſuum in terra quã fundauit in ſecula. Et elegit Dauid ſeruum ſuum, & ſuſtulit eum de gregibus ouium: de poſtfœtantes accepit eum. Paſcere Iacob ſeruum ſuum & Iſrael hæreditatem ſuam. Et pauit eos in innocentia cordis ſui, & in intellectibus manuum ſuarum deduxit eos.

COMMENTARIVM.

QVod promiſit deo in ſeptuageſimoſexto, hoc in ſeptuageſimoſeptimo hominibus tradit: Ibi dixit deo: Memór ero ab initio mirabilium tuorũ. Hic dicit populo: Loquar propoſitiones ab initio, uirtutes et mirabilia eius quæ fecit, ut cognoſcat generatio altera, ut filij

ut filij naſcẽtes exurgant. Ipſi narrent filijs ſuis, ut non cõfidant in mundi lucris, nõ in terrenis cupiditatibus ſeculi, ſed in deo ſolo ponant ſpem ſuã, & non obliuiſcantur opera dei ſui, & mandata eius exquirãt. Vt non fiant ſicut patres eorum, genus prauũ & peramarum. Sanè genus cum dicis, ante conſidera. Non enim creaturã in damnabilibus deus, ſed uoluntatem condemnat. Videns ergo, quia genus uituperando quæſtionẽ fecerat, eruens hunc ſermonẽ à creatoris iniuria, expoſuit non eſſe generis uitium, ſed uoluntatis. Proſecutus enim ait. genus, inquit, quod nõ direxerit cor ſuum. Et quaſi interrogatus eſſet, quomodo nõ direxerint cor ſuũ, reſpondit: Quia nõ cuſtodierunt teſtamentũ dei, & in lege eius noluerũt ambulare. Dicendo noluerũt, excluſit culpam à genere, & crimẽ uoluntatis oſtendit, per quã obliti ſunt benefactorũ, & mirabilium dei, quando diuiſit mare ut tranſirẽt, & ſtatuit aquas eius hinc inde quaſi in utre. Quando duxit eos in columna nubis per diem, & in columna ignis per noctem. Quando rupit in deſerto petram, & adaquauit eos uelut in abyſſo multa, & potati gratias nõ egerunt, ſed appoſuerunt peccare. Et ita ut male loquerentur de deo, ut dicerent: Ecce de petra eduxit aquam, nunquid panem poterit dare? Hæc dicebant, quia non credebant deo ſuo, nec ſperauerunt in ſalutare eius. Et mãdauit nubibus deſuper. Et ianuas cœli aperuit. Ianuas abuſiue dictum, ſicut de terra: Aperuit, inquit, os ſuum: Aperiendi cauſa exegit, & in terra os & in cœlis ianuas nominare, & pluit illis manna ad manducandum: Manna, Latine quod dicimus, quid eſt hoc, dicit Hebræus.

Cum

Cum ergo tanquã ſemen coriandri pluerent cœli, interrogantes filij Iſrael nomẽ dederunt, dũ quærunt. Nam *dicentes: Quid eſt, id eſt, mãna, de hoc quod interrogabãt uerbo, nomen ſpecies ipſa ſuſcepit, quod auxeſin faciens adiecit.* Panem *cœli dedit eis, per occaſionem mannæ panis qui de cœlo deſcendit nominatus eſt:* Panem, *inquit, angelorum mãducauit homo.* Quicquid *æternitatem in potando & in manducando præſtat, angelicũ eſt, non habens putentes atque ſtercoreas digeſtiones.* Habent *enim uniuerſa uiuendi materiam, & ſiue angeli, ſeu quæcunq; in cœlo uiuunt, non ſibi ſine alimento ſufficiunt.* Ducuntur *enim fame & ſiti, ſiue laudis domini.* Et *eſuriũt & ſitiunt iuſtitiam eius, per quam pingueſcũt, & æternum apicem tenet. Sicut è contrario apoſtatæ angeli eſuriunt & ſitiunt iniuſticiam, & ex eo opere ſaginantur.* Nam *& quod dicit dominus gaudere angelos in cœlo ſuper unum pœnitentem: oſtendere uoluit, ad eorum refectionem rediſſe per iuſtitiam, eum qui per iniuſtitiã uentres dæmonum ſaginabat.* Quanta *ſunt etiam in corporibus, quæ ſine ſtercorea digeſtione reficiunt, ut eſt nuncius bonus, ut eſt odor optimus, ut eſt aſpectus mirabilis, ut eſt gratia maiorum, ut eſt opinio optima, quæ dicitur etiam oſſa impinguare.* Hæc *ideo diximus, ut oſtendamus omnia quæ in cœlo & quæ in terra ſunt inuiſibilia atq; uiſibilia, & menſuras ſuas habere, quia ſolus deus immenſus eſt: & per compaginem ſuæ qualitatis ſubſiſtere, quia ſolus deus incorporeus eſt: & per aliam ſubſtantiam uiuere, quia ſolus deus nullius eget.* Ipſe *aũt omnibus eſt neceſſarius, ipſi nullus.* Sed *quia nimia gratia pietatis ſuæ,*

facturam

facturam ſuã in omnibus diligit, dignatur per legem, per uirtutũ iudicia, per compunctionẽ cordis, per magnitudinem operũ hominum inuitare hominem. Et ideo nõ ſolum *panes angelorum, ſed & auium carnes innumerabilium concupiſcentibus tribuit etiã ingratis.* Et ne inultũ *ingratorũ crimen poſteritas nõ timeret, cum adhuc eſcæ eorum erant in ore eorũ, ira dei uenit ſuper eos, quia nõ crediderũt mirabilibus eius.* Deficerunt in uanitate dies *eorum, & anni eorũ cum feſtinatione. Verum quia, ut dixi, tu ſi non malo coactus benefacere nõ uis: Cum occideret, inquit, eos quærebant eum, & conuertentes diluculo ueniebant ad eum. Tunc recordati ſunt, quia deus adiutor & protector eorum eſt: Sed dicentes, inquit, tu es deus noſter, hoc ſola, ait, lingua mẽtiti ſunt ei, cor autem eorum non erat rectum cum eo. Vnde & dominus dicit:* Populus, *inquit, hic labijs me diligit, cor autẽ eorum longe eſt à me. Hæc quare hæc?* Quia *fides non eſt habita teſtamento eius. Sine fide autem, ut ait* Apoſtolus, *impoßibile eſt placere deo.* Diſcutiamus *parumper de quo teſtamento agatur.* Audi Apoſtolum: Hominis: *ait, teſtamentum nemo irritum facit, aut ſuperordinat.* Abrahæ *dictũ eſt:* In *ſemine tuo hæreditabo omnes gentes:* Non, *inquit, dixit in ſeminibus, quaſi in multis, ſed in ſemine tuo, quod eſt Chriſtus.* Hoc *ergo teſtamentum quod cum* Abraham *patre eorum habuit deus, dum compleret in filio ſuo, fides non eſt habita teſtamento eius.* Ipſe *autem eſt miſericors, etiam in cruce poſitus, propicius fit peccatis eorum, & cum poſſet non diſperdidit eos, ita ut rogaret patrem ſuum, ut & ipſe indulgeret eis.* Quia *recor-*

datus eſt,quod caro ſunt,nihil in ſpiritu ſapientes,& ſpi
ritus eſſent euntes,& non reuertẽtes.Ideo ſæpe dominus
peccatoribus in hoc mundo læticiam & abundantiã &
potentiam uſurpatã relinquit, quia ſcit quæ paſſuri ſunt
in gehennæ incendio,& condolens eis,auertit in hoc ſe-
culo iram ſuã ab eis.Hoc conſiderans,quod euntes ibunt
in interitum æterni incendij, & ultra non redeunt.Quo
tiens,inquit,exacerbauerunt eum in deſerto,non recor-
dantes diem qua liberauit eos dominus de manu tribulã
tis,& inimicos eorum prius decem plagis percuſſit,po-
ſtea etiam in mari merſit,ipſos autem eduxit tanquã pa-
ſtor oues in deſerto, & induxit in mõtes ſanctificationis
ſuæ,& eiecit à facie eorum gentes.Et poſt omnia,quid fe
cerunt?Auerterunt ſe,inquit,& non obſeruauerunt pa-
ctum ſicut patres eorũ,ita etiam ut in ſculptilibus ſuis æ-
mularentur eum:Propter hoc,inquit,repulit tabernacu
lũ Sylon.Facit locus cõtra hæreticos qui dicunt,pro duo
rum peccatis filiorũ Heli,deus iuſtus omnem Iſrael popu
lum tradidit Philiſtæis, Spiritus uero ſanctus detegẽs cri
men uniuerſi populi dicit.Quod auerterunt ſe à deo,&
nõ obſeruauerint præcepta eius,ſicut & patres eorum:
Ideo,inquit, ad nihilum redegit nimis Iſrael,& ideo re-
pulit tabernaculum Sylon, ideo conuertit in captiuitatẽ
uirtutem ipſorum.Et pulchritudinẽ eorum,id eſt,arcam
teſtamẽti domini tradidit in manus inimici. Concluſit in
gladio populum ſuũ,& hæreditatem ſuam ſpreuit,ita ut
& ſacerdotes eorũ gladio caderent, iuuenes ignis come
deret,uirgines ſine lamẽto perirent,uiduæ ſine ploranti
bus interirent. Venimus nunc ad locum,qui nos ab hiſto

ria ad myſticum & moralem auditũ impellat. Excitatus eſt, inquit, tanquam dormiẽs dominus. Quotieſcunq; ergo captiuitas ſiue carnalis, ſiue ſpiritalis uenit, ſciamus dormire dominũ, & tam diu dormit, quadiu inueniantur idonei, qui auſi ſint excitare eum. Hoc nãq; eſt quod finxit dominus noſter Ieſus Chriſtus in naui dum trãsfretaret, nimia & incõparabili tempeſtate nauis in qua erat cũ diſcipulis ſuis, agebatur, ita ut nihil ſupereſſet, niſi ut mergerentur in fluctibus. Accedentes diſcipuli ad dormientem dominum, clamore eum nimio excitant dicentes. Præceptor perimus. Ille autem ſurgẽs imperauit uentis, & quieuerunt undæ & tranquillatæ ſunt. Non ergo ideo dormit dominus, ut ſomno teneatur. Sẽper uigilat; et nunquam dormiet omnino, neq; dormitabit. Sed quando ei nos ſilentium facimus tale, quale qui dicat: Sic uos ſiletis, ſicut ſolet fieri ſilentium patrifamiliàs ut quieſcat ecce quieſco, ecce ſileo, ecce dormio, non orationum gemitibus pulſor, non pſalmorũ uocibus inquietor, nec aſſiduis deprecationibus excitor, grandi hoc ueſtro ſilentio ego dormio, & me dormiente uenit ſuper uos aut ſpiritalis, ut dixi, aut carnalis tempeſtas, qua cõpulſi ad regem confugiatis, ut eius uigilijs liberemini, cuius ſomno capimini. Deniq; excitatus precib. ſanctorũ, audite quid fecerit: Percuſsit, inquit, omnes inimicos in ſecreto natiũ eorum. Tantaq; muriũ copia extitit, ut nullus eorũ eſſet cuius anus non à muribus roderetur, ita ut ſicut dicit liber primus regnorũ, exirent prominentes extales eorũ. Hoc ergo eſt quod ait nunc in iſto pſalmo, excitatum dominum percuſsiſſe inimicos in poſteriora. Opprobrium,

inquit,ſempiternum dedit illis,& repulit tabernaculum Ioſeph, in regno Saulis. Duæ iſtæ tribus tenebant imperium, Ioſeph ſcilicet & Beniamin. Vnde adiecit,tribum Effrem non elegit, ut ſubaudiatur ad regnum, ſed elegit tribum Iuda ad regnum, quod licet in Dauid tunc pactũ ſit,in Chriſto completum eſt.In monte Syon quem elegit, in quo ædificauit ſicut unicornis ſanctuarium ſuum, ibi natus,ibi baptizatus,ibi tentatus,Ibi in uirtutibus manifeſtatus,ibi paſſus,ibi mortuus,ibi ſepultus,ibi exurgens mortuis tertia die ibi aſcendit in cœlis. In terram quam fundauit in ſecula;id eſt, in Syon,id eſt,in eccleſia ſanctorum.Nam ibi elegerat Dauid ſeruum ſuum,quando eum tulit de gregibus ouium, ut paſceret Iacob,& Iſrael hæreditatem ſuam, quos paſcet uſq; hodie dei filius ſine malicia cordis,& in ſenſu manuũ ſuarum ſeducet nos. Ideo enim manus ſuas in cruce leuauit, ut in gloria manuum ſuarum dirigat nos, qui regnat cum patre & ſpiritu ſancto in ſecula ſeculorum Amen.

Pſalmus Aſaph. LXXVIII.

DEus uenerũt gentes in hæreditatem tuam,polluerunt templum ſanctum tuum,poſuerunt Hieruſalem in pomorum cuſtodiam. Poſuerunt morticina ſeruorum tuorum eſcas uolatilibus cœli, carnes ſanctorum tuorum beſtijs terræ, Effuderunt ſanguinẽ ipſorum tanquam aquam in circuitu Hieruſalem, & non erat qui ſepeliret. Facti ſumus opprobrium uicinis noſtris, ſubſannatio et illuſio ijs qui in circuitu noſtro ſunt.

Vſq; quo domine iraſceris in finem accendetur uelut ignis zelus tuus. Effunde iram tuã in gentes quæ te non nouerunt,

nouerunt, & in regna quæ nomen tuum non inuocaue- runt. Quia comederunt Iacob, & locum eius deſolaue runt. Ne memineris iniquitatũ noſtrarum antiquarũ, cito anticipent nos miſericordiæ tuæ, quia pauperes fa- cti ſumus nimis. Adiuua nos deus ſalutaris noſter, & propter gloriam nominis tui libera nos, & propicius e- ſto peccatis noſtris propter nomẽ tuum. Ne forte dicãt in gentibus, ubi eſt deus eorum, & innoteſcant in nationi bus coram oculis noſtris. Vltio ſanguinis ſeruorũ tuo- rum qui effuſus eſt, introeat in conſpectu tuo gemitus cõ peditorũ. Secundum magnitudinẽ brachij tui poßide fi- lios mortificatorum. Et redde uicinis noſtris ſeptuplũ in ſinu eorũ, improperiũ ipſorum quod exprobrauerũt tibi domine. Nos aũt populus tuus & oues paſcuæ tuæ, confitebimur tibi in ſeculum. In generatione & gene- rationem annunciabimus laudem tuam.

COMMENTARIVM.

Septuageſimus & octauus pſalmus apicẽ anteceſſo ris ſui ſecutus, lamentum ſimul deo cũ oratione ef- fundit. Cuius hiſtoria præteritam cædem Philiſtino rum explanat, prophetiam futuram Nabuchodonoſoris cõmemorat moralis noſtri huius ſpiritalis prælij. Vt ue- re dicendum eſt, plorat ueniſſe gẽtes in hæreditatem dei. Et liber Regum primus de Salom, & arca teſtamenti me morat. Et Hieremias de Hieruſalem & de templo, ſi pro phetico modo hunc pſalmum quæris explanat. Nos ue- ro qui Hieruſalem noſtram animã dicimus, ſi tamen rex pacificus requieſcit in ea, hæc quando per cõſenſum ſuũ, & propter negligentiam ſuam dum non repugnando ſu

 peratur.

peratur. Ac dum peccando deo ab eius offenſione diſceſſerit, ueniunt ad eam gentes. Ad eam utiq; quam in hæreditate ſua poßidet Chriſtus, & polluunt templum ſanctũ eius, ſanctum factũ in baptiſmo corpus eius. Ponunt Hieruſalem, *ueluti pomorũ cuſtodiam. Ita deſertam faciunt eam, ut putes illam ciuitatem magnam in uilem caſulam hortulani conuerſam.* Poſuerunt mortalia ſeruorum tuorum eſcas uolatilibus cœli. *Hoc loco uolatilia ſpiritus immundi nominantur, de quib. dicit Apoſtolus: Spiritus aeris huius. Ipſi uelut uolucres comedũt per luxuriam carnes ſanctorum tuorum.* Comedunt ſimul beſtiæ terræ, *ſi* effuderint ſanguinem eorum, *uelut aquã circa ipſam* Hieruſalem. *Et non fuerit qui ſepeliat, dum nemo eſt qui exemplo uitæ ab interitu mortis abſcondat.* Tũc efficimur in deriſu omnibus dæmonijs, *qui ideo uicini noſtri & inimici dicuntur, quia nec uno quidem puncto ab inimicitijs iuxta nos poſiti non recedunt. Ad hæc rogandus dominus, ut effundat ſuper eos iram ſuam.* Quia ipſa ſunt regna quæ nomen eius non inuocant, ſed comedunt cotidie Iacob, & locum eius, *quod erat ornatum moribus, in eremum cõuertunt.* Eueniunt nobis hæc ſi memor ſit dominus iniquitatum noſtrarum, *utinã antiquarum & nõ nouarum. Sed quia remedium uulneratis eſt neceſſariũ,* cito nos anticipent miſericordiæ tuæ deus. Quia pauperes facti ſumus nimis, *perdidimus aurum pudicitiæ, argẽtum bonæ conſcientiæ.* Noſipſi præda hoſtium facti ſumus propter honorem nominis tui domine libera nos, et propicius eſto, ne gaudeant increduli, & dicant: Vbi eſt deus eorum. Defende ſanguinem ſeruorum tuorum, qui

effuſus

effuſus eſt. Sicut enim in ruina hominu habent dæmones mones, ita in reparatione noſtra gaudium habent angeli. Spiritus uero nequiſſimi interitum patiuntur, cum intrauerit in conſpectu dei gemitus compeditorũ. Si tantũ gemitus pro peccatis nõ poteſt fieri, niſi intret in conſpectu dei. Et incipit ſecundũ magnitudinẽ brachij ſui poſſidere dominus filios mortis. Vt qui erant filij mortis, incipiant eſſe et filij uitæ. Cum reddiderit inimicis ſeptuplũ, quia quod ſeptiformi ſpiritu in baptiſmatis tempore promiſſum eſt, horũ eſt ſuggeſtionib. ab ijs qui promiſerant denegatum. Satis autem facientes ſpiritui ſancto, quem in conſecratione ſuſcepimus, dicamus ei nos: Populus tuus, & oues gregis tui, ſiue paſcuæ tuæ, confitebimur tibi in ſecula, & in ſeculũ ſeculi narrabimus laudes tuas, qui regnas cum patre & filio ſancte ſpiritus, nunc & ſemper in æterna ſecula ſeculorum Amen.

In finem pro his qui commutabuntur Pſalmus pro Aſſyrijs teſtimonium Aſaph. LXXIX.

QVi regis Iſrael intende, qui deducis uelut ouem Ioſeph. Qui ſedes ſuper cherubin manifeſtare coram Effraim, Beniamin & Manaſſe. Excita potentiam tuã & ueni ut ſaluos facias nos. Deus uirtutum conuerte nos, & oſtende faciem tuam & ſalui erimus. Domine deus uirtutũ quouſq; iraſceris ſuper orationem ſerui tui. Cibabis nos pane lachrymarum, & potum dabis nobis in lachrymis in menſura. Poſuiſti nos in contradictionem uicinis noſtris, & inimici noſtri ſubſannauerunt nos. Deus uirtutum conuerte nos, & oſtende faciem tuã & ſalui erimus. Vineã de Aegypto

tranſtuliſti, eieciſti gentes & plantaſti eam. Dux itineris fuiſti in conſpectu eius, & plantaſti radices eius & impleuit terram. Operuit montes umbra eius, & arbuſta eius cedros dei. Extendit palmites ſuos uſq; ad mare, & uſque ad flumen propagines eius. Vt quid deſtruxiſti materiam eius, & uindemiant eam omnes qui prætergrediuntur uiam. Exterminauit eam aper de ſylua, & ſingularis ferus depaſtus eſt eam. Deus uirtutum conuertere reſpice de cœlo & uide & uiſita uineam iſtam. Et perfice eam quam plantauit dextera tua, & ſuper filium hominis quem confirmaſti tibi. Incenſa igni & ſuffoſſa: ab increpatione uultus tui peribunt.

Fiat manus tua ſuper uirum dexteræ tuæ, & ſuper filium hominis quem confirmaſti tibi. Et non diſcedimus à te, uiuificabis nos, & nomen tuum inuocabimus.

Domine deus uirtutum conuerte nos, & oſtende faciem tuam & ſalui erimus.

COMMENTARIVM.

Adhuc eadem per eadem de exitio & tribulatione populi in iſto pſalmo cantat. Rogãs ut qui regit Iſrael intendat, excitet potẽtiam ſuam, quia nullus dignus inuenitur qui eum audeat excitare. Ipſe ergo excitet potentiã ſuam, ueniat & ſaluos nos faciat. Verũ quia inuiſibilis eſt, & à nullo penitus uideri poteſt, ſumat materiam per quam dignetur faciẽ ſuam oſtendere. quã ſi oſtẽderit ille, nos ſalui erimus. Veluti ſi in periculo glaciali poſiti, ubi uis frigoris minatur interitũ, liberantur ſine dubio, ſi oſtẽdatur eis ſolis aſpectus. Quãto magis dei nobis oſtenſa facie, in domino noſtro Ieſu Chriſto

nos

nos ſalui erimus? Si ergo ſentimus captiuitatem uineæ domini, quam de Aegypto per aquam & ſpiritum ſanctum tranſtulit, quam eiectis dæmonijs plantauit, qui ita fuit uia in conſpectu noſtro, ut diceret: Ego ſum uia. Qui ita plantauit radices noſtras in fide ſua, ut repleret omnem terram corporis noſtri. Et eſſet in nobis uinea uera, cuius umbra operuit montes, omnibus ſanctis melior. Cuius arbuſta præſtantiora eſſent, et altiora cedris dei, hãc exterminauit in paßione Aper de ſylua, populus incredulus, & ſingularis ferus depaſtus eſt eam. Quem prius & in nobis tumultum Chriſtus patitur, quando permittimus rabiem dæmonum in corde noſtro ingredi, ubi ſuſcepimus Chriſtũ. Et ideo cibus nobis non debet eſſe gaudij, ſed panis lachrimarum, & potus in lachrymis, ſi ſentimus quia facti ſumus in opprobrium uicinis, & ipſi deriſerunt nos. In oratione enim lachrymarum permanentes, deus uirtutem reſpicit de cœlo, & uidet & uiſitat uineam iſtam, & dirigit eam quam plantauit in nobis dextera eius per filium hominis Ieſum, quem confirmauit ſibi incenſo igne, & ſuffoſſa manu, quando Abraham incenſo igne, & armata manu gladio, paratus fuit filium ſuum iugulare coram Domino. Tunc iurauit Abrahæ, quod filium eius ita confirmaret ſibi, ut in ipſo hæreditaret oẽs gentes. Ergo memor eſto domine quod iuraſti, et repara quod donaſti, ut nõ diſcedamus à te. Non enim diſcedemus à te, ſi tu uiuificaberis. Nos autem ſemper nomen tuum inuocabimus. Alia enim ſpes noſtra nõ eſt, niſi ut conuertas nos, dando bona conſilia in cordibus noſtris, & oſtendendo nobis faciem tuam. Cuius nos a-

ſpectu ſaluemur, in Chriſto Ieſu Domino noſtro, qui tecum & cum ſpiritu ſancto uiuit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

In finē pro torcularibus, Pſalmus ipſi Aſaph quinta ſabbati. LXXX.

EXultate deo adiutori noſtro, iubilate deo Iacob. Sumite pſalmum & date tympanum, pſalterium iocundum cum cythara. Buccinate in neomenia tuba in inſigni die ſolennitatis ueſtræ. Quia præceptum in Iſrael eſt, & iudicium deo Iacob. Teſtimonium in Ioſeph poſuit illud, cum exiret de terra Aegypti linguam quam non nouerat audiuit. Diuertit ab oneribus dorſum eius: manus eius in cophino ſeruierunt. In tribulatione inuocaſti me, & liberaui te & exaudiui te in abſcondito tempeſtatis, probaui te apud aquā contradictionis. Audi populus meus & conteſtabor te, Iſrael ſi audieris me, non erit in te deus recens, neque adorabis deum alienum. Ego enim ſum Dominus deus tuus quia eduxi te de terra Aegypti, dilata os tuum et implebo illud. Et non audiuit populus meus uocem meam, & Iſrael non intendit mihi. Et dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus ſuis. Si populus meus audiſſet me, Iſrael ſi in uijs meis ambulaſſet. Pro nihilo forſitan inimicos eorum humiliaſſem, & ſuper tribulantes eos miſiſſem manum meam. Inimici domini mentiti ſunt ei, & erit tempus eorum in ſecula. Et cibauit illos ex adipe frumenti, et de petra melle ſaturauit eos.

COMMENTARIVM.

IN ſeptuageſimo nono Pſalmo uinea reparatur. Et in octogeſimo pro torcularibus agitur. Exultate Deo adiutori noſtro, quia ſurrexit uinea eius. Iubilate deo Iacob, reparata eſt uinea eius. Surrexit enim quem exterminauit incredulus populus. Ipſum utique exterminauit qui dixit: Ego ſum uitis uera. Ipſum qui dixit, Exterminauerunt manus meas et pedes meos. Ipſe uero qui exterminauit populus, apro ſylueſtri eſt acrior, ecce ſurrexit. Qui ibi plorabatis, hic exultate: qui ibi tacuiſtis, hic iubilate: qui ibi anxiati eſtis, hic in pſalm. et hymnis comgaudete, & in die inſigni, id eſt, in die redemptionis domini. Quia ipſa eſt dies ſolẽnitatis noſtræ, in quo præceptũ dare dignatur dominus ad teſtimoniũ Ioſeph, eo quod uiſitatiõe uiſitaturus eſſet eos dominus. Ergo Ioſeph teſtimonium de ipſo poſuit, cũ exiret de terra Aegypti, linguam quam nõ nouerat audiuit, poſt quadringẽtos triginta annos. Audiuit uocẽ dei per noctem Moyſi genus Abrahæ, ſicut ei promiſſum fuerat, cũ diuerteret ab oneribus grauiſsimis dorſum eius. Quãdo manus eius in cophino ſeruiebant, in luto & latere. Tunc in tribulatione inuocaſti me, & liberaui te, dicit ad Iſrael dominus: exaudiui te in abſcondito tempeſtatis, te exaudiui & inimicos tuos merſi. Probaui te in aqua contradictionis, in murmure peſsimo, in quo & Moyſes ſeruus irreprehenſibilis uiſus eſt offendiſſe. Audi nunc populus meus. Et loquar Iſrael & teſtificabor tibi, me quem crucifigis ego ſum deus. Et qui deus? Ipſe qui te eduxi de terra Aegypti. Dilata os tuum, & ego adimplebo illud. Quid eſt quod tantopere

topere iubes, ut dilatet os ſuum populus criminoſus atque incredulus, qui crucifixit dominum? Dilata, inquit, os tuum, & ego adimplebo illud. O pijßimus ſaluator, & humani generis euidentißimus reparator, Dilata os tuum, & ego adimplebo illud. Si uultis euadere mortem quam incurriſtis, bibite ſanguinẽ quem fudiſtis. Sed quid ſequitur? Non audiuit populus uocem meam, & Iſrael non intendit mihi. Et ideo dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorũ, & abierunt in adinuentionibus ſuis. Ad populum hunc ego ueni, ad hunc populum, & antequam uenirem prophetas miſi. Ad hunc ſolum populum apoſtolos antequam paterer deſtinaui, qui me penitus audire contempſit. Si enim me audiſſet, aut ſi in uijs meis ambulaſſet, ad nihilum inimicos eorum humiliaſſem, & ſuper tribulantes eos miſiſſem manum meam. Sed principes ſacerdotũ, et ſcribæ et phariſæi, qui erant inimici domini Ieſu Chriſti, ipſi mentiti ſunt populo dicentes: Non eſt à deo. Illi autem miſeri contra ſalutem ſuam illis mentientibus crediderũt. Et eum qui eos liberare uenerat negauerũt, erit tamen tempus eorum in æternũ. Cum enim plenitudo gentium introierit, tunc omnis Iſrael ſaluus fiet, tunc cibabuntur & ipſi ex adipe frumenti, & de petra melle ſaturabuntur credentes, ex quo ceciderunt inuidẽtes. Potẽs eſt enim dominus iterũ inſerere illos. Nos autem in fide eius ſtemus, ut ad nihilum inimicos noſtros redigat. Et ſuper tribulantes nos, ſiue ſpiritales hoſtes, ſiue carnales, mittat manum ſuam, per Chriſtum dominũ noſtrum, qui regnat cum patre & ſpiritu ſancto per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Pſalmus

Pſalmus Aſaph. LXXXI.

DEus ſtetit in Synagoga deorum, in medio autem deos dijudicat. Vſq; quo iudicatis iniquitatem, & facies peccatorum ſumitis. Iudicate egeno & pupillo, humilem & pauperem iuſtificate. Eripite pauperem & egenum de manu peccatoris liberate. Ne ſcierunt neq; intellexerunt, in tenebris ambulant, mouebuntur omnia fundamenta terræ. Ego dixi dij eſtis, et filij excelſi omnes. Vos autem ſicut homines moriemini, & ſicut unus de principibus cadetis. Surge Deus iudica terrã, quoniã tu hæreditabis in omnibus gẽtibus.

COMMENTARIVM.

OMne quod honorifico nomine generaliter nuncupari poteſt, hoc ſpeciale dei eſt, per naturam incomprehenſibilis maieſtatis eius, qua eſt deus, & dicitur tamen homini, dedi te deum Pharaonis: dicitur & dominus homo, cum deus ſolus ſit dominus, dicitur ſanctus homo, cum deus ſolus ſit ſanctus, dicitur bonus homo, cum nemo bonus ſit, niſi deus ſolus. Et hoc eſt deo ſimile in hominibus, quod ea quæ Deus naturaliter poßidet, homo per imaginem ſuſcipit, tanto plus ſimilaturus, quanto fuerit amplius ſuis moribus eius ſimilitudinem imitatus. Vnde & in præſenti pſalmo deus ipſe loquitur his quibus iudicandi tribuit poteſtatem: Ego, inquit, dixi dij eſtis, & filij excelſi omnes. Vos autem ſicut homines moriemini, & ſicut unus de principibus cadetis. Vnus de principibus. id eſt, diabolus & Iudas traditor, & Saul & Hieroboam, aut unus ex ijs, qui principatum tenuerunt, Sic & uos cadetis, quia iudicatis iniquitatẽ.

quitatem. Et *facies peccatorum ſumitis, non iudicatis pu pillo & egeno, humilem & pauperem non iuſtificaſtis, non eripuiſtis pauperem & egenum, nec de manu pec= catorum liberaſtis.* Et licet generaliter *dicta ſint iſta de iudicibus & pauperibus, tamen Phariſæis, una cum principibus ſacerdotum prophetia carminis ſonat.* Ne= *ſcierunt enim neque intellexerunt, quia dictum eſt illis:* Niſi *crediderítis non intelligetis.* Illi *ſi crediſſent, intel ligerent ſuum eſſe* Dominum *quem negabant, & dili= gentem ſe odio perſequebantur iniquo.* Eſto *ſecundum incredulitatem ueſtram non erat dominus, frater tamen erat* Hebræus *ex* Hebræis, & *parentes, fratres diceba= tis apud uos eſſe.* Dicite *ergo quæ fuerit cauſa odij: Qua re, inquiunt, infirmos curat in ſabbatis?* Et *hoc meretur medicus odium pro ſalute fratrũ incurrere, & pro cha= ritate ſua, ueſtra execrabilitate uexari.* Verum *quoniam qui odit fratrem ſuum in tenebris ambulat, atque moue= buntur omnia fundamenta terræ, cum exurget* Deus, *ut iudicet terram, recedamus ab odio fratrum.* Quia *qui odit fratrem ſuum, neſcit quo eat, quia circumdant eum tenebræ.* Agamus *ergo ſollicite de fine* Pſalmi, *ut cum ſurrexerit* Dominus *iudicare terram, & nos in hæredi= tate capiat, in omnibus gentibus, qui regnat in ſecula ſe culorum,* Amen.

Canticum pſalmi Aſaph. LXXXII.

D*Eus quis ſimilis erit tibi, ne taceas, neque compe peſcaris deus.* Quoniam *ecce inimici tui ſo= nuerunt, & qui oderunt te extulerunt caput.* Super *populum tuum malignauerunt conſilium, & co= gitauerũt*

gitauerunt aduerſus ſanctos tuos. Dixerunt uenite & diſperdamus eos de gente, & non memoretur nomen Iſrael ultra. Quoniam cogitauerunt unanimiter ſimul aduerſum te, teſtamentum diſpoſuerunt tabernacula Iduмæorum & Iſmahelitæ. Moab & Agareni, Gebal & Ammon & Amalech alienigenæ cum habitantibus Tyrum. Etenim Aſſur uenit cum illis, facti ſunt in adiutorium filijs Loth. Fac illis ſicut Madian & Siſaræ, ſicut Iabin in torrente Cyſon. Diſperierunt in Endor, facti ſunt ut ſtercus terræ. Pone principes eorum ſicut Oreb & Zeb & Zebeæ & Salmana. Omnes principes eorum qui dixerũt hæreditate poßideamus ſanctuarium dei. Deus meus pone illos ut rotam, & ſicut ſtipulam ante faciem uenti. Sicut ignis qui comburit ſiluam, ſicut flamma comburens montes. Ita perſequeris illos in tempeſtate tua, & in ira tua turbabis eos. Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum domine. Erubeſcant & conturbentur in ſeculum ſeculi, & confundantur & pereant. Et cognoſcant quia nomẽ tibi dominus, tu ſolus altißimus ſuper omnem terram.

COMMENTARIVM.

Octogeſimus ſecundus pſalmus habet quidem nomina gentium aduerſus Iſraelitas dimicantium, contra quas exoratur altißimus, deus ſolus qui eſt ſuper omnem terram dominus. Dicit autẽ contra Hebræos has gentes inſurrexiſſe, Moab ex Loth, Amelech ex Cham. Hi erant in tabernaculis Idumææ, & cum his aſſociati ſunt Iſmahelitæ. Hi conabantur tenere ſanctuarium dei captiuum. Contra hos ut non ſileat, neq; compe

ſcatur

ſcatur dominus, exoratur. Ideo autem in capite habet, *de us quis ſimilis tibi.* Et in finem, *Tu ſolus altiſsimus ſuper omnem terram. Quoniam in dijs ſuis confidentes aduer ſum nos excitantur, qui te habemus deum, qui ſimilem non habes. Tu enim ſolus es altiſsimus ſuper omnem ter ram.* Nos autem, *quia iſtæ omnes gentes ab* Apoſtolis *oc cupatæ in Chriſti hæreditate titulatæ ſunt: ſi hos factos ci ues ſanctorum per gratiam credimus, et domeſticos dei, non de his dicamus:* Inimici tui domine *ſonauerunt, ſed de dæmonijs, quorum conſilijs totus mundus, & carnali ter concutitur, & ſpiritaliter fatigatur.* Tamen non uin *ceremur carnaliter ab hoſtibus uiſibilibus, ſi nos inuiſi biles ſpiritaliter uinceremus.* Nemo enim intrat in do *mum fortis, & uaſa cripit, niſi fortem ligauerit.* Fortes *ergo ſpiritales homines ſunt, quorũ uaſa carnes ſunt ex teriores, homines ſunt, cum illis interioribus agent dæ monia bellum. Quos cum uicerint, & occupauerint ua ſa eorum, id eſt, corpora eorum, quæ pro armis bellicis tractabant aduerſus inimicos: his occupatis, illi excitant gentes, quia illos qui contra eos ſpiritaliter pugnare conſueuerant, & armis orationum, & puræ conſcien tiæ uincere, ſciunt ſe penitus non habere.* Da enim *u num ſpiritalem, qui iſtum pſalmum contra centum mi lia gentes, præſumens de conſcientia, proferat, & uides protinus euenire uictoriam.* Verum *quia cum his nobis adhuc congreſsio eſt quos ſpiritaliter conamur uincere: quia eos nondum uicimus, etiam ſi nos uiciſſe putemus: quia ſi uiciſſemus ſpiritaliter, ut dixi, nequaquàm car naliter uinceremur: agamus ergo, ut quia terrenæ no-*

bis

bis ſuperantur & occupantur pro uinciæ, ſpiritales no=bis patriæ non negentur, ut uel in fine uitæ noſtræ in bo=no ſtudio inueniamur, quia cogitant aduerſum nos, di=centes : Diſperdamus eos ex gente, ut non memoretur deus nomen eorum amplius. *Sciunt enim dæmones, quia ſi peccamus, ſic erimus* Deo *execrabiles, ſicut & ipſi ſunt.* Rogemus Dominum, *ut ſicut ignis comburit ſiluas, & ut flamma comburens montes, ita perſequatur eos in tempeſtate ſua.* Quia dicunt, *inquit, hæreditate poßidea=mus ſanctuarium* Dei. *Sanctuarium* Dei *eſt, ubi myſte=riorum ſunt repoſita ſacramenta, ibi caro cœleſtis, ibi ſanguis diuinus, ibi chariſmatis uirtus, ibi fons perennis eſt, & lex diuina, ibi ſunt omnia iſta intus in nobis, qui per fidem ſanctuaria* Dei *facti ſumus.* Ergo excitemus *in zelum* Dominum, *dicentes ei:* Domine *quos tuo ſan=guine redemiſti, quos tu ſanctuarium dignatus es facere, inuaduntur ab his, qui aduerſum teſtamentum tuum di=ſpoſuerunt:* Imple *facies eorum ignominia, ut confundan tur & pereant in æternum. Dum enim illi perierint qui impediunt cognoſcere* Dominum, *tunc cognoſcet om=nis gens, quia tu ſolus es altißimus ſuper omnem ter=ram, ſicut deiectis denique ubique templis & idolis in ec cleſia* Dominus *regnat ſuper omnem terram corporis noſtri, regnat* Dominus Ieſus Chriſtus, *qui eſt cum pa=tre & ſpiritu ſancto, unus deus & ſolus altiſ=ſimus per omnia ſecula ſecu=lorum,* Amen.

In finem pro torcularibus filijs Chore
Pſalm. LXXXIII.

QVam dilecta tabernacula tua Domine uirtutum concupiſcit & deficit anima mea in atria domini. Cor meum & caro mea exultauerunt in deum uiuum. Etenim paſſer inuenit ſibi domum, & turtur nidum ubi reponat pullos ſuos. Altaria tua domine uirtutum, rex meus & Deus meus. Beati qui habitant in domo tua domine, in ſecula ſeculorum laudabūt te. Beatus uir cuius eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in ualle lachrymarum in loco quem poſuit. Etenim benedictionem dabit legiſlator, ibunt de uirtute in uirtutem, uidebitur deus deorum in Sion. Domine deus uirtutum exaudi orationem meam, auribus percipe deus Iacob. Protector noſter aſpice deus, & reſpice in faciē Chriſti tui. Quia melior eſt dies una in atrijs tuis ſuper milia. Elegi abiectus eſſe in domo dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum: Quia miſericordiam & ueritatem diligit deus, gratiam & gloriam dabit dominus. Non priuabit bonis eos, qui ambulant in innocentia, domine uirtutū beatus homo qui ſperat in te.

COMMENTARIVM.

CVm in octogeſimo ſecundo pſalmo confuſi fuerint & perierint, qui occupare uolentes ſanctuarium dei, dabant faſtidium caſtitatis, & legendi, & pſallendi pariter, ac de bonis rebus cogitandi impedimenta gignebant, Regnante in nobis domino nos, qui eramus filij Chore præuaricatoris, hoc malo patre à terra

ra deuorato, dei filij efficimur. Et qui ante ignem alienũ à deo bibimus, & auariciæ ferre cogitabamus, nunc igne amoris diuini ſuccenſi dicimus: Quam amabilia, quã dilecta, quamq; pulchra tabernacula tua, in quibus habitas Domine deus uirtutum. Quæ ſunt ipſa tabernacula, de quibus dicit? Quia concupiſcit & defecit anima mea in atrijs eius, in quibus & cor eius & caro exultat noui huius amatoris, in quibus, inquit, paſſer Chriſtus inuenit ſibi domũ, Inibi & turtur nidum, id eſt, eccleſia, ubi congreget pullos ſuos. Vbi ſunt, inquit, altaria tua domine uirtutũ, id eſt, myſteria tua, rex meus & deus meus. Beati qui ad ea pertingunt, quia in æternum laudabunt te, ſolatium dulce miſeriæ. Ibi enim auxilium habentes tuum, aſcenſiones ponunt in corde ſuo, non in conuiuijs ridentium, ſed in conualle lachrymarũ. Ibi enim benedictionẽ accipiunt à te, à quo legem ſuſceperunt, & uident in his deum deorũ in Sion, id eſt, in eccleſia tua, in qua domine deus uirtutũ exaudies preces, non uitiorũ deus: ille amet me, illud acquiram, illud habeã, has uitiorum preces dedignatur dominus uirtutũ. Et quid amplectitur? Da mihi caſtitatem, ſapientiã, contemptum mundi, patientiã, charitatem, bonã ſuſpicionem in proximo. ſi iſta uirtutũ genera ſunt, & deus uirtutũ eſt quẽ oramus, his utiq; rebus annuit, quibus nos ſuæ faciet naturæ conſortes. Cũ reſpicit in faciem Chriſti ſui, et hominem uiderit ſedentem ad dexteram ſuam, per quem melior dies una, quia æterna erit, & noctem non habebit, in leticia erit credentiũ, melior erit hæc dies una in regno eius ſuper milia annorũ, quæ ſunt in terra cõſumpta. Qui hæc aũt credit, plus ele

git abiectus eſſe in conuerſatione credentium. Quia domus dei non cemento conſtat & calce, ſed in homine credente, & eius precepta ſeruãte. Inter nos ergo melius eſt mihi pro abiecto haberi, quam ſi pro rege habear in tabernaculis peccatorum, ubi miſericordiam & ueritatẽ diligit dominus, & poſt miſericordiam uiderit et ueritatem cuſtoditam ab eo, cui eã dedit dominus. Poſt hæc gratiam et gloriã dabit, ita ut ſine ſucceßione eas poßideat. Non enim priuabit bonis eos, qui ambulauerint in innocẽtia. Ad hæc dicamus omnes: Domine deus uirtutũ, beatus uir qui ſperat in te. Vir cũ dixeris, non ſexum diſcreuiſti, ſed mentem, Fœmina enim uirũ aget uirtutũ. Amat rex quæ iure uir dicitur, cum uitia quæ fœminam etiam uirum faciũt, animi ſui credulitate proſtrauerit per gratiam domini noſtri Ieſu Chriſti, qui regnat cum patre, et ſpiritu ſancto in ſecula ſeculorum, Amen.

In finem filijs Chore LXXXIIII.

BEnedixiſti domine terram tuam, auertiſti captiuitatem Iacob. Remiſiſti iniquitatem plebis tuæ, operuiſti omnia peccata eorũ. Mitigáſti omnẽ iram tuam, auertiſti ab ira indignationis tuæ. Conuerte nos deus ſalutaris noſter, et auerte iram tuam à nobis. Nunquid in æternum iraſceris nobis, aut extendes iram tuã à generatione in generationem. Deus tu conuerſus uiuificabis nos, & plebs tua lætabitur in te. Oſtende nobis domine miſericordiã tuam, & ſalutare tuũ da nobis. Audiam quid loquatur in me dominus deus, quoniam loquetur pacem in plebem ſuã. Et ſuper ſanctos ſuos, & in eos qui conuertuntur ad cor. Verumtamẽ

propo

prope timentes eum ſalutare ipſius, ut inhabitet gloria in terra noſtra. Miſericordia & ueritas obuiauerunt ſibi, iuſtitia & pax oſculatæ ſunt. Veritas de terra orta eſt, & iuſticia de cœlo proſpexit. Etenim dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum. Iuſticia ante eum ambulabit, et ponet in uia greſſus ſuos,

COMMENTARIVM.

Octogeſimus quartus pſalmus nihilominus Chore filijs applicatur. Chore filij ſunt, quibus pater ignem alienum in altare uolens ponere tollitur, et pater Chriſtus per gratiam condonatur. Sicut enim illius ignis libido eſt contra deū & contra Moyſen, id eſt, contra legem uadens: ita huius ignis, corda credentium in amplexu miſericordiæ & ueritatis excitat, ita ut iuſtitia & pax oſculentur ſe. Quando autem iſta geſta ſint, ſi requiris auſculta. Quādo benedixit dominus terram ſuam aduentu ſuo, tunc auertit captiuitatem Iacob. Tunc remiſit impietatem plebis ſuæ, mitigauit omnem iram ſuam, et auertit à nobis iram indignationis ſuæ. Oſtendens nobis miſericordiam ſuam, & ſalutare ſuum in Chriſto dans nobis. Audiamus quid loquatur, qui uenit & benedixit terram ſuam: Pacem meam, inquit, do uobis. Ecce ſic loquitur pacē in plebem ſuam: Primo ſuper ſanctos, id eſt, ſuper Apoſtolos. Poſt hæc ſuper eos, qui per Apoſtolos conuertuntur ad eum. Prope eſt enim timentibus deum ſalutare ipſius, ſi inhabitauerit gloria, id eſt, ſpiritus ſanctus in terra noſtra, id eſt, in corporibus noſtris, quo habitante, miſericordia & ueritas occurrunt ſibi in

nobis charis amplexibus. Iuſticia uero et pax oſculantur ſe. Quia ueritas qui eſt Christus, de terra, id eſt, de Maria orta eſt, & ita iuſto hoc iudicio factum eſt, quod cum fieret docebamur, quod iuſticia de cœlo proſpexit. Cum dominus daret hanc benedictionem Mariæ, *In qua quaſi terra noſtra, ex noſtra utiq; materia, daret fructum ſuum.* Suum *utique hominem perfectum, ex ſemine* Dauid *ſecundum carnem, ante quem iuſticia ambulauit in* Ioanne *baptiſta, ut ita poneret in uia greſſus ſuos, ut ipſe eſſet uox* Eſaiæ *uaticinatione promiſſa, qua clamaret in deſerto huius ſeculi:* Parate *uias* Domini, *rectas facite ſemitas dei noſtri.* Nam *et* Zacharias *ſic dicit* Ioanni. Tu *quidem puer propheta altiſsimi uocaberis.* Præibis *enim ante faciem domini, parare uias eius.* In *ipſo ergo iuſticia ante eum ambulauit, ut ipſa iuſticia, per Chriſtum poneret in uiã qua iretur ad cœlos greſſus ſuos, ut ſequamur ueſtigia eis, qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius, ipſi gloria in ſecula ſeculorum,* Amen.

Oratio *Dauid.* LXXXV.

I*Nclina domine aurem tuam & exaudi me, quoniam inops & pauper ſum ego. Cuſtodi animam meam, quoniam ſanctus ſum, ſaluum fac ſeruum tuum deus meus ſperantem in te. Miſerere mei domine, quoniam ad te clamaui tota die, lætifica animam ſerui tui, quoniam ad te domine animam meam leuaui. Quoniã tu domine ſuauis & mitis, & multæ miſericordiæ omnibus inuocantibus te. Auribus percipe domine orationem meam, & intende uoci deprecationis meæ. In die tribulationis meæ clamaui ad te, quia exaudiſti me. Nõ eſt ſimi-*

eſt ſimilis tui in dijs domine, & non eſt ſecundum opera tua. Omnes gentes quaſcunq; feciſti uenient & adorabunt coram te domine, & glorificabunt nomen tuum.

Quoniam magnus es tu & faciens mirabilia, tu es deus ſolus. Deduc me domine in uia tua & ingrediar in ueritate tua, lætetur cor meum ut timeat nomen tuum.

Confitebor tibi domine deus meus, in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in æternum. Quia miſericordia tua magna eſt ſuper me, & eruiſti animam meam ex inferno inferiori. Deus iniqui inſurrexerunt ſuper me, & ſynagoga potentium quæſierunt animam meam, & non propoſuerunt te in conſpectu ſuo. Et tu domine deus miſerator & miſericors, patiens & multæ miſericordiæ & uerax. Reſpice in me, & miſerere mei, da imperium tuum puero tuo, & ſaluum fac filium ancillæ tuæ. Fac mecum ſignum in bono ut uideant qui oderunt me, & confundãtur, quoniam tu Domine adiuuiſti & conſolatus es me.

COMMENTARIVM.

DVm in octogeſimo ſecundo aieret: Deus quis ſimilis tibi. Nunc in octogeſimo quinto dicit: Non eſt ſimilis tui in dijs domine. Quod ſi interrogauerat quaſi ignarus, edocuit. Ibi contra omnes gẽtes: Hic omnes gentes, inquit, quas feciſti, non uenient & bellabunt, ait, ſicut ibi dixerat: Sed uenient, inquit, & adorabunt coram te domine. Vnde iſta tibi præſumptio? Si inclinaueris, inquit, aurem tuam, & audieris me, & cuſtodieris me, quia ſanctus ſum, id eſt, quia ſanctificatus ſum, & lætificaueris me, quia ſeruus tuus ſum, & in die tribu

lationis meæ clamantem me ad te exaudieris, & deduxe ris me in uia tua, & ambulauero in ueritate tua, & libe raueris animam meam ex inferno inferiori, et hos iniuſtos ſpiritus immundos, qui inſurrexerunt in me confuderis, tunc lætabitur cor meum de uictoria, & timebit nomen tuum de pugna. In prælio enim hoc unum & ſolum ſolatium habui, quod te Dominũ meum me timere gloriabar: cum hij qui inſurrexerunt in me, non proponerent te ante oculos ſuos. Verum quia miſericors et miſerator es, & contemptores tuos non occides, ſicut in illis miſericors es, in me uerax eſto, & da poteſtatem tuam puero tuo Ieſu Chriſto, & ſaluum fac filium ancillæ tuæ Mariæ. Illo enim exurgente à mortuis & aſcendente in cœlum, nos Apoſtoli & diſcipuli eius habebimus ſignum crucis eius in bono cum uniuerſis qui credimus, ita ut uideant in frontibus noſtris ſignum tuum, & confundantur, ſiue uiſibiles, ſiue inuiſibiles inimici. In ipſo enim ſigno adiuuas, et in ipſo conſolaris nos, qui regnas in ſecula ſeculorum, Amen.

Pſalmus cantici filijs Chore LXXXVI.

FVndamenta eius in montibus ſanctis, diligit dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob. Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas dei. Memor ero Raab & Babylonis, ſcientibus me. Ecce alienigenæ & Tyrus & populus Aethiopum, hij fuerunt illic.

Nunquid Sion dicet homo, & homo natus eſt in ea, & ipſe fundauit eam altiſſimus. Dominus narrauit in ſcripturis populorum, & principum horum qui fuerunt in ea. Sicut lætantium omnium habitatio in te.

COM-

COMMENTARIVM.

OMnes penè pſalmi qui in filijs Chore titulantur, lætitia pleni ſunt. Non enim ſecuti iniquitatem patris, alienuum à deo ignem libidinoſum aſſumunt, ſed hoc amantes quod diligit dominus, de ciuitate glorioſa loquũtur. Quod tamen principiũ dederit pſalmo octogeſimo ſexto prophetiæ ſpiritus, requiramus. Fundamenta eius. Adhuc non dixiſti cuius, & dicis iam eius? Vnde apparet deum tibi oſtendiſſe ciuitatem, cuius te poſitio, dum cantares domino, appellauit, & dans tuæ cogitationi reſponſum, ſubite exclamaſti: Fundamenta illius ciuitatis quam cogito, cuius portas diligit dominus ſuper omnia tabernacula Iacob, de qua glorioſa dicta ſunt à prophetis. Fundamenta eius in montibus ſanctis, Ibi ſunt fundamenta ciuitatis, quos Chriſtus montes excelſos fecit, quorũ uertices cœlũ pulſant, in quibus transfigurantur in ſplendore, in quibus apparẽt cum eo Moyſes & Helias, in quibus lex & prophetia cum Chriſto cõcordant, in quibus apertis cœlis, clamat pater de Chriſto ſuo: Hic eſt, in quo mihi bene complacui, ipſum audite. In ipſis montibus fundamenta ſunt eccleſiæ collocata. Fundamentum autẽ ibi nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt. Saxum enim poſitum eſt ſolidum. Et ſi quis præter hoc quod poſitum eſt poſuerit, in arenam poſuit. Sed forte dicis, cum unum fundamentum memoret Apoſtolus, quomodo hic plura memoras fundamẽta? Ad hoc illud reſpice, Si regem dixeris Chriſtũ ſolum, dicitur tibi, rex regũ eſt; Si dominũ, reſpondebitur tibi, dominus dominantium eſt. Si ſanctum, ſanctus ſanctorũ eſt, Sic & ſi

ſolum fundamentum memores, fundamentum fundamentorum negare non poteris. Vnde idem Apoſtolus ſuper ædificari credentes Chriſto deſiderat & exoptat, ſuper fundamentum Apoſtolorum & prophetarum. In hac ergo ciuitate memorabo Raab, excipientem nũcios, & Babylonem ducentem captiuos, gentium ſcilicet plebes ſordidas in fornicatione, ſicut Raab, & ſuperbas in uirtute ſicut Babylon. Has dico, inquit, in iſta ciuitate uenturas, ut ſciant te, ibi enim et alienigenæ, ibi Tyrij, ibi etiam populus Aethiopum clamabunt de Apoſtolis, dicentes, Audiuimus eos unuſquiſq; linguis noſtris loquentes magnalia dei. Ibi cognouimus matrem Syon dicentem, quod homo & homo natus ſit in ea, in Syon prouinciá matrem ciuium Hebræorum dicentem: Cognouimus nos gentes, quod homo Adam primus factus ſit ex terra in animam uiuentem, nunc alius homo nouiſſimus Adam natus ſit ex uirgine, in ſpiritu uiuificante: Primus homo generat filios qui poſſideant terram, ſecundus homo generat qui poſſideant cœlos. Ecce homo et homo, hoc uos gentes unde noſtis? In Sion, id eſt, in ciuitate, cuius fundamenta in montibus ſanctis ſunt. Ibi nobis dictum eſt: Dominus hoc narrauit in ſcripturis populorum & principũ, qui fuerũt in ea, & hoc didicimus quod in habitatione eius nullus erit tribulans, nullus ſuſpirans, nullus flens, nullus afflictus, ſed lætantium erit omnium habitatio in ea. Quorum lęticia, quia uerbis exprimi non potuit, comparatione diſtincta eſt, ut quanta poteſt omnium noſtrorum, qui in ſeculo ſumus lęticia in unam ſummam colligi, tanta in uno ei habitatore fundatur, per eum qui fundauit

eam

eam altiſſimus, regnãs cum filio patre & ſpiritu ſancto, per æterna ſecula ſeculorum Amen.

Canticum pſalmi filij Chore *in finem pro* A*malech, ad reſpondendum intellectus* Heman *Izraitæ.* LXXXVII.

D*Omine deus ſalutis meæ, in die clamaui & nocte coram te.* Intret *in conſpectu tuo oratio mea, inclina aurem tuã ad precem meam.* Quia *repleta eſt malis anima mea, & uita mea inferno appropinquauit.* Aeſtimatus *ſum cum deſcendentibus in lacum, factus ſum ſicut homo ſine adiutorio inter mortuos liber.* Sicut *uulnerati dormientes in ſepulchris, quorum non es memor amplius, & ipſi de manu tua repulſi ſunt.* Poſuerunt *me in lacu inferiori, in tenebroſis, & in umbra mortis.* Super *me confirmatus eſt furor tuus, & omnes fluctus tuos reduxiſti ſuper me.* Longe *feciſti notos meos à me, poſuerunt me abominationem ſibi.* Traditus *ſum & non egrediebar, oculi mei languerũt præ inopia.* Clamaui *ad te domine, tota die expãdi ad te manus meas.* Nunquid *mortuis facies mirabilia, aut medici ſuſcitabunt & cõfitebuntur tibi.* Nunquid *narrabit aliquis in ſepulchro miſericordiam tuam, & ueritatem tuam in perditione.* Nunquid *cognoſcentur in tenebris mirabilia tua, & iuſtitia tua in terra obliuionis.* Et *ego ad te domine clamaui, & mane oratio mea præueniet te.* Vt *quid domine repellis orationem meã, auertis faciem tuam à me.* Pauper *ſum ego & in laboribus à iuuentute mea, exaltatus autem humiliatus ſum & conturbatus.* In *me tranſierunt iræ tuæ, & terrores*

res

res tui conturbauerunt me. Circundederunt me ſicut aqua, tota die circundederũt me ſimul. Elongaſti à me amicum & proximum, & notos meos à miſeria.

COMMENTARIUM.

IN *huius pſalmi titulo nominantur quidem filij* Cho*re, ſed pſalmus canticum ſuum pro* Malech *dirigit, et dat intellectum* Emam Iſ*raelitæ.* Malet, *id eſt, deſtitutum uocant,* Eman *inopem. Ergo ad deſtitutum & pauperem ſermo eſt. Credo ad illum deſtitutum, quem relinquentes diſcipuli ſolum in manibus, fugierunt. Ad quem autem pauperẽ, niſi ad eum, de quo* Apoſtolus *memorat: Quia cum diues eſſet, pauper pro nobis factus eſt, ita ut oculi eius infirmati ſint præ inopia.* Pauper, *non habens diuitias immortalitatis in paßione. Cuius oculi præ ipſa infirmitate in morte clauſi ſunt.* In *qua dicit, medici ſuſcitare non poſſunt, in qua dicit poſitum ſe in lacu inferiori, in tenebris & in umbra mortis.* Tempore *quo poſuerunt eum abominationẽ ſibi, quo traditus eſt* Iuda: Tunc *inquit, quando traditus ſum & non egrediebar.* Calicem *non exiebam paßionis, de manibus ligantium me.* Tunc *oculi mei infirmati ſunt præ inopia.* Non *enim utebar ſalute deitatis, ſed patiebar infirmitatem humanitatis aſſumptæ. Audiamus ergo quid ipſe homo aſſumptus loquatur:* Feciſti *naſci ex uirgine, ut narrantes mirabilia tua, credant homines, & ab incredulitate fugiẽtes, ad uitam attingant. Ambulare feciſti ſuper æquora tumentia ſiccis pedibus, imperare uentis, cæcis lumẽ reddere, infirmantibus ſalutem, mortuis uitam quam amiſerant reuocare. Quid modo ad mortem me ire permittis?* Nun-

quid

quid narrabunt in ſepulchris miſericordiã tuam, aut in perditione poſiti, agnoſcunt ueritatem tuam, aut cogno ſcunt iuſtitiã tuam reducti in terrã obliuionis? Hæc ſunt quæ clamaui ad te in oratione mea, dum dicerem: Si fieri poteſt tranſeat à me calix paßionis. Verũ quia non po- teſt tranſire niſi bibam illum, fiat uolũtas tua, exalter in cruce, humilier in cõſpectu iudicis, et uidear confuſus in mortẽ, et hoc modo ſim exaltatus, et humiliatus, & cõfu ſus. Verũ quia inter mortuos liber ſum, mane oratio mea præueniet te, & uidebunt reſurgentẽ, quem uiderant to ta die expãdiſſe in cruce manus ſuas. Et poſt hæc in ſepul chro poſitũ, à quo longatus eſt omnis amicus, & omnis proximus pro ipſa miſeria paßionis. Intrat enim oratio eius in cõſpectu dei. Et inclinauit aurẽ ſuã ad precẽ eius, & uita eius quæ in infernũ appropinquauit, exurgat à mortuis. Dum enim manè factũ fuerit, ſtatim oratio eius præueniet, promißionẽ reſurrectionis perficiens, ut non ſolum ſe uiuentem exhibeat, ſed & in cœlis aſcendentem oſtendat. Cui gloria in ſecula ſeculorum Amen.

Intellectus Ethan Ezraitæ. LXXXVIII.

Miſericordias domini in æternum cantabo. In generatione & generationem, annunciabo ue ritatem tuam in ore meo. Quoniam dixiſti in æternum miſericordia ædificabitur in cœlis, præparabi tur ueritas tua in eis. Diſpoſui teſtamentum electis me- is, iuraui Dauid ſeruo meo uſq; in æternum præparabo ſemen tuum. Et ædificabo in generatione & generatio nem ſedem tuam. Confitebuntur cœli mirabilia tua do mine, etenim ueritatẽ tuam in eccleſia ſanctorũ. Quo- niam

niam quis in nubibus æquabitur domino, ſimilis erit domino in filijs dei. Deus qui glorificatur in conſilio ſanctorum, magnus & terribilis ſuper omnes qui in circuitu eius ſunt. Domine deus uirtutũ quis ſimilis tibi, potens es domine, & ueritas tua in circuitu tuo. Tu domi naris poteſtati maris, motum aũt fluctuũ eius tu mitigas.

Tu humiliaſti ſicut uulneratum ſuperbum, in brachio uirtutis tuæ diſperſiſti inimicos tuos. Tui ſunt cœli, & tua eſt terra, orbem terræ & plenitudinem eius tu fundaſti, Aquilonem & mare tu creaſti. Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt, tuum brachium cum potẽtia.

Firmetur manus tua et exaltetur dextera tua, iuſtitia et iudicium præparatio ſedis tuæ. Miſericordia & ueritas præcedent faciem tuam, beatus populus qui ſcit iubilationem. Domine in lumine uultus tui ambulabunt, et in iuſtitia tua exultabunt tota die, & in nomine tuo exaltabuntur. Quoniam gloria uirtutis eorum tu es, & in beneplacito tuo exaltabitur cornu noſtrum. Quia domini eſt aſſumptio noſtra, & ſancti Iſrael regis noſtri.

Tunc locutus es in uiſione ſanctis tuis, & dixiſti poſui adiutoriũ in potente, & exaltaui electum de plebe mea.

Inueni Dauid ſeruum meũ, oleo ſancto meo unxi eum.

Manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non apponet nocere ei. Et concidam à facie ipſius inimicos eius, & odientes eum in fugam conuertam. Et ueritas mea & miſericordia mea cũ ipſo, et in nomine meo exaltabitur cornu eius. Et ponã in mari manũ eius, & in fluminib. dexterã eius. Ipſe inuocabit

me pater

me pater meus es tu, deus meus & ſuſceptor ſalutis meæ.
Et ego primogenitum ponam illũ, excelſum præ regi-bus terræ. In æternum ſeruabo illi miſericordiam meã, & teſtamẽtum meum fidele ipſi. Et ponam in ſeculum ſeculi ſemen eius, & thronum eius ſicut dies cœli. Si autem dereliquerint filij eius teſtamentum meum, & in iudicijs meis non ambulauerint. Si iuſticias meas prophanauerint, & mandata mea non cuſtodierint. Viſitabo in uirga iniquitates eorũ, in uerberibus peccata eorum.
Miſericordiam aũt meam nõ diſpergam ab eo, neq; nocebo in ueritate mea. Neq; prophanabo teſtamentum meum, & quæ procedunt de labijs meis non faciam irrita. Semel iuraui in ſancto meo ſi Dauid mentiar, ſemen eius in æternum manebit. Et thronus eius ſicut ſol in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta in æternum, & teſtis in cœlo fidelis. Tu uero repuliſti & deſpexiſti, diſtuliſti Chriſtum tuum. Auertiſti teſtamentũ ſerui tui, prophanaſti in terra ſanctuarium eius. Deſtruxiſti omnes ſepes eius, poſuiſti firmamentum eius formidinem. Diripuerunt eum omnes tranſeuntes uiam, factus eſt opprobrium uicinis ſuis. Exaltaſti dexteram deprimentium eum, lætificaſti omnes inimicos eius. Auertiſti adiutorium gladij eius, & nõ es auxiliatus ei in bello. Deſtruxiſti eum ab emundatione, et ſedem eius in terra colliſiſti.
Minoraſti dies temporis eius, perfudiſti eũ confuſione.
Vſquequo domine auertis in finem, exardeſcet uelut ignis ira tua. Memorare quæ mea ſubſtantia, nũquid enim uane conſtituiſti omnes filios hominũ. Quis eſt homo qui uiuet, & nõ uidebit mortẽ, eruet animã ſuam de

manu

manu inferni. V*bi ſunt miſericordiæ tuæ antiquæ domi ne,ſicut iuraſti* D*auid in ueritate tua*. Memor *eſto domine opprobrij ſeruorum tuorũ, quod continui in ſinu meo multarũ gentium.* Q*uod exprobrauerunt inimici tui domine,quod exprobrauerunt cõmutationem* C*hriſti tui.* Benedi*ctus dominus in æternum fiat,fiat.*

COMMENTARIVM.

DE tẽpore illo, quo numeratus eſt populus huius pſalmi hiſtoria declaratur. Myſterium uero pſalmi, ad domini noſtri paßionem extẽditur. Dicamus ergo prius hiſtoricum ſenſum, & de hoc ad ſenſum myſticũ conuertamur.Ethan Hebræi humiliatum uocãt. Humiliatur ergo rex Dauid per diminutionem populi. Totũ de miſericordijs domini excitat carmen.Se miſericordias dicit domini æternas cantare,deum dicit dixiſſe, in æternum miſericordiam ædificare:cœlos dicit miſericordias confiteri domini, dicit ſibi ſeruo ſuo iuraſſe, & hanc ueritatem in cœlis præparaſſe, quando diſpoſuit teſtamentũ electis,tunc iuraſſe Dauid ſeruo ſuo.Quid autem iuraſſet inferius pandit. Quod ſi etiam filij eius, inquit reliquerint legem meã, uiſitabo in uirga et in uerberibus peccata eorum,miſericordiã uero meam non tollã ab eis, neq; nocebo ueritatẽ meam.Et adiecit:Semel iuraui in ſancto meo, ſi Dauid mẽtiar. Tu aũt domine repuliſti,& expuliſti,& diſtuliſti Chriſtum tuũ,id eſt,Dauid regem. Quia per occaſionẽ unius facti eius, totus populus moritur.Et ideo agit: Nunquid in uanum cõſtituiſti filios hominum. Quis eſt homo qui uiuit,& non uidebit mortem? Aut quis eruit animã ſuam de manu inferi? Vbi ſunt miſeri-

miſericordiæ tuæ antiquæ domine,ſicut iuraſti Dauid *in ueritate tua?Sufficiat nobis hiſtoricus ſermo, aſcẽdamus ad myſticum.*In Chriſto *enim miſericordia æterna ædifi= cata eſt,non manu facta ædificatio,ſed ſpiritu ſancto cõ= poſita.Cuius ueritas eſt ita in cœlis præparata,ut diſpo= ſito teſtamento legis ſuæ iuraſſet* Dauid *ſeruo ſuo, quod de fructu uentris eius poneret ſuper ſedem ſuam, cui nul lus ſimilis eſſet inter filios dei,ut eſt magnus & metuen= dus ſuper omnes, qui in circuitu eius ſunt.* Omnes enim *ſerui eius ſunt. Signũ autem dedit ſeipſum eſſe dominus* Ieſus Chriſtus, *cum in naui poſitus, ipſe dominatus eſt ſu per poteſtates maris,& motum fluctuum eius ipſe miti= gauit,& humiliauit ſicut uulneratum ſuperbum, ipſum diabolum,et in uirtute brachij ſui diſperſit omnes dæmo nes.Tunc ſuos oſtendit cœlos, cum cæcis lumẽ cœlorum daret.Suã oſtendit terrã,cum ſepultos iuberet eam mor= tuos reddere. Se quoq; Aquilonẽ creaſſe oſtendit,cum e= ius flatibus imperaret. Thabor &* Hermon *in eius nomi ne exultauerunt,cũ uiderent habitatores horum montiũ Hieroſolymis uicinorũ,infirmos ſuos ſaluari,ab eo para lyticos curari, leproſos mundari, mortuos ſuſcitari.Ipſi montes,id eſt Thabor &* Hermon,*in* Ieſu *nomine exul= tabunt,dicentes ei:Tuũ brachium,& tua potentia,quia firmatur manus tua,& exaltetur dextera tua ſuper om= nem ægrotantium ſanitatem.*Nos exultamus, *non ſolum te iſta faciente,ſed & diſcipulos tuos uidemus domine in lumine uultus tui ambulantes,quoniam gloria & uirtus eorũ tu es.Tua eſt enim deus aſſumptio hominis,quod lo cutum te ac dixiſſe per os ſanctorũ,ſacra teſtatur ſcriptu*

*ra,electuri electum de plebe dei,in quo glorietur gloria manus tuæ,qui tibi deo diceret in ueritate:*Pater meus es *tu. De quo & tu diceres:*Ego primogenitũ ponam eum, *ut nomine eius omne genu flectatur cœleſtiũ, terreſtriũ, & infernorum,et omnis lingua confiteatur,*Quia domi*nus* Ieſus *in gloria eſt dei patris qui poſuit in ſeculum ſeculi ſedem eius,cui teſtamentũ ſuum in æternum fideliter ſeruat*. Cuius dies ſicut dies cœli ſunt repromittit.Hic ta*men pro peccatis noſtris ab inimicis ſuis tentus, propha nata eſt in terra ſanctitas eius.* Nõ *permiſit,nec in uno diſcipulo adiutoriũ gladij eius,ſed clamat ei:*Reconde gla*dium tuum in theca ſua* . Et cum *poſſet ei exhibere pluſquam duodecim legiones angelorum, noluit auxiliari ei in hoc bello,ſed minorauit dies temporis eius,& perfudit eum tanta confuſione,ut cum impijs deputatus in medio homicidarum crucis compelleretur ſubire patibu*lum. Non eſt hoc iraſcentis dei,ſed miſerentis. Quid ta*men dicit quia patitur? quouſq; accenditur, uelut ignis ira tua.* Memorare *domine,quia ex uirgine me genuiſti, & memor eſto quæ ſit mea ſubſtãtia.* Quia *cũ omnes homines moriantur in peccatis ſuis, ita ut nullus ſit qui uiuat, & non uideat mortem, & penè nullus ſit,qui eruat animam ſuam de manu inferi (concluſa ſunt enim omnia in incredulitate, ut omnibus miſerearis)ueniant miſericordiæ tuæ promiſſæ domine, & memor eſto* Apoſtolos, *quos continui in ſinu meo, lucratores multarum gentiũ, quos exprobrauerũt inimici tui domine,quos exprobrauerunt ad cõmutationem Chriſti tui alium Chriſtum expectantes, iſtum qui paſſus eſt denegantes.* Nos *autem*

qui ſcimus iubilationẽ in lumine uultus eius ambulemus. Et quem fleuimus patientẽ gaudeamus à mortuis reſurgentem, & adorantes eum, dicamus ei: Benedictus es domine in æternum fiat fiat. Orantes ut in fine noſtro conſeſſio nobis iſta proficiat, per ipſum dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui regnat cum patre, & ſpiritu ſancto in ſecula ſeculorum Amen.

Oratio Moyſi hominis dei. LXXXIX.

DOmine refugiũ tu factus es nobis à generatione in generationem. Priuſquam mõtes fierent aut formaretur terra & orbis à ſeculo & in ſeculũ tu es deus, ne auertas hominẽ in humilitatẽ, & dixiſti cõuertimini filij hominũ. Quoniam mille anni ante oculos tuos tanquã dies heſterna quæ præterijt. Et cuſtodia in nocte, quæ pro nihilo habẽtur eorũ anni erunt. Mane ſicut herba trãſeat, mane floreat et trãſeat, ueſpere decidat, induret & areſcat. Quia defecimus in ira tua, et in furore tuo turbati ſumus. Poſuiſti iniquitates noſtras in conſpectu tuo, ſeculum noſtrum in illuminatione uultus tui. Quoninm omnes dies noſtri defecerunt, & in ira tua defecimus. Anni noſtri ſicut aranea meditabuntur, dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni. Si autem in potentatibus octoginta anni, & amplius eorum labor & dolor. Quoniam ſuperuenit manſuetudo & corripiemur. Quis nouit poteſtatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare. Dexteram tuã ſic notam fac, & eruditos corde in ſapientia. Conuertere domine uſq; quo, & deprecabilis eſto ſuper ſeruos tuos. Repleti ſumus mane miſericordia tua exultaui

mus, & delectati ſumus in omnib. diebus noſtris. Læta ti ſumus pro dieb. quibus nos humiliaſti, annis quibus ui dimus mala. Reſpice in ſeruos tuos, & in opera tua, et dirige filios eorum. Et ſit ſplendor domini dei noſtri ſuper nos, & opera manuũ noſtrarum dirige ſuper nos & opus manuum noſtrarum dirige.

COMMENTARIVM.

OCtogeſimus nonus pſalmus canit dominum noſtrũ, qui refugium factus eſt nobis in Chriſto Ieſu. Hunc eſſe qui fecit montes, & firmauit terrã & orbem, à ſeculo, & in ſeculnm, antequam iſta fierent, iã tunc regnaſſe. Interroges Dauid, & dicas ei: Vnde hoc noſti, quia deus tuus antequã fieret terra, iam deus erat et regnabat? Reſpondebit tibi: Moyſes ille magnus propheta, qui locutus eſt cum deo facie ad faciem, quaſi loquatur cum amico ſuo: ipſe ex ore dei didicit, & ipſe nos docuit. Hæc quare egimus? Quia legimus in titulo: Oratio hominis dei. Quæ ergo ab ipſo didicerat, ipſius ei nomini conſecrauit. Quæ autẽ cauſa in myſticum uadit? Quia præuidit anathemabiles eſſe hæreſes, dicturas filium dei, qui refugium factus eſt nobis in Chriſto, nõ fuiſſe priuſquam mundus fieret, & firmaretur terra orbis. Contra hos ait: A ſeculo & in ſeculũ tu es deus. Non auertas hominem in humilitatem, hoc eſt, in humilitate poſitũ hominem nõ condemnas, quia dixiſti: Conuertimini filij hominũ, hoc eſt, dixiſti te ſuperbis reſiſtere, humilibus gratiam condonare. Ne auerſeris hominẽ in humilitate poſitum, qui quaſi herba oritur, & quaſi flos, quod mane ortum, ueſpere areſcit. Cum apud te mille anni ſic ſint, ſicut

cut una dies, aut ſicut cuſtodia in nocte. Cuſtodia in nocte quarta pars noctis eſt, quam ſibi paſtores diuidũt, ut ternis horis alijs cuſtodientibus, alijs quieſcentibus tranſeatur. Quod autẽ memorat, quia defecimus in ira tua, hoc memorat, quod anteceſſor in pſalmo cecinerat, Poſt populi numerum in ira tua defecimus, quia poſuiſti iniquitates noſtras in conſpectu tuo, & ſeculum noſtrum in lumine uultus tui. Contra herbam & araneam, & contra flos fœni, domine qui ſemper miſertus es hominibus, q̃d moueris? Tibi anni mille ſic uidentur, ſicut nobis nocturna uigilia. Noſtri aũt anni, qui ſicut aranea meditantur, uix ut multũ octoginta anni ſunt, & plus eſt in eis nobis labor & dolor. Quid tanta manſuetudo uenit ſuper miſeros. Quid tam grauiter corripimur? Quis non poteſtatem iræ tuæ? Nunquid ſciebam te iraſci, ſi ego populum numerarem? Sufficeret, quia impeditum corde feciſti ſapere. Conuertere domine aliquantulum, & eſto deprecabilis ſuper ſeruos tuos. Quotienſcunq; tranſierunt à nobis tenebræ peccatorum per correptionem, quaſi in mare poſitis miſericordiam præbuiſti, per quam exultauimus & delectati ſumus, in omnibus diebus, quibus nos humiliaſti, & in annis quibus uidimus mala. Sic fac & modo, quia iam dexteram tuam notam feciſti, & erudiſti nos, & feciſti ſapere quod deſipuimus. Noli delectari in mortem noſtram, qui dixiſti peccantibus: Conuertimini filij hominum, quia non delectaris in perditione uiuorũ. Reſpice obſecro in ſeruos tuos, et in opera manuum tuarum, quia ſicut ſcriptum eſt, quia opera manuum tuarũ nos omnes, quia patres indignatione tua correpti defecerunt.

runt. Dirigantur filij eorum per aduentum domini noſtri Ieſu Chriſti filij tui, ut ſit ſplendor domini dei noſtri ſuper nos, per quem opera manuum noſtrarum. Per ipſum enim directus eſt omnis tenor diſciplinæ, emendata lex, correcta peruerſitas, æquitas adimpleta, ipſi gloria in ſecula ſeculorum Amen.

Laus cantici ipſi Dauid. XC.

QVi habitat in adiutorio altiſſimi, in protectione dei cœli cõmorabitur. Dicet domino ſuſceptor meus es tu, & refugium meũ deus meus ſperabo in eum. Quoniam ipſe liberauit me de laqueo uenantium, & à uerbo aſpero. Scapulis ſuis obumbrabit tibi, & ſub pennis eius ſperabis. Scuto circundabit te ueritas eius, nõ timebis à timore nocturno. A ſagitta uolante in die, à negocio perambulante in tenebris, ab incurſu & dæmonio meridiano. Cadent à latere tuo mille & decẽ milia à dextris tuis, ad te aũt nõ appropinquabit. Veruntamen oculis tuis conſiderabis, & retributionem peccatorum uidebis. Quoniam tu es domine ſpes mea, altiſſimum poſuiſti refugium tuum. Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. Quoniam angelis ſuis mandauit de te, ut cuſtodiant te in omnibus uijs tuis. In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Super aſpidem & Baſiliſcum ambulabis, & cõculcabis leonem & draconẽ. Quoniam in me ſperauit liberabo eum, protegam eum quoniam cognouit nomen meum. Clamauit ad me, & ego exaudiã eum, cũ ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum. Longitudine dierum

rum replebo eum,& oſtendam illi ſalutare meum.

COMMENTARIVM.

MVlti putãt libertatem arbitrij euſq; ſibi poſſe ſufficere, ut ſeſe per ipſam libertatem ab hoſti-bus inuiſibilibus eruere poſſe confidant. Liber tatem aũt arbitrij,& negare periculũ eſt,& nudare pec catum. Si enim negaueris, omnibus frena laxaſti: ſi nuda-ueris, decepiſti. Nam negas ſi dixeris: Deus ſi uult bonus ſum, Si non uult bonus non ſum. Cum conſtet deum uelle omnes homines ſaluos fieri,& unuſquiſq; ſuo fit iniquus arbitrio. Nudas aũt, cum tantum ipſi arbitrio dederis, ut eum rebus diuini adiutorij denudaris. Nam qui habitat in adiutorium altißimi,& qui in protectione dei cœli cõ moratur,& dicit domino: Suſceptor meus es,& refugiũ meum, quia dicit ſperabo in eum, quia ipſe liberabit me de laqueo dæmonum,& à uerbo aſpero ſuggeſtionũ eo-rum. Si ita dixeris, ſi ita credideris, tum demũ in ſcapulis ſuis obumbrabit te,& ſub pẽnis eius ſperabis. Pennæ dei angeli eius ſunt, quorũ cuſtodiæ mancipamur. Scuto cir cundabit te ueritas eius. Scuto corporis, ſanguinis, chriſ-matis, quo ſcuto & defendimur et coronamur. Sic enim pſalmus alius aſſerit, quod ſcuto bonæ uolũtatis coronet nos. Hoc etiam in iſto pſalmo, ut non timeamus à timore nocturno. Libidinoſæ ſcilicet uoluptatis, cuius ſagitta uo lat per diẽ. Quod enim in aſpectu luminis cõcupiſcitur, huius negocium in tenebris perpetratur, aut in ruina, aut in dæmonio meridiano perficitur. Sed ſi habitaueris in adiutorio altißimi, cadẽt à latere tuo mille,& decẽ mi lia à dextris tuis. Siniſtrũ in eo, qui ſub auxilio dei agit,

non nominatur,ſed latus tantum exponitur contra quod mille inſurgunt, à dextris autem decem milia. Latus hoc *ſiniſtrum quod noluit nominare, liberum arbitrium eſt, contra quod minor pugna laxatur:*In *dextera autem dei auxilium eſt.* Et *ideo prius nominauit latus,quia in arbitrio eſt,ut credas prius, ut dum credideris gratiam conſequaris.* Inuenies *tam multiplicem uirtutum cuneum, auxiliorum in dextera.*Ipſa *armat trophæo crucis frontem, ipſa loricam myſteriorum aſſumit,ipſa ſuſcipit ſalutis remedia,ipſa loquentis exprimit ſigna.*Nam *& quod memorat ſapientia dei, quod uias quæ à dextris ſunt nouit dominus, peruerſæ autem ſunt à ſiniſtris:hoc oſtendere fortaſſe uoluit, quod quando uincimus, partis dexteræ uirtutibus tradimus: quando autē uincimur,ſiniſtræ partis infirmitatibus applicamus.* Auxilium *non uincitur dei,ſed noſtri libertas arbitrij ſuperatur.* Qui *ſi pro penſiores fuerimus in dextera,angelis ſuis mādat de nobis ut cuſtodiāt nos in omnibus uijs noſtris:ita ut ſi ſuper* Aſpidem *&* Baſiliſcum *ambulemus,id eſt,ſuper diabolum & regnum eius conculcare poſſimus & leonem & draconem.*Hæc *enim dicit dominus,quoniam in me ſperauit liberabo eum, protegam eum, quoniam cognouit nomen meum.* Inuocauit *me,ego exaudiam eum.*Cum *ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eū.* Longitudine *dierum adimplebo eum,& oſtendam illi ſalutare meum.*Ipſi *gloria in ſecula ſeculorum* Amen.

Pſalmus *cantici in die ſabbati.* XCI.

BOnum *eſt confiteri domino, & pſallere nomini tuo altiſſime.* Ad *annunciandū mane miſericordiam*

diam tuam, & ueritatem tuam per noctem. In deca=chordo pſalterio, cum cantico in cithara. Quia dele ctaſti me domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum meditabor. Quoniam magnificata ſunt ope=ra tua domine, nimis profundæ factæ ſunt cogitationes tuæ. Vir inſipiens non cognoſcet, & ſtultus non intel liget hæc. Cum exorti fuerint peccatores ſicut fœnũ, & apparuerint omnes qui operantur iniquitatem.

Vt intereant in ſeculum ſeculi, tu autem altißimus in æternum domine. Quoniam ecce inimici tui domine, quoniam ecce inimici tui peribunt, & diſpergentur om nes qui operantur iniquitatem. Et exaltabitur ſicut uni=cornis cornu meum & ſenectus mea in miſericordia u=beri. Et deſpexit oculus meus inimicos tuos, & ab inſur gentibus in me malignantibus audiet auris mea. Iuſtus ut palma florebit, ſicut cedrus libani multiplicabitur. Plantati in domo domini, in atrijs domus dei noſtri flore bunt. Adhuc multiplicabuntur in ſenecta uberi, et be ne patientes erunt ut annuncient. Quoniam rectus dominus deus noſter, & non eſt iniquitas in eo.

COMMENTARIVM.

Die ſabbato inimici domini pereunt, ut die domi=nica amici domini gratulentur. Sabbato enim ia cet Dominus in ſepulchro mortuus, & die domi nica adoratur inter angelos uiuus. In hac re nimis pro=fundæ factæ ſunt cogitationes eius, quas uir inſipiens non cognoſcit, & ſtultus non intelligit ea. Nobis autem bo=num eſt, ſi confiteamur peccata noſtra cotidie, & pſal=lamus nomini eius altißimo, ſi annunciemus mane, à te=

nebris peccatorum exuti, miſericordiam eius, & dum uenerit nobis nox quæſtionum, nequaquàm ad libitum, quæ neſcimus, uſurpando loquamur. De deo enim loqui *etiam uera, quia periculoſum eſt, timeamus.* Ea ergo quæ *lucida ſunt in ſcripturis ſanctis, præiudicium ab obſcuris locis pati non debent, utpote proferamus aliquid breuiter, ex quo uniuerſa noſcantur.* Habes in lucido *poſitum, non eſſe perſonarum acceptionem apud deum, hoc* Petrus, *hoc* Paulus, *hoc omnes euangeliſtæ teſtantur.* Quod *ſi non dicerent, tam lucida definitio eſt, ut illis eam tacentibus crederemus.* Quid nunc? *Contra hanc in obſcuro naſcitur quæſtio.* Iacob dilexi, Eſau aũt odio *habui.* Et *cui uult miſeretur, & quem uult indurat, & multa ſimilia.* In *his poſitus in nocte deueniſti.* Non *potes luci diei noctis huius caliginem tradere, & diei medio uim tenebrarum inferre.* Si *eſt tibi ſermo, annuncia ueritatem in nocte, ſin aliâs, ſit digitus tuus ſuper os tuum.* Si *enim mille tales quæſtiones inuenias, nũquàm probabis domini per electionem perſonæ unum uelle, recuſare alium.* Aliud *eſt, ſi doceas* Eſau *bonum fuiſſe in operibus ſuis, & inique odio habitum.* Aut Iacob *malorum operum reum iniuſte delectum.* Sed *rumpamus moras alieni operis, & in decem chordarum pſalterio delectet nos* Dominus *in factura ſua, & in operibus manuum eius, quas expandit in cruce, in his inquam operibus exultemus.* Ibi *enim magnificata ſunt opera eius, quæ uir inſipiens nõ cognouit.* Populus *incredulus* Iudæorum, *qui ſicut fœnum exorti, parauerunt operantes iniquitatem, ut intereant in ſeculum ſeculi.* Atque Domino *in æternum*

num manente, ij peribunt & diſpergentur ſuper uniuerſam faciem terræ omnes Iudæi operantes iniquitatem. Chriſtus autem ut palma floret, plantatus in domum ſuam, in atrijs domus Dei noſtri florebit, & multiplicabitur in ſenecta uberi. Hic ſenecta non ipſius, ſed ſeculi ſenectam commemorat, quia ſecula finiuntur, et ſenectute deficiunt. Dominus autem in æternum permanet. Nec hoc accipias ingrate, quod palmæ florenti comparauerit eum, quia comparatus minus eſt ab eo cui comparatur. Non palma florens ipſe eſt, & comparatio Chriſti diuinitatis comparatur ipſi palmæ ſemper florenti, qui ad dexteram patris ſedens, uictoribus ramos ſuos porrigit, de floribus ſuis coronam tribuens, & de fructibus perpetua refectione ſaginam impertiens. Ipſi gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

Laus cantici Dauid in die ante ſabbatum quando fundata eſt terra.

XCII.

Dominus regnauit decorem indutus eſt, indutus eſt Dominus fortitudinem & præcinxit ſe. Etenim firmauit orbem terræ qui non commouebitur. Parata ſedes tua ex tunc, à ſeculo tu es. Eleuauerunt flumina Domine eleuauerunt flumina uocem ſuam, eleuauerunt flumina fluctus ſuos, à uocibus aquarum multarum. Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis dominus. Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis, domum tuam decet ſanctitudo domine in longitudine dierum.

COMMENTARIVM.

DOminus regnauit, id eſt, regnum adſumpſit in cruce. Decorem induit in reſurrectione. Induit enim infirmitatem in uirtute, & præcinxit ſe æternitatem, & firmam fecit terram in reſurrectione ſua. Et paratam ſedem habens, aſcendit in cœlum ſedens ad dexteram patris. Hunc præconata ſunt flumina ſcripturarum ſanctarum, ſuper hunc eleuauerunt uoces ſuas, à uocibus aquarum multarum, id eſt, gentium potentius clamantes. Omnes enim ſcripturæ gentium, uoces habẽt: uirtutes habent, iſtæ ſcripturæ regibus imperant, illi deſeruiunt. Ergo cum eleuarent flumina uoces ſuas, mirabilis factus eſt Chriſtus elationi maris, id eſt, mundi huius regibus & ſublimibus, nec his tantũ, ſed & mirabilis in excelſis, dominus cœlos aſcendens, tunc teſtimonia dei credibilia facta ſunt nimis. Dedit enim poteſtatem, ut in nomine eius ſanitates generi humano operarentur. Qui cum dei filium prædicabant, & ijs iſta ſigna facientibus, teſtimonia eius facta ſunt nimis credibilia, & domum eius quam Phariſæi dicebant non poſſe ſuſcipere ſancta præcepta, legis ueteris teſtamenta ſuſcepit. Et decent ea ſancta ſanctorum, ut ibi habitent in ſecula ſeculorum, Amen.

Pſalmus Dauid quarta ſabbati. XCIII.

DEus ultionum dominus Deus ultionum libere egit. Exaltare qui iudicas terram, redde retributionem ſuperbis. Vſquequo peccatores domine, uſq; quo peccatores gloriabuntur. Effabuntur & loquentur iniquitatem, loquentur omnes qui operan tur

tur iniuſticiam. Populum tuum domine humiliauerũt, & hæreditatem tuam uexauerunt. Viduam & aduenãm interfecerunt, & pupillos occiderunt. Et dixerunt non uidebit dominus, nec intelliget deus Iacob. Intelligite inſipientes in populo, & ſtulti aliquando ſapite. Qui plantauit aurem non audiet, aut qui finxit oculum non conſiderat. Qui corripit gentes non arguet, qui docet hominem ſcientiam, Dominus ſcit cogitationes hominum, quoniam uanæ ſunt. Beatus homo quem tu erudieris domine, & de lege tua docueris eum. Vt mitiges ei à diebus malis, donec fodiatur peccatori fouea. Quia non repellet dominus plebem ſuam, et hæreditatem ſuam non derelinquet. Quoadusque iuſticia conuertatur in iudicium, & qui iuxta illam omnes qui recto ſunt corde. Quis conſurget mihi aduerſus malignantes, aut quis ſtabit mecum aduerſus operantes iniquitatem. Niſi quia dominus adiuuit me, paulo minus habitaſſet in inferno anima mea. Si dicebam motus eſt pes meus, miſericordia tua Domine adiuuabat me. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Nunquid adhæret tibi ſedes iniquitatis qui fingis laborem in præcepto. Captabant in animam iuſti, & ſanguinem innocentem condemnabunt. Et factus eſt mihi Dominus in refugium, & deus meus in adiutorium ſpei meæ. Et reddet illis iniquitatem ipſorum, & in malicia eorum diſperdet eos, diſperdet illos Dominus deus noſter.

COM-

COMMENTARIVM.

DEus uindex eſſe populi ſui iudicibus canit, quibus leue uidetur perſonas peccantium ſumere, in iudicio orphanis & egenis, ab ijs autem qui exaltant Dominum in cordibus ſuis, & iudicant terram in corporibus ſuis, ij reddunt retributionẽ ſuperbis. Applicare poſſumus teſtimonium Apoſtoli, quo ait: Si nos ipſos iudicaremus, non utiq; iudicaremur. Iudicamus autem noſipſos, quando finem uicijs ponimus, & principium uirtutibus collocamus. Quod ſi non faciemus, populum dei, id eſt, uirtutẽ humiliamus, & hæreditatem eius, quæ nobis promittitur, ſpernimus, Viduam & aduenã occidentes. Vidua eſt anima, quæ nõ habet uirum, uerbũ aut intellectum prudentiæ. Hanc ſi aut uerbo tuo aut exemplo decipias, quam liberare debueras, uiduam interficis. Aduena eſt, qui ciuis eſſe ſanctorum non nouit. Huic ſi te amatorem mundi oſtendas, tollis ei fidem futuræ ciuitatis, & quaſi interfeceris eum ſpiritaliter, à præſenti pſalmo argueris. Sic etiam orphani occiduntur. Orphani ſunt, qui deum ſe poſſe patrem habere ſancte uiuendo nõ credũt. Hic tu ſapis, et noſti filios dei fieri poſſe credẽtes, ſi exemplum contrariũ præbeas, quo ſe filios dei fieri contemnant, orphanos occidiſti. Nam ſi de his orphanis & de aduenis & uiduabus agit, ergo qui coniuges, aut ciues, aut habentes patrem & matrem filios occiderit, criminis reatũ euadit. Aut ſi taceret pſalmigraphus, quis unquàm de hoc facto non argueret criminoſos? Verum quia hæc agentes nos ipſi qui putamus nos ſapere, ſic nobis uidetur, quod has minucias ruinarum quæ per nos

uos fiunt non requirat dominus & nõ intelligat, iſta quæ nos intelligere nolumus: clamatur nobis, intelligite qui inſipientes eſtis: id eſt, uos qui deſipuiſtis in populo poſiti, dum unus alterius ſectamini exempla ad contemptum domini: et ſtulti, aliquando ſapite. quibus imperatur & dicitur ſapite: oſtenduntur ſuo arbitrio non ſapere. dicũt enim: Modo deo hinc erit curæ, ut audiat ſingula uerba noſtra, & uideat ſingula quæq; facta noſtra. Ad hæc reſpondetur eis. Ergo qui auditum dedit tibi, ipſe nõ audit: qui tibi uiſum tribuit, ipſe non reſpicit: qui tibi ſcientiæ ſaporem infudit, ipſe non ſapit. Ille totus ſapiẽtia eſt, & uidet cogitationes hominum, qui ſibi ſapere uidentur, quoniam ipſæ cogitationes eorum uanæ ſunt. Beatus homo eſt quem hoc ipſum erudierit dominus non eligendo negligentem, ſed legem ſuam docendo credentem. Hic mitigabitur in diebus malis, quando dæmones parant peccantibus foueas, tunc nõ repellet dominus plebem ſuã, id eſt, de ſuo auxilio præſumentem, & hæreditatem ſuã non derelinquet, ſed protegit à tentationibus eos, dans eis tolerantiam per promiſſam hæreditatem uitæ æternæ. Et facit eos expectare retributionẽ, quoadusque iuſtitiã conuertat in iudicio, et qui tenent eam, id eſt, ipſam iuſticiam omnes qui recto ſunt corde. Verũ quia maligna conſilia mentibus miniſtrantes inſiſtunt, contra quos animo ſatis eſt arguit pugnãdum, qui nouit per ſingulas quaſque ſuggeſtiones acriter dimicandum clamat: Quis exurget mecum pugnans aduerſum operantes iniquitatem? Quæſo te agoniſta fortiſſime indica mihi, quo ordine hoſtium impetus euaſiſti. Ad hæc audi reſpõſum. Fort. Non

Niſi

Niſi, ait, dominus adiuuaſſet me, modico minus habitaſ=ſet in inferno anima mea. Si dicebam cum lachrymis do=mino, quia motus eſt pes meus, & à recti tenore auerſus, ſtatim tantum & amplius miſericordia eius adiuuauit me, quantam multitudinem dolorum eſſe uidebat in cor de meo, & conſolationibus ſuis lætificauit animam me=am. Dicas *forte ô auditor, grandis hic labor eſt. Sed la=bor iſte temporalis eſt, & præmium laboris æternum, non adhæret deo ſedes iniquitatis.* Qui *enim format fati gationem aut laborem, aut dolorē in præcepto, ſiue pro labore certaminis, ſeu, pro labore martyrij, æterni gau=dij præmium non negauit.* Dum *enim captauerint pecca tores animā iuſti confitentis deum, & ſanguinem eius in nocentem condemnauerint, tunc efficitur ei dominus in refugium, &* Deus *erit in auxilio ſpei eius, ita ut reddat eis iniquitates ipſorum, & in malicia diſperdat perſecu tores eorum, qui regnat in ſecula ſeculorum,* Amen.

Laus cantici ipſi Dauid. XCIIII.

V*Enite exultemus domino, iubilemus deo ſaluta=ri noſtro. Præoccupemus faciem eius in con feßione, & in pſalmis iubilemus ei.* Quoni=*am deus magnus dominus, & rex magnus ſuper omnes deos, quoniā non repellet dominus plebem ſuam.* Quia *in manu eius ſunt omnes fines terræ, & altitudines mon tium ipſius ſunt.* Quoniam *ipſius eſt mare & ipſe fe=cit illud, & ſiccam manus eius formauerunt.* Venite *adoremus & procidamus & ploremus ante dominum qui fecit nos, quia ipſe eſt dominus deus noſter.* Et *nos po pulus paſcuæ eius, & oues manus eius.* Hodie *ſi uocem eius*

eius audieritis, nolite obdurare corda ueſtra. Sicut in iritatione ſecundum diem tentationis in deſerto, ubi tentauerunt me patres ueſtri, probauerunt & uiderunt opera mea. Quadraginta annis offenſus fui generationi illi, & dixi ſemper errant corde. Et iſti non cognouerunt uias meas, ut iuraui in ira mea ſi introibunt requiem meam.

COMMENTARIVM.

Laus cantici hæc eſt, ut exultemus nō in delectationibus uanis, ſed in domino: antequam præoccupemur, nos præoccupemus faciem eius in confeßione peccatorum noſtrorum, credentes quod non repellet plebem ſuam confitentem ſibi, ille qui magnus eſt ſuper omnia, cuius cœli ſunt, cuius montes, qui terrā manibus ſuis fundauit. Venite hunc adoremus, non in forma ſerui eum attendentes, putemus eum hominem purum. In ipſo eſt, qui hæc omnia fecit. Venite adoremus dominū, ploremus quia pius eſt, ipſe eſt qui fecit nos. Ipſe eſt paſtor, cuius nos oues ſumus. Audiamus uocem eius, & ſequamur eum quocunq; uadit. Ideo enim paſtor uocem ad oues emittit, ut audientes eum ſequantur. Aut enim paſcua procurauit, aut ab inſidijs ferarū eruere ſtudet. Vnde clamatur nobis hodie, ut ſi uocē eius audierimus, non obduremus corda noſtra, ſicut fecerunt per quadraginta annos filij Iſrael in eremo. Et quia nō audierunt uocem eius, nō introierunt in requiē eius. Nos autem audiamus paſtorē noſtrum, & ſequamur ueſtigia eius, ut euadentes mortē deſerti huius, cum Ieſu terram fluentē lacte & melle mereamur intrare, ipſi gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

Pſalmus Dauid quando dominus ædificabatur poſt captiuitatem. XCV.

CAntate domino canticum nouum, cantate domino omnis terra. Cantate domino & benedicite nomini eius, annunciate de die in diem ſalutare eius. Annunciate inter gentes gloriam eius, in omnibus populis mirabilia eius. Quoniam magnus dominus, & laudabilis nimis, terribilis eſt ſuper omnes deos. Quoniam omnes dij gentium dæmonia, dominus aũt cœlos fecit. Confeſſio & pulchritudo in cõſpectu eius, ſanctimonia & magnificentia in ſanctificatione eius. Afferte Domino patriæ gentium, afferte domino gloriã & honorem, afferte domino gloriam nomini eius. Tollite hoſtias & introite in atria eius, adorate dominum in atrio ſancto eius. Cõmoueatur à facie eius uniuerſa terra, dicite in gentibus quia dominus regnauit. Etenim correxit orbẽ terræ, qui non cõmouebitur, iudicabit populos in æquitate. Lætentur cœli & exultet terra, commoueatur mare & plenitudo eius, gaudebunt campi & omnia quæ in eis ſunt. Tunc exultabunt omnia ligna ſiluarum à facie domini quia uenit, quoniam uenit iudicare terram. Iudicabit orbem terræ in æquitate, & populos in ueritate ſua.

COMMENTARIVM.

QVi plorauimus pœnitentes in nonageſimoquarto, in quinto & nonageſimo gratulemur. Ibi enim domum noſtram fleuimus, credentes nos per miſericordiam eius ad ædificationem huius domus iterum poſſe pertingere. Vnde & titulus ad hæc eadem conſen=

conſentit qui poſt captiuitatem ipſam domum ædificari conſcripſit, quam ædificans Chriſtus, dat gaudium omni terræ, & ideo dicitur, ut cantet domino omnis terra canticum nouum & benedicat nomen eius. Habuit enim captiuitatem mundus per Adam, quam captiuitatē poſtquàm Chriſtus conuertit, ædificauit domum glorioſiſſimam non habentem maculam neq; rugam, quo ædificante domum, templa uniuerſa deſtructa ſunt. Probatū eſt enim quod omnes dij gētium qui in templis poſiti eſſent, habitarent in eis dæmonia. Hic autem qui fabricauit domum, ipſe eſt qui cœlos fecit, confeſſione eius naſcitur omnis, qui non confitetur dominum Ieſum, anathemabili fœditate deſpicitur. Qui autem confitentur fulgebunt ſicut ſol in conſpectu dei. Sanctitas enim et magnificentia eſt in ipſa ſancta confeſſione eius. Vniuerſæ ergo patriæ gentium inuitamini, uenite, afferte domino, quid afferemus domino, Afferte gloriam quam incaſſum idolis præbuiſtis. Afferte honorem, quo fruſtra idolorum antiſtites honoraſtis. Tollite hoſtias ab idolis, & hic introite in domum quam ædificauit, & adorate eum in aula ſancta eius, & gens genti dicat. Quia unus dominus regnat à ligno crucis, quia per lignum concupiſcentiæ regnum dei ab hominibus receſſerat, modo per lignum crucis regnū reuerſum eſt dei, qui firmauit eam in orbem terræ, ut nō cōmoueatur. In qua eccleſia iudicat populos in æquitate, & gentes in ira ſua. Pro hoc opere lætantur cœli in ſanctis, lætatur & terra in nobis peccatoribus. Ad hoc gaudium mouetur mare, uulgus ignobile & fluctuans, & plenitudo eius, id eſt, diuites pleni opibus, hij commo

uentur ridentes humiles Chriſti, & pſalmos eius, & doctrinam eius frigidas nænias computãtes. Ligna uero *ſiluarum qui lignæi & ſilueſtres uidentur mundi ſapientibus, tunc exultabunt ante faciem domini, cum uenerit iudicare terrenos.* Non enim *iudicat, ut perſonas potentiũ accipiat, ſed ſola æquitate totum orbem terrarum iudicat, & populos in ueritate confirmat per omnia ſecula ſeculorum,* Amen.

Pſalmus ipſi Dauid *quando terra eius reſtituta eſt ei.* XCVI.

D*ominus regnauit exultet terra, lætentur inſulæ multæ.* Nubes *& caligo in circuitu eius, iuſticia & iudiciũ correctio ſedis eius.* Ignis *ante ipſum præcedet, & inflãmabit in circuitu inimicos eius.* Alluxerunt *fulgura eius orbi terræ, uidit & cõmota eſt terra.* Montes *ſicut cera fluxerunt à facie domini, à facie domini omnis terra.* Annunciauerunt *cœli iuſticiã eius, & uiderunt omnes populi gloriã eius.* Confundantur *omnes qui adorant ſculptilia, & qui gloriantur in ſimulacris ſuis.* Adorate *eum omnes angeli eius, audiuit & lætata eſt Sion.* Et *exultauerunt filiæ Iudæ propter iudicia tua domine.* Quoniam *tu dominus altißimus ſuper omnem terram, nimis exaltatus es ſuper omnes deos.* Qui *diligitis dominum odite malum, cuſtodit dominus animas ſanctorum ſuorum, de manu peccatorum liberabit eos.* Lux *orta eſt iuſto, & rectis corde lætitia.* Letamini *iuſti in domino, & confitemini memoriæ ſanctificationis eius.*

COM-

COMMENTARIVM.

SEcurus cantas in nonageſimo ſexto, qui in nonagẽſimo quinto dominum cognouiſti. In hoc enim pſalmo, & terra exultat de reſurrectione ſanctorum, & inſulæ non omnes, ſed in quibus habitant ſancti. Ecce enim ueniet ſicut promiſit in anteriore pſalmo, uenit ut iudicet, & nubes & caligo in circuitu eius, iuſticia & iudicium directio ſedis eius, Ignis ante eum præcedit, ignis duo officia peracturus. Vno enim eodemq; aſpectu amicos dei illuminat, & inflãmat inimicos eius. Quando apparuerint fulgura eius orbi terræ, tunc montes ſicut cera liqueſcent ante faciem eius, & à facie domini tremẽt terra, omnibusq; rebus metuentibus ac formidantibus atque trementibus confundentur omnes qui adorant idola, cum uiderint omnes in reſurrectione gloriam domini Ieſu Chriſti: tunc ſola lætabitur Sion, id eſt, eccleſia. Exultabunt & filiæ Iudæ, id eſt, ſynagogæ omnes, quæ ante aduentum domini prophetas habuerunt, aduentum domini præconantes. Propter iudicia domini iuſta, præiudicium poſterioris temporis non habebunt. Quoniam idem dominus nunc, qui tunc ante aduentum Domini in ſynagogis Illuxit, ipſe eſt ſolus ſuper omnes deos. Quicunq; ergo bonum domini diligitis, odite omne quod malum eſt. In odio enim mali, boni delectio comprobatur. Sed & ſiqui uos pro amore boni fuerint perſecuti, ſecuri eſtote. nolite timere eos qui occidunt corpus. Cuſtodit enim dominus animas ſanctorũ ſuorum, & de manu peccatorum liberat eas. Ignis enim qui inflammaturus eſt delinquentes, lux efficitur iuſtis et rectis corde lætitia. No

t 3 litẽ

lite ergo metu pœnæ ſed amoris gaudio ſeruare iuſticiã, ut etiam in hoc mundo iam gaudeatis in domino, & confitemini memoriæ ſanctitatis eius qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Pſalmus David. XCVII.

C*Antate domino canticum nouum, quia mirabilia fecit. Saluabit ſibi dexteram eius & brachium ſanctum eius.* Notum fecit dominus ſalutare ſuum, in conſpectu gentium reuelauit iuſticiam ſuam. Recordatus eſt miſericordiæ ſuæ: & ueritatis ſuæ domui Iſrael. Viderunt omnes termini terræ ſalutare dei noſtri. Iubilate deo omnis terra, cantate & exultate & pſallite. Pſallite domino in cythara, in cythara & uoce pſalmi, in tubis ductilibus et uoce tubæ corneæ. Iubilate in cõſpectu regis domini, moueatur mare et plenitudo eius, orbis terrarum & qui habitant in eo. Flumina plaudent manu, ſimul montes exultabunt à conſpectu domini, quoniam uenit iudicare terram. Iudicabit orbem terrarum in iuſticia & populos in æquitate.*

COMMENTARIVM.

C*Auſas cãtici præſentis ipſe pſalm. exponit. Dicit ènim, ideo nouũ canticum ut cantetis exhortor, quia mirabilia fecit. et ſicut dixit, ideo cãtate quia mirabilia fecit, quaſi ſi audiſſet ſibi dici: ſemper mirabilia fecit dominus, nõ ergo nouũ ſed uetus eſt cãticũ mirabilia diuina cantare: ad hæc ille reſpõdeat, noua mirabilia nouum carmẽ expoſcunt. dic ergo nouũ nobis, quæ ſunt noua mirabilia? ſi interrogas audi. Dixerũt Iudæi in cruce poſito domino, ſaluũ faciat eũ: hunc aũt ſaluauit dextera*

eius,

eius,et brachiũ ſanctũ eius tũc quãdo notũ fecit dominus ſaluatorẽ ſuũ,ſuſcitans eũ à mortuis, et in cõſpectu genti um reuelauit iuſticiam ſuã. Memor.n.*fuit miſericordiæ, quã promiſit* Iacob,*dicẽs:*Et *ego te faciã in gentẽ magnã.* Hanc *ueritatẽ impleuit domui* Iſrael, *quãdo uiderũt om nes fines terræ ſalutare domini dei* Iſrael.Et *licet oẽs pro uinciæ uideãt ſalutare domini,tamẽ hoc non ocioſe tran ſeat intuentẽ, quod ſinẽ terrenæ cogitatiões dum accepe rint,naſcũtur cogitationes cœleſtiũ rerũ.*Et *ipſæ faciũt ui deri ſalutare domini dei noſtri.* In *hoc ſtudio iubilate do mino uniuerſa terra. i. omnia mẽbra corporis terreni in officio ſanctæ cõuerſationis offerte.* Nõ *cum triſticia,ſed cantantes exultate, & pſallite in cythara, cuius cantor inuitat auditum, & in uoce pſalmi, cuius myſteria inci tant mentes, in tubis ductilibus & in uoce tubæ corneæ, quibus uocibus belli uictoria declaratur.* Iubilate *in con ſpectu regis domini,conſpectum domini præconantes ſe culis.*Nolite *timere, etiam ſi moueatur mundus ſicut ma re & plenitudo eius & orbis terræ, & omnia quæ in eis ſunt.*Tunc *flumina plaudant manu ſimul in unum, quo niam nullum penè flumẽ eſt in quo nõ data ſunt remiſſa peccatorum, nulla aqua eſt, quæ non protulit ex ſe ani mam uiuentem ad uitam æternam .* In *quo facto montes exultabunt,ex quorũ uiſceribus egrediũtur fontes qui fa ciũt flumina,montes quorũ capita cœlos pulſant,quorũ habitatores cœlo uicini ſunt.*Hij *exultabũt cũ uenerit iu dex,ut iudicet orbẽ terræ in æquitate,& populos in ue ritate.*Omnes *ſancti exultabũt,quia remunerator ſancti tatis aduenit, qui regnat in ſecula ſeculorum,* Amen.

Pſalmus Dauid. XCVIII.

DOminus regnauit iraſcantur populi, qui ſedes ſuper cherubin moueatur terra. Dominus in Sion magnus & excelſus ſuper omnes populos. Confiteantur nomini tuo magno, quoniam terribile & ſanctū eſt, & honor regis iudicium diligit. Tu paraſti directiones, iudicium, & iuſtitiam in Iacob tu feciſti. Exaltate dominum deum noſtrum, & adorate ſcabellum pedum eius quoniā ſanctum eſt. Moyſes & Aaron in ſacerdotibus eius, & Samuel inter eos qui inuocant nomen eius. Inuocabant dominum & ipſe exaudiebat eos, in columna nubis loquebatur ad eos. Cuſtodiebant teſtimonia eius, & præceptum quod dedit illis. Domine deus noſter, tu exaudiebas eos, deus tu propicius fuiſti eis, & ulciſcens in omnes adinuentiones eorum. Exaltate dominū deum noſtrum, & adorate in monte ſancto eius quoniam ſanctus dominus deus noſter.

COMMENTARIVM.

IRaſcantur populi, & in elatione dominum noſtrum Ieſum Chriſtum aſpiciant. Ipſe regnauit quem regnare ſuper ſe non putant. Ipſe ſedet ſuper cherubin, quantumcunq; moueatur terra. Ipſe erit in Sion magnus, ipſe excelſus ſuper omnes populos. Sanè hoc ſcire nos conuenit, quod honor regis iudicium diligit: non enim timent iudicium, niſi qui ſe ſciunt habere, quod iure puniatur, factum ſcilicet quo exhonoratus eſt Deus. Hij autem qui honorem Domini in ſuis mentibus ſeruauerunt, hij iudicium diligunt: ſicut illi è contrario metuunt, qui ſciunt ſe in contumeliam regis, legis eius iura uiolaſſe.

in quibus rex iſte parauit æquitatem. Ergo æquitatem cu ſtodientes regem honorant, & honor iſte iudicium non timet, quin imo etiam diligit. Ipſe tamen iudicaturus eſt, qui iuſtitiam & iudicium in Iacob fecit, qui habuit Moy ſen & Aaron in ſacerdotibus ſuis, qui habuit Samuelem ſimilē ipſis. Ipſum quē iſti inuocauerunt et exauditi ſunt, cum in columna nubis loquebatur ad eos. Hij cuſtodie bant teſtimonia eius & præcepta quæ dedit eis. Quicun que ergo imitantur eos, hi iudicium futurum non ſolum non metuunt, ſed etiam diligunt. Dicamus ergo domino noſtro Ieſu Chriſto: Tu es domine qui cum Moyſe & cū Aaron locutus es, tu exaudiſti eos, tu propicius fuiſti illis, tu uindicaſti in omnibus ſtudijs eorum. Exaltemus ergo dominum deum noſtrum in Chriſto. Et adoremus in mon te ſancto eius, in celſitudine fidei eius, quæ altitudine ſua nubes penetrat, dum credimus quoniā ipſe eſt dominus deus noſter, cui gloria in ſecula ſeculorum Amen.

Pſalmus in confeßione. XCIX.

IVbilate deo omnis terra, ſeruite domino in lætícia. Introite in conſpectu eius in exultatione. Scitote quoniam dominus ipſe eſt deus, ipſe fecit nos & non ipſi nos. Populus eius & oues paſcuæ eius introite por tas eius, in confeßione atria eius, in hymnis confitemini illi. Laudate nomen eius quoniam ſuauis eſt dominus, in æternum miſericordia eius, & uſq; in generationem & generationem ueritas eius.

COMMENTARIVM.

OMnis terra ad iubilationē inuitatur, ut ſine per ſonarum acceptione ſciatur eſſe uocatio. Venite

omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & intrate in conſpectu eius in exultatione. Scitote quod dominus Ieſus Chriſtus, non eſt alius quàm qui cum Moyſe locutus eſt: Ipſe eſt deus q fecit nos, de quo Moyſes locutus eſt, quod fecerit hominem, ipſe fecit nos, eius enim factura ſumus omnes homines. Deniq; multi cupientes filios, quia deus non dat non habent: Multi nolentes, quia ſeminantes nolunt fructum, eo quod cõtra ordinem nolunt, etiam quia iniuſte nolunt, deus iuſte creaturam iubet ſemini dare reſponſum: & ut probetur, quia ipſe fecit nos, dum non noſtro arbitrio, uel dantur filij, uel negãtur. Ergo quia eius populus ſumus, efficiamur oues paſcuæ eius agnoſcentes paſtorem dicentem, Ego ſum paſtor bonus. Et intremus portas eius in confeßione unitatis: laudantes nomen ſanctum eius, quia ſuauis eſt: credentes, quia eſt in æternum miſericordia eius, Credẽtibus & promißionibus eius ueritas, quæ manet in ſecula ſeculorum Amen.

Pſalmus ipſi Dauid. C.

MIſericordiam & iudiciũ cantabo tibi domine. Pſallam & intelligã in uia immaculata quoniã uenies ad me. Perambulabã in innocentia cordis mei, in medio domus meæ. Non proponebã ante oculos meos rem iniuſtã, facientes præuaricationes odiui. Non adhæſit mihi cor prauũ, declinantẽ à me malignũ non cognoſcebam. Detrahentem ſecreto proximo ſuo, hũc perſequebar. Superbo oculo et inſatiabili corde, cũ hoc nõ edebã. Oculi mei ad fideles terræ ut ſedeat mecũ, ambulãs in uia immaculata hic mihi miniſtrabat. Non habitabit in medio domus meæ q facit ſuperbiã, q loquitur

tur iniqua nõ direxit in conſpectu oculorum meorũ. In matutino interficiebã omnes peccatores terræ,ut diſperderem de ciuitate domini omnes operantes iniquitatem.

COMMENTARIVM.

IVdicium ſine miſericordia hijs qui non faciunt miſericordiam, miſericordiam autem facientes euadũt iudicium. Scis ergo ò homo, unde ponaris in dexteram paſtoris? Fac miſericordiam & iudiciũ ſecurus expectas. Non enim dicit iniuſtis ad ſiniſtram poſitis: Ite in ignem æternum,quia mẽtiti, quia fornicati,quia diuerſa facinora commiſiſtis. Sed quia eſuriui,& nõ dediſtis mihi manducare,ſitiui & non potaſtis me,peregrinus & non ſuſcepiſtis me,infirmus & non uiſitaſtis me. Cum ergo ignis criminibus debeatur, cur criminibus non imputetur ſupplicium,quo crimina per miſericordiam remittãtur: Ite ergo,inquit,in ignem æternum,quia unde ignis extinguitur contempſiſtis. Audiſtis enim ſcriptum,quod eleemoſyna à peccato liberat. Audiſtis quia ſicut ignis extinguitur ab aqua,ita ab eleemoſyna tollũtur uniuerſa peccata. Ite ergo in ignem, quia uiuere eum uobis uos feciſtis. Ego autem miſericordiam uobis ſuper faciem terræ, cum iudicio feci cantari,ut ille iudicium euaderet,qui miſericordiam non negaret. Pſallam ergo & intelligam in uia immaculata, & intelligã quando uenies ad me, ut ſi hoſpitẽ te uidero, ſuſcipiam, ſi eſurientẽ,reficiam. Intelligam quando uenies, ne putem qualemcunq; hominẽ,& recuſem. Si enim perambulem in innocentia cordis mei, non proponto ante oculos meos rem iniuſtam, Iniuſtũ eſt enim ut conſorti naturæ non miſerear, in quo inhabitas

Chriſte.

Chriſte. Sed & faciẽtes preuaricationem odio habeam, non adhæreat mihi cor prauum. Declinantes à me mali gnos non cognoſcam, loquaces occultos perſequar, cum ſuperbis & inuidis non communicem. Sed ſint oculi mei ſuper fideles terræ, qui terram corporis ſui fideliter ſeruant, ut iſti ſedeãt mecum. Ambulans autem in uia immaculata hic mihi miniſter. Non quæram ab his aliquid conſequi qui reprehenſibiliter uiuũt in domo mea. Non inhabitet ſuperbiam faciens, id eſt, in domo corporis mei non habitet inimicus, qui ſuadet cõtemni dominũ. Quia hæc eſt radix ſuperbiæ. Sed in matutinis interficiam omnes peccatores terræ, id eſt, in ipſo ortu ſuo peccata oriẽtia interficiam, & uiuere non ſinam cum pereant de ciuitate domini. Ciuitas domini anima noſtra eſt, in qua habitat rex et ſancti, apices ciues dei, qui ex ipſo nati. Cum ergo naſcuntur peccatorum cogitationes in anima, mox ut natæ fuerint occidantur. Et pereãt de ciuitate domini omnes qui operantur iniquitatem, ut ſit dominus in ciuitate ſua requieſcens, cum omni comitatu uirtutum, cui gloria in ſecula ſeculorum Amen.

Oratio pauperis cum anxiaretur, & coram domino effudit precem ſuam. CI.

D*Omine exaudi orationẽ meam, & clamor meus ad te ueniat. Non auertas faciem tuam à me, in quacunq; die tribulor inclina ad me aurem tuã. In quacunq; die inuocauero te uelociter exaudi me. Quia defecerunt ſicut fumus dies mei, & oſſa mea ſicut cremium aruerunt. Percuſſus ſum ut fœnum & aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meũ.*

A uoce

A uoce gemitus mei adhæſit os meum carni meæ. Similis factus ſum pellicano ſolitudinis, factus ſum ſicut nycticorax in domicilio. Vigilaui & factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto. Tota die exprobrabant mihi inimici mei, & qui laudabant me aduerſum me iurabant. Quia cinerem tanquam panem manducabam, & poculum meum cum fletu miſcebam. A facie iræ indignationis tuæ, quia eleuans alliſiſti me. Dies mei ſicut umbra declinauerunt, & ego ſicut fœnū arui. Tu autem domine in æternum permanes, & memoriale tuum in generatione & generationē. Tu exurgens miſereberis Syon, quia tempus miſerendi eius quia uenit tempus. Quoniam placuerunt ſeruis tuis lapides eius, & terræ eius miſerebuntur. Et timebunt gentes nomen tuū domine, & omnes reges terræ gloriam tuam. Quia ædificauit dominus Syon, & uidebitur in gloria ſua. Reſpexit in orationem humilium, & non ſpreuit preces eorum. Scribantur hæc in generatione altera, & populus qui creabitur laudabit dominum. Quia proſpexit de excelſo ſuo, dominus de cœlo in terram aſpexit. Vt audiret gemitus compeditorum, ut ſolueret filios interemptorum. Vt annuncient in Syon nomen domini, et laudem eius in Hieruſalem. In conueniendo populos in unum, & reges ut ſeruiant domino. Reſpondit ei in uia uirtutis ſuæ, paucitatem dierum meorum nuncia mihi. Ne reuoces me in dimidio dierum meorū, in generatione & generationem anni tui. Initio tu domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cœli. Ipſi peribunt tu autem permanes, & omnes ſicut ueſtimentum

mentum ueteraſcent. Et ſicut opertorium mutabis eo & mutabuntur, tu autē idem ipſe es, & anni tui non deficient. Filij ſeruorum habitabunt, & ſemen eorum in ſeculum dirigetur.

COMMENTARIVM.

Legimus clamorem Sodomorum aſcēdiſſe ad deū, et ita demū ſulphureo eos imbre crematos. Prius ergo quàm ad fletum & ad ieiunium pro peccatis noſtris animum conuertamus, non audeamus dicere, Clamor meus ad te perueniat. Ne forte non ſit talis clamor, qui miſericordiā conſequatur. Ne forte ſit in eo ira, cauſatio, maledictio, adulatio, detractio, inſultatio, mēdacium, & cætera his factis ſimilia. His ergo uicijs peßimis noſtro clamore ſonāte, rogandus eſt deus, ne clamor hic ad eum perueniat. Sed te, in aliquibus factis nefarijs conſtitutis nobis, rogemus dicentes. Ne auertas faciem tuam à me. Et dicendum eſt. Auerte faciē tuam à peccatis meis. Renunciemus ergo omnibus uitijs, & paßionibus, & facti pauperes ſpiritu, præterita noſtra facta plangentes, ita nos in huius carmine pſalmi fundamus orantes, ut clamor noſter ad eum perueniat, & nō auertat faciem ſuam à nobis, Quod tamē flentes dicamus nos, qui pro peccatis oramus, his uerſiculis edocemur: Dies, inquit, mei ſicut umbra declinauerunt, id eſt, perdidi quod uixi, quia in peccatis ſicut fœnum arui. Fœnum aūt & ſtipula & lignū eſca ignis eſt. Et ideo tribulor, quia & oſſa mea ſicut frixoriū, id eſt, faſciculum ſarmenti aridum, ita confrixa ſunt, parata ad incendium gehennæ. Percuſſus ſum ſicut fœnū, & aruit cor meum. Percuſſus ſum cōpunctione futuri

turi ſupplicij,& propter hoc oblitus ſum manducare pa nem. A uoce autē gemitus mei, adhæſerunt oſſa mea carni meæ, factus ſum ſicut pellicanus in ſolitudine, id eſt, ſicut auis illa quam pellicanū uocant, quæ non habitat niſi in deſertis, habens eſcas ueneno eremi & incultis amaritudinib. plenas. Factus ſum ſicut nycticorax in domicilio. Coruus præ nigredine obſcurus eſt, iam nocte quaſi nigrior, cui & obſcuritas nigredinem geminat. Ergo & ego, inquit, duplicatam nigredinē peccatorum in me deplorans, uoces meas quaſi nycticorax dirigo, clamans ſolus, ſicut paſſer ſolitarius in ædificio. In qua tota die exprobrauerunt me inimici mei, & qui dudum laudauerunt me, nunc aduerſum me iurabant, id eſt, non letho illius uiuā. Quomodo enim uiuebas, ut ſic illi iurarēt? Ideo inquit, ſic iurabāt, quia cinerē ſicut panem manducabā, & potum meū fletibus miſcebā. Hoc quare? A facie iræ tuæ, & indignationis tuæ. Cuius iræ? Pro peccatis utique in iudicio debitæ. In quo hi eleuantur & exaltantur, ibi allidantur neceſſe eſt. Cū ergo moriatur omne genus hominū in peccatis, quid ſupereſt, niſi ut perſona totius ſeculi, tibi preces flebili effundat eloquio. Nullus enim ſaluabitur, niſi tu domine exurgens miſerearis Syon. Venit enim tēpus, ut uenias & miſerearis Syon. Quia beneplacitos habuerūt ſerui tui lapides eius. Lapides utiq; de quibus legitur: Lapides iuſti uoluūtur in ea. Qui enim ſerui dei ſunt, bene illis placent libri omnes ueteris teſtamēti, qui habent in ſe unum lapidem angularē. Nec ſolum lapides beneplacitos habuerunt, ſed & terræ eius miſerebuntur. Terra lapidum, corpora ſunt animarum. Non ſolum nobis

nobis animæ ſanctæ placent, ſi ſerui dei ſumus, ſed ipſa corpora eorum in quibus afflicti ſunt, torti, combuſti, ac diuerſis ſupplicijs macerati miſerãtes ueneramur. Quo modo miſerantes? Dolor nobis eſt in afflictione & ſupplicio quo paßi ſunt, & gaudiũ nobis eſt in perſeuerantia quia uicerũt. Cum ergo domine & tu ueneris, & ſancti tui pro teſtimonio nominis tui paßi fuerint: tunc timebunt gentes, & omnes reges terræ gloriam tuam. Tunc ædificabitur eccleſia tua in Syon, et uideberis in maieſtate tua, cum reſpexeris de excelſo tuo Ieſu Chriſto, ut audias gemitum compeditorũ, & ſoluas filios interemptorum. Interempti ſunt patres non omnes ſancti qui nobis prædicauerũt Chriſtũ. Nos ergo ligati eramus à ſathana quia hij qui genuerunt nos uerbo uitæ, fuerunt interempti. At ubi cognouimus eos in cœlis gaudere & poßidere gloriã Chriſti, ædificata eſt in nobis Syon, & uiſus eſt dominus in maieſtate ſua. Gaudemus enim, quia reſpexit in orationes eorum, & non ſpreuit preces eorum. Scripſimus paßiones eorum in progenies alteras, & populus qui creabitur, uſq; in ſempiternum laudat dominũ in ſanctis ſuis. Ibi cõueniunt populi in unũ, & regna, ut ſeruiant domino. Per quos paucitas dierum noſtrorum regitur, & nunciatur nobis propè eſſe finem, reliquum eſſe, ut & qui utuntur hoc ſeculo, tanquam non utantur. Præterit enim figura huius mundi, & tranſeunte figura, ueniet ueritas Chriſtus, cui dicimus: In ſecula ſeculorũ ſunt anni tui. Initio terram ipſe fundaſti, et cœli opera manuũ tuarum ſunt. Non ergo nouum dominum adoramus in Chriſto, ſed eum qui eſt, & ſemper idem eſt, cuius anni non

non

non deficiẽt. Quod autem de cœlo, & terra dicit: Ipſi peribunt: promiſsonem illam confirmat, qua cautum eſt futurum cœlum nouum & terram nouã, in quibus filij ſeruorum Chriſti habitẽt. Paulus ſeruus Chriſti, ſimiliter & omnes Apoſtoli ſerui Chriſti. Nos qui credidimus per eos, filij ſeruorum ipſius ſumus. Et ſi ſecuti fuerimus ueſtigia eorum, ſicut illi Chriſti, habitabimus cum eis in cœlo nouo & in terra noua. Et ſemen uerbi quod nobis ſpẽ dedit credentibus, tunc capiet in remuneratione noſtrá fructum, quod iam finem non habeat; ſed maneat directum à deo irreuocabile ad dimidium dierum prima iuuentus eſt, & ultimum dierum ſenectus. Ibi ergo iam nec in dimidio dierum finiuntur, nec in ſenectute moriuntur. Quia cœli noui ſunt, rorem immortalitatis manantes, & terra noua eſt mortis gremium nõ habens; ſed habens uitam dominum Ieſum Chriſtum, qui regnat in ſecula ſeculorum Amen.

Pſalmus ipſi Dauid. CII.

BEnedic anima mea domino, & omnia quæ intra me ſunt nomini ſancto eius. Benedic anima mea domino, & noli obliuiſci omnes retributiones eius. Qui propiciatur omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu uitam tuam, qui coronat te in miſericordia & miſerationibus. Qui replet in bonis deſideriũ tuũ, renouabitur ut aquilæ iuuentus tua. Faciens miſericordias dominus & iudiciũ omnibus iniuriam patientibus. Notas fecit uias ſuas Moyſi, & filijs Iſrael uoluntates ſuas. Miſerator & miſericors dominus, longanimis & multum miſe-

ricors. Non in perpetuum iraſcetur, neq; in æternum comminabitur. Non ſecundum peccata noſtra fecit nobis, neq; ſecundum iniquitates noſtras retribuit nobis.

Quoniam ſecundum altitudinem cœli à terra, corroborauit miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe. Quantum diſtat ortus ab occidente, longe fecit à nobis iniquitates noſtras. Quomodo miſeretur pater filiorum, miſertus eſt dominus timentibus ſe, quoniam cognouit figmentum noſtrum. Recordatus eſt, quoniam puluis ſumus, homo ſicut fœnum, dies eius tanquam flos agri ſic efflorebit. Quoniam ſpiritus pertranſibit in illo, & non ſubſiſtet, & non cognoſcet amplius locum ſuum. Miſericordia autem domini ab æterno, & uſq; in æternum ſuper timentes eum. Et iuſticia illius in filios filiorum, his qui ſeruant teſtamentum eius. Et memores ſunt mandatorum ipſius ad faciendum ea. Dominus in cœlo parauit ſedem ſuam, & regnum ipſius omnibus dominabitur. Benedicite domino omnes angeli eius potentes uirtute, facientes uerbum illius ad audiendam uocem ſermonum eius. Benedicite domino omnes uirtutes eius, miniſtri eius qui facitis uoluntatem eius. Benedicite domino omnia opera eius, in omni loco dominationis eius, benedic anima mea domino.

COMMENTARIUM.

Benedicimus nos dominum, cum facimus aliquod tale opus, quo nomen domini benedicatur. Nam quomodo poteſt deus ab homine benedici, niſi hoc ſolum modo, quod opus ex omnibus interioribus noſtris faciendũ eſt. Si enim miſericordes fuerimus uiſceraliter,

liter,& ille cũ benedicitur à nobis,propitiabitur omnibus iniquitatib.noſtris,ſanat omnes infirmitates noſtras, replet in nobis deſideriũ noſtrum, & coronat nos in regno ſuo,pro miſeratione ſua,& miſericordia ſua. Miſeri cordibus enim dicturus eſt: Venite benedicti patris mei, percipite regnũ quod uobis paratũ eſt ab origine mũdi. In quo regno mors nõ erit,nec dura ſenectus debilitat uires,ſed renouãtur ibi iuuentutes,ut aquilæ,ibi miſericordibus faciet miſericordias dominus, & iudiciũ omnibus iniuriã patiẽtibus. Ipſe utiq; deus,qui notas fecit uias ſuas Moyſi, ipſe qui oſtendit filijs Iſrael uoluntatẽ ſuam. Ipſe eſt deus in Chriſto,ſiue mundũ concilians,ſiue ſanctos remunerãs, ſiue miſericordias miſericordibus faciens. Ipſe qui patiens, ipſe qui multũ miſericors eſt, ſi nos uiderit patiẽtes,& miſericordes,non ſecundũ peccata noſtra faciet nobis, neq; ſecundũ iniuſticias noſtras reddet nobis; ſed ſecundũ altitudinẽ cœli à terra, confirmat ſuper nos miſericordiã ſuam. Et quantũ diſtat ortus ab occaſu,tantum elongat à nobis iniquitates noſtras. Sicut pater filijs ſic miſerebitur noſtri,ſi miſericordes fuerimus. Si cõſideremus in hominibus flentibus,aut egẽtibus, uel neceſſitatem patientibus figmentũ noſtrum, in qua menſura menſi fuerimus aliorũ neceſſitates,in ea metietur nobis. Non fui miſericors in cauſa aliena, nõ mihi miſeretur in mea: Subueni egenti,ſubuenitur mihi. Indulſi peccanti,indulgetur mihi. Conſideraui unius figmẽti me agentẽ in mollibus,& dolui ſuper nudum,& ueſtiui eum. Eſurienti cõpaſſus,alui. Ergo quia conſideraui figmentũ unum meũ & indigentis, conſiderat & ille figmentũ meum, & re-

cordatur, quia caro ſum terrena & puluis. Ex quo ſi di=gnatus fuerit, nos poterit ſuſcitare. Nam ſi hoc non eſſet, quis computaret hominē, qui ſicut flos agri, ita floriet, et tranſiet ſpiritus eius ab eo, & non eſt, & locū ſuum non agnoſcet amplius. Si uero miſericordiā temporalem ex=ercuerimus fratribus noſtris, miſericordiā conſequamur ſempiternam, quam perficiet ſuper timentes ſe dominus. Iuſtitiam aūt ſuam in filios filiorum, qui quoniam non po tuerūt pauperum carnalium curam gerere, ſpiritalium pauperum curam egerūt, ut aut uerbo aut exemplo ſuo, ad iuſtitiæ diuitias prouocent ſpiritaliter mendicantes. Si uis uidere diuitem & mendicum, ſancti Apoſtoli Ioan nis lege Apocalypſin. Huic ergo ſimiles ſunt omnes diui tes in auro & argento: & in fide, aut in operibus iuſtitiæ mendicantes. Iuſtitia aūt dei in filios filiorum. Filij Apo=ſtolorum ſunt omnes magiſtri bonorum conſiliorum. Et ſicut ipſi filij eorum ſunt, ita qui audiunt eos, filij filiorū ſunt, cuſtodientes teſtamentum dei, & memoria tenentes mandata dei, non ut inflentur ſcientia, ſed ut faciant ea quæ memoriter norunt. Videamus nunc illum, cui pater in cœlis parauit ſedem ſuam. Dominus enim domino pa=rauit. Et dixit dominus domino, ſede à dextris meis. Ibi ergo ſedet regnans, & regni eius non erit finis. Ideo quia dici poteſt, ſi ſemper fuit filius cum patre, quomodo ei an te parauit, & poſtea dixit ſede? Aduertendum eſt ergo, quia filio hominis, parauit deus ſedem ſuam. Nam filius dei qui aſſumpſit iſtum filium hominis, ſemper fuit in ſi=nu patris, & eſt, & futurus eſt. Sicut enim fluuius, quam uis per multas terrarum prouincias uadat, de ſinu tamē

fontis

fontis ſui nunquam recedit, ita & dei filius inuiſibilis læ tetur cum Iacob,*ſplendeat in rubo,ſit in columna nubis, ſit in columna ignis,ſit in nube,ſit in duce,& in qua uoluerit forma, pro ſalute hominum, de patris tamen ſinu non recedit.*Nec *enim legis qui fuit in ſinu patris,ſed qui eſt in ſinu patris ipſe narrauit.* Hunc *benedicunt angeli, potentes uirtutes, obtemperantes uerbo eius.*Hunc *bene dicent uirtutes omnium inimicæ.* Ipſ*æ enim faciũt uolun tatem eius.*Hunc *benedicent omnia opera eius in omni lo co dominationis eius.* Vbicunque *enim aliqua creatura eſt,locus dominationis eius eſt,quia ipſe creauit uniuerſa.* Hunc *operibus hijs benedicat anima noſtra in omni tempore,qui regnat cum patre & ſpiritu ſancto,per om nia ſecula ſeculorum* Amen. Forte mini*ſtræ.*

P*ſalmus ipſi* Dauid. CIII.

B*Enedic anima mea domino, domine deus meus magnificatus es uehementer.* Conf*eßionem & decorem induiſti,amictus lumine ſicut ueſtimẽto,* Extendens *cœlũ ſicut pellem,qui tegis aquis ſuperiora eius.* Qui *ponis nubem aſcenſum tuum,qui ambulas ſuper pennas uentorum.* Qui *facis angelos tuos ſpiritus,& miniſtros tuos ignẽ urentem.* Qui *fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuã, non inclinabitur in ſeculum ſeculi.* Aby*ſſus ſicut ueſtimentũ amictus eius,ſuper montes ſtabunt aquæ.* Ab *increpatione tua fugiẽt, à uoce tonitrui tui formidabunt.* A*ſcendũt montes & deſcendũt campi, in locum quem fundaſti eis.* Terminum *poſuiſti quẽ non tranſgrediẽtur,neq; cõuertentur operire terrã.* Qui *emittis fontes in conuallibus,inter medium mon=*

tium pertranſibunt aquæ. Potabunt omnes beſtiæ agri, expectabunt onagri in ſiti ſua. Super eá uolucres cœli habitabunt, de medio petrarũ dabunt uocem. Rigans montes de ſuperiorib. ſuis, de fructu operum tuorũ ſatia bitur terra. Producens fœnum iumentis & herbam ſer uituti hominum. Vt educas panem de terra, & uinum lætificet cor hominis. Vt exhilaret faciẽ in oleo, & pa nis cor hominis confirmet. Saturabuntur ligna campi, & cedri libani quas plantauit, illic paſſeres nidificabunt. Herodij domus dux eſt eorum, montes excelſi ceruis, petra refugium erinacijs. Fecit lunam in tempo ra, ſed cognouit occaſum ſuum. Poſuiſti tenebras, & fa cta eſt nox, in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſyluæ.

Catuli leonum rugientes, ut rapiant & quærant à deo eſcam ſibi. Ortus eſt ſol & congregati ſunt, & in cubilibus ſuis collocabuntur. Exibit homo ad opus ſuũ, & ad operationẽ ſuam uſq; ad ueſperam. Quàm ma gnificata ſunt opera tua domine, omnia in ſapientia feciſti, impleta eſt terra poſſeßione tua. Hoc mare magnũ & ſpacioſum manibus, illic reptilia quorum non eſt numerus. Animalia puſilla cum magnis, illic naues pertranſibunt. Draco iſte quem formaſti ad illudendũ ei, omnia à te expectant, ut des illis eſcã in tempore. Dan te te illis colligent, aperiente te manum tuam omnia im plebuntur bonitate. Auertente autem te faciem turba buntur, aufꝛres ſpiritũ eorum & deficient, & in puluerẽ ſuum reuertentur. Emitte ſpiritum tuũ & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Sit gloria domini in ſeculum, lætabitur dominus in operibus ſuis. Qui reſpicit

terram

terram & facit eam tremere, qui tangit montes & fumigant. Cantabo domino in uita mea, pſallã domino meo quàm diu ſum. Iocundum ſit ei eloquium meum, ego uero delectabor in domino. Deficiant peccatores à terra & iniqui ita ut non ſint, benedic anima mea domino.

COMMENTARIVM.

PEruenimus ad pſalmum centeſimum tertium qui continet uniuerſam fabricã mundi, in qua magnificatur dominus uehementer. Sed cum fabricã memorat, aduentum domini manifeſtat. Prius enim quam ueniret dei filius, non erat hominum dominus, confeßionem & decorem indutus. Omnes enim in dijs & ſimulachris ſuis, & in uanis figmentis ſpem collocãtes à deo receſſerant. Deniq; Apoſtolus hoc ipſum aſſerit cum dicit, *quod aduenięs dominus cõcluſerit omnia in incredulitatem, ut omniũ miſereatur. Per ipſum enim confeßionem & decorem induit deus, per mediatorẽ dei & hominũ.* Mediatorem *qui eſt filius hominis.* Cuius *hominis?* Filius Dauid, Filius Abrahæ. *Sic enim legis euangelij caput:* Liber *generationis* Ieſu *Chriſti, filij* Dauid, *filij* Abraham. *Quis autem ſit iſte filius hominis, ne forte putes eum talem qualis fuit* Moyſes, *aut* Ieſus Naue *filius, aut* Helias, *aut unus ex magnis, nõ ita eſt.* Hic *enim dominus eorum eſt, & illi ſerui eius.* Hic *enim amictus eſt lumine ſicut ueſtimentũ.* Ipſe *eſt qui extendit cœlum ſicut pellem, & tantũ eum extendit, ut & meretrices & publicanos capiat, qui nõ capiebat niſi ſolos immaculatos.* Et *quia quando tenditur pellis, ſuper ipſam aqua aſpergitur, ita hic tẽſurus cœlos ſicut pellem, texit in aquis ſuperiora eorum.*

Non enim poterant tendi, & uſq; ad peccatores attinge re, niſi aqua ſacri baptiſmatis tegerentur, ad ipſos cœlos poſuit nubes aſcenſum ſuum. Videtibus Apoſtolis, ambulans ſuper pennas uentorũ. Venti enim in nubibus agũt, & alia uia non eſt qua aſcenſum ſuum ad cœlos haberet, niſi ambularet ſuper pennas uentorũ. Tunc fecit angelos ſuos ſpiritus. Angeli nuncij Latino ſermone uocantur, et euangelium bonum nuncium explanatur. Angelos ergo ſuos, id eſt Apoſtolos, tunc fecit ſpiritus, quando eis dixit: Accipite ſpiritum ſanctum, & euangelizate omni creaturæ. Et tunc eos fecit ignem urentem, cum ipſe ſpiritus ſanctus, ſicut ignis conſedit in eis. Tunc fundauit terram in ſtabilitatem ſuam, terrenas ſcilicet mentes gentiũ, quæ fuerunt in fabrica turris diuiſæ, nunc ad ſtabilitatem ſuã reuocans in uno uerbo Ieſu Chriſto corroborat, & ita fundat in eis eccleſiam ſuper hanc petram, ut non inclinetur in ſeculũ ſeculi. Huius ſanè terræ abyſſus, ſicut pallium amictus eſt. Agant ſibi philoſophi infructuoſas exquiſitiones, & magno labore dicãt ſe poſſe diſcere, quod terra ſubtus ſe abyſſum habeat, quo ueluti pallio amiciatur: nos ad terram iſtam quæ fundatur in ſtabilitate eccleſiæ, ſermonis aciem dirigamus. Abyſſus enim circundat eam. Non enim habet finem altitudo diuitiarum ſapientiæ, quæ circundat eam, & ſuper montes eius ſtabunt aquæ. Quicunq; ſurſum cor habent montes ſunt, et ſuper ipſos ſtant aquæ. Stat ſuper ipſos baptiſmatis ſanctificatio, ſtant in fide recta, nõ circunducũtur omni uento doctrinæ. Qui tamen iſti ſunt montes, diligẽter auſculta. Iſti ſunt, qui ab increpatione dei fugiunt. Fugiunt utiq;

facta

ſacta quæ increpantur à deo, & à uoce tonitrui eius formidabunt, timent cōminantem incendium ſempiternum & à prohibitis uniuerſis, ſua facta ſuſpendunt. Aſcendūt *montes cogitantes regna cœlorum. deſcendunt montes cogitantes quemadmodum terrenas actiones ſuas, in locum quem fundauit dominus dirigant. ubi terminum poſuit deus, & iuſsit non tranſgredi, & poſitum terminum non tranſgrediuntur, ut operiant terram, ſicut operuit terram* Adam. Ex *folijs ficulneis operuit terram, & abſcondit ſe. Iſti non tranſgrediuntur terminum, quem poſuit dominus, & non operient terram.* Et *quia non eſt operta, rigat eam dominus de ſuperioribus.* Si *enim diſiectam eam inuenerit, imber rigat eam, ueniens de ſuperioribus.* Si *uero tecta fuerit, & cœlo abſconditur, nec de ſuperioribus rigatur.* Si *uero pateat cœlis, & imber eam cœleſtis infuderit, producat fœnum iumentis, dabit doctrinam talem ſimplicibus ad eſcam animæ eorum, qualem capere poſſunt.* Dabit *herbam ſeruituti hominum.* Herbam *inter initia, uenientibus ad deum herbam proferet.* Nō *enim poſſunt ſolidioribus cibis refici.* Perfecto*rum namq; eſt ſolidior cibus, qui diſcretionem habere poſsint boni & mali.* Poſt *herbam dabit ſpicam & incipit educere panem de terra.* Sicut *enim lac de uberibus, ſic de terra per herbam attingitur ad ſpicā, de ſpica per uenitur ad panem, qui de cœlo per imbrē deſcendit.* Ergo *per fontem perennem, uenit tibi panis de terra* Mariæ *uirginis.* Imber *iſte qui in* Maria *uenit, audi qualiter uenit.* Angelus *ei dicit: uirtus altiſsimi, id eſt, ex alto ueniēs obumbrabit tibi.* Et *exiuit nobis panis de terra.* Nos

ergo ad nos redeamus, qui hunc ex alto uenientem imbrẽ accipimus, ſi ueniẽs ex ſuperioribus fons, nos ſibi patentes inuenerit. Accipimus *panem quod confirmet cor noſtrum.* Accipimus *uinum, quod lætificet cor noſtrum, & duabus confirmationibus cordis acceptis, exhilarantur facies noſtræ oleo chriſmatis, ita ut per lignum crucis ſatientur omnia ligna campi, id eſt, omnis turba ſimplicitatis, inter quos ſunt diuites & ſublimiſſimæ poteſtates, quas pro celſitudine cedros libani nuncupauit.* In *his paſſeres nidificant.* Non *dixit in omnibus paſſeres nidificabunt.* Sunt *enim aliquãti qui diligunt* Chriſtianos, *& ſua eos ope ſuſtentant, qui in his requieſcẽtes nidificant deo, qui paſſeres ideo nuncupantur, quia cœleſtia & alta petentes, ſic ſe iungunt conuerſationibus hominum, ut fugiant ipſos homines, in quorum domibus nidificare probantur.* In *his paſſeres qui nidificant, fulicæ domus dux eſt eorũ.* Fulica *in aqua manet, in aqua nidificat, in aqua uiuit, & aqua domus eſt eius.* Horum *ergo paſſerum fulicæ domus, id eſt, aqua ipſa dux eorum eſt paſſerum.* Ibi *ſunt montes excelſi, ceruis fugientibus diabolum, fugientibus mundum,* Ibi *eſt petra præſtans refugium, ſiue* Erinaciorum *filijs, quia minora habentes iacula, à canibus non timentur, ſiue leporibus, quia & lepores canes fugiunt, &* Erinacij. Qui *ergo fugiunt hos canes, de quibus clamat* Paulus: Videte canes, uidete malos operarios: *inueniunt ſibi petram in refugium, & iuxta ſemitam poſitos canum morſus effugiunt.* Nunc *euaſimus montes ac ſiluas, & facies nobis cœli reſplendet, in qua uidemus lunam factam, in tempore paſsionis lucentem in tenebris.*

Pro Herodio *fulicã uertit,* Hieronymus *uertit* Miluũ

In

In quo tamen tempore doce. In tempore paſsionis diximus. Quomodo? Quia tunc ſol iuſticiæ occaſum ſuum, ipſa ſexta hora dici poſuit tenebras, et facta eſt nox, in quo tranſierunt omnes beſtiæ ſiluarum, phariſæorum feroci tas. Et eorum qui deuorant plebem dei, ſicut eſcam panis, tam ſpiritales beſtiæ quàm carnales. Sed propterea dedit lunam in nocte, ut habentes lumẽ cœleſte, ferarum morſibus euadamus. In ipſa enim tenebroſitate eius abundant catuli leonum, id eſt, filij dæmonum omnes hæretici non docẽtes ſancta, ſed rugientes ut rapiant, & quærant à deo tollere eſcam ſibi. Orto autem ſole iuſticiæ, ſiue reſurgente ab inferis domino ad Iudæos, ſiue exurgente per aſſertionem catholicam cõtra hæreticos: Hoc ergo oriente uniuerſæ diffugiunt beſtiæ, tendentes inſidias, & in cubilibus ſuis ſe collocabũt, Iudæi ad ſynagogas ſuas, & hæretici ad ſynedria ſua. Illic congregabuntur, et quàm diu reſplendet nobis ſol iuſticiæ, illi in cubilibus ſuis dormiunt, non ſunt auſi exire ad lucem. Omnis enim qui male agit, odit lucem. Qui odit fratrem ſuum, in tenebris ambulat, beſtia eſt, dormit & ipſe cum Iudæis & hæreticis: ſicut Iudæi in cubilibus infidelitatis, & hæretici in cubilibus malæ credulitatis collocant ſe & dormiunt. Ita his de medio atra nox odij oculis eorum incumbit, & nihil præter tenebras uidentes in odio dormiunt. Qui autem homo eſt & non fera, exiet ad opus ſuũ credens & bene credẽs, & ab operatione ſua quam inchoauit, luceſcente ſibi ſole iuſtitiæ, operatur uſq; ueſperũ, id eſt, quàm diu in hac luce perdurat, & hæc non ſuis uiribus reputans clamat: Quam magnificata ſunt opera tua domine.

domine. Omnia hæc in ſapientia fecisti, ſiue uiſibilia ſecundum Apoſtolum,*ſiue inuiſibilia.Repleta eſt enim terra creatura eius.Venimus ad fines terræ,intremus nunc mare.Hoc mare magnum & ſpacioſum, nõ te docet pro magno propheta pſalmographus patriarcha, imò ſanctus ſpiritus in his qui loquitur, hoc nos habuit docere, quia magnum eſt mare & ſpacioſum & ibi repẽtia quorum non eſt numerus. Animantia magna & parua, & quia ibi naues tranſeunt,non hoc docuit quod nullus ignorat, ſed ſcire nos uoluit mare magnum & ſpacioſum eſſe,omnem legem noui & ueteris teſtamenti:ibi repentia,quorum non eſt numerus:in lege* Iudæi,*in lege* Samara,*& in lege hæretici & in lege catholici,in lege reges, conſules,diuites,pauperes.*In *lege puſilli et magni,ibi naues tranſeunt, ſolæ eccleſiæ uniuerſarum prouinciarũ, quæ epibatas ducunt ad regna cœlorũ,à ciuitatibus terrenis ad ciuitatem* Hieruſalem *matrem noſtram.*Qui *autem ſine naue fuerit in hoc mari magno inuentus,inueni et draconem qui formatus eſt ad illudendum eis.*Notandum *tamẽ eſt,quia deo dicitur:illic eſt,inquit, draco quẽ formaſti, quia* Manichæi *dicunt principem tenebrarum à ſe habere principiũ.* Ergo *ut creatura aſſignetur deo,* Deo *dicitur quem tu formaſti: quod autem ſequitur ad illudendum eis,illis utiq; qui naues recuſant, & quaſi animales ſine magiſtro catholico, & ab* Apoſtolis *ducente traditionem legis ſe fluctibus, & altitudinibus tradunt.* Ergo *quia extra eccleſiam ſunt, inter animalia puſilla et magna uagantes inueniunt draconem, ita ſibi illudentẽ, ut putent ſe melius catholicis ſapere,& ad arbitrium ſuum*

um inueniunt perpetuæ mortis interitum, cum deuene-rint in profundum. Quid tamen tu domine patiens & multum miſericors & Iudæi & hæretici, & ingrati ſi-mul cum ſeruis tuis. Omnes quam diu in iſto ſunt corpo-re omnes à te expectāt, ut des illis eſcam in tempore iſto. Iſto uitæ præſentis, quia ſi tu non dederis, nullus colligit. Aperis manum tuam ſuper bonos & malos, & imples omne animal benedictione, ſed cum auertis faciem tuam, tunc turbabuntur, cum auferes ſpiritus eorum & defice rint, & in terra ſua reuertētur, de qua aſſumpti ſunt. Cū autem fuerit reſurrectionis tempus, ueniet ſpiritus tuus, & reſuſcitabuntur hij in quibus renouaſti faciem terræ, qui in nouitatem uitæ ambulauerunt, qui ambulauerunt in nouitatem ſpiritus, & non remanſerunt in uetuſtate li teræ, in quibus omnia uetera tranſierunt, et facta ſunt o-mnia noua. In ipſis erit gloria domini in ſecula ſeculorū cum beatus fuerit in operibus ſuis, quæ nunc operatur cum patre & ſpiritu ſancto, qui reſpicit terram, id eſt, corpora fidelium, & facit ea tremere iudicium futurū. Qui tangit montes & fumigant, Fumus montium nubes facit. Ergo eos qui ſenſum ad gloriam cœleſtem exaltāt, ita ut apud homines in terra imminuti eſſe uideantur, ut in futuro inueniantur excelſi, hos tanget dominus, & dant fumum oris ſui, proferentes ſermonem, qui nubes ſunt oculorum, & facient multos plorare peccata ſua, multos lauare ea eleemoſinis, multos feſtinare ad fontem ſacrum. Sic ergo tactu Dei montes fumigant ad inunda-tionem nubium, quæ pluuiam dantes tam ſordes abluūt, quàm frugibus & arboribus naſcendi copiam admini-ſtrant.

ſtrant. Cantemus ergo ipſi domino deo noſtro in uita noſtra, et pſallamus ei quàm diu uiuimus, ſuauis ſit ei laudatio noſtra catholicis aſſertionib. ſuauificata, nihil morbo Iudæorum, nihil morbo hæreticorum circumferens: ut & nos delectemur in domino cum deficere cœperint hæretici, aut Iudæi à terra & iniqui, ita ut non ſint: tunc læta anima noſtra benedicens domino in omni tempore, ipſi gratias aget, cui gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

Alleluia. CIIII.

CONfitemini domino, & inuocate nomen eius, annunciate inter gẽtes opera eius. Cantate ei et pſallite ei narrate omnia mirabilia eius. Laudamini in nomine ſancto eius, lætetur cor quærentiũ dominum. Quærite dominum & confirmamini, quærite faciem eius ſemper. Mementote mirabiliũ eius quæ fecit prodigia eius & iudicia oris eius. Semẽ Abrahã ſerui eius, filij Iacob electi eius. Ipſe dominus deus noſter, in uniuerſa terra iudicia eius. Memor fuit in ſeculum teſtamenti ſui, uerbi quod mandauit in mille generationes. Quod diſpoſuit ad Abraham, et iuramenti ſui ad Iſaac. Et ſtatuit illud Iacob in præceptum, & Iſrael in teſtamentum æternum. Dicens tibi dabo terrã Chanaan funiculum hæreditatis ueſtræ. Cum eſſent numero breui, pauciſſimi & incolæ eius. Et pertranſierunt de gente in gentem, & de regno ad populum alterum.

Non reliquit hominem nocere eis & corripuit pro eis reges. Nolite tangere Chriſtos meos, & in prophetis meis nolite malignari. Et uocauit famem ſuper terram, & omne frumentum panis contriuit. Miſit ante

eos uirum,in ſeruum uenundatus eſt Ioſeph. Humilia
uerunt in compedibus pedes eius,ferrum pertranſijt ani
mam eius,donec ueniret uerbum eius. Eloquium do-
mini inflammauit eum,miſit rex & ſoluit eum,princeps
populorum & dimiſit eum. Conſtituit eum dominũ
domus ſuæ, & principem omnis poſſeßionis ſuæ. Vt
erudiret principes eius ſicut ſemetipſum. & ſenes eius
prudentiam doceret. Et intrauit Iſrael in Aegyptum,
& Iacob accola fuit in terra Cham. Et auxit populũ
ſuum uehementer, & firmauit eum ſuper inimicos eius.
Conuertit cor eorum ut odirent populum eius,& do
lum facerent in ſeruos eius. Miſit Moyſen ſeruum ſu-
um,Aaron quem elegit ipſum. Poſuit in eis uerba ſig
norum ſuorum,& prodigiorum in terra Cham. Mi-
ſit tenebras & obſcurauit, et non exacerbauit ſermones
ſuos. Conuertit aquas eorum in ſanguinem, & occi-
dit piſces eorum. Edidit terra eorum ranas in pene-
tralibus regum ipſorum. Dixit & uenit cynomia &
cyniſes in omnibus finibus eorum. Poſuit pluuias eo-
rum grandinem,ignem comburentem in terra ipſorum.
Et percußit uineas eorum, & ficulneas eorum, & con-
triuit lignum finium eorum. Dixit & uenit locuſta,
& brucus cuius non erat numerus. Et comedit omne
fœnum in terra eorum,& comedit omnem fructum ter
ræ eorum. Et percußit omne primogenitum in terra
eorum,primitias omnis laboris eorum. Et eduxit eos
cum argento & auro,& non erat in tribubus eorum in
firmus. Lætata eſt Aegyptus in profectione eorum,
quia incubuit timor eorum ſuper eos. Expandit nu-
bem

bem in protectionem eorum, & ignem ut luceret eis per noctem. Petierunt & uenit coturnix, & pane cœli ſaturauit eos. Diſrupit petram & fluxerunt aquæ, abierunt in ſicco flumina. Quoniam memor fuit uerbi ſancti ſui, quod habuit ad Abraham puerum ſuum. Et eduxit populum ſuum in exultatione, et electos ſuos in lætitia. Et dedit illis regiones gentium, & labores populorum poſſederunt. Vt cuſtodiant iuſtificationes eius, & legem eius requirant.

COMMENTARIVM.

Alleluia in iſto pſalmo principium ſumpſit, quã qui interpretantur gloria deo creatori omnium, uerum dicunt. Ad omnes enim gentes imperat nunciari gloriam eius, & enarrari omnia mirabilia eius, quomodo ex uirgine natus, quomodo exemplo & uerbo docuit, quomodo uirtutes exercuit, quomodo in cruce pependit, quomodo mortuus, ſepultus, reſurrexit, & ea quæ ante paßionem docuit, poſt reſurrectionem ſuam iterum confirmauit, quomodo aſcendit in cœlos, & miſit paraclitum, qui in conſpectu gentium, quaſi ignis diſperſus, uniuerſarum gentium quæ in præſenti erãt linguas in Apoſtolos reſeraret, ita ut quod imperatum fuerat in præſenti pſalmo, ab ipſo ſpiritu ſancto tũc adimpletum, gentes ipſæ de Apoſtolis diceret: Nonne *iſti, inquiunt, Galilæi ſunt? & quomodo nos unuſquiſque linguis noſtris audiuimus eos loquentes magnalia dei? Tũc ergo gentibus confeßi ſunt dominum, & inuocauerunt nomen eius, nomen quod Iudæa ſola retinebat, tunc annunciauerunt inter gentes magnalia eius. Tunc iure primo*

mo cantatum eſt in aduētu ſancti ſpiritus alleluia, in quo narrauerunt omnia mirabilia eius, & docuerunt gentes hoc ordine: Nolite laudari in uirtute regum ueſtrorum, *neque in potentia præliorum ueſtrorum, ſed deponentes potentias arcuum & ſcutum & gladium & bellum, pacem aſſumite,* Et Chriſtum *quem prædicamus uobis, ueſtro nomini ſociate, ut uos qui dicimini gentes, dicamini Chriſtiani, & laudemini in nomine ſancto eius.* Et *lætetur cor ueſtrum, qui quæritis dominũ, quærite* Chriſtum, *& confirmamini.* Et *quia aſcendit in cœlis & parat uobis gaudium ſempiternum. quàm diu ad eum pertingatis, quærite faciem eius ſemper, mementote mirabilia eius quæ fecit, quæ ſupra diximus prodigia eius, et iudicia oris eius, quæcunq; apoſtoli, quæcũq; quatuor euangeliſtæ teſtantur, non ex gentibus uenientes, ſed ex ſemine* Abraham *ſerui eius, qui ſunt filij* Iacob *electi eius.* Nõ *eſt enim* Chriſtus *deus recens, non aduena, non nouicius, ſed ipſe eſt dominus deus noſter, qui ſemper fuit: & qui in* Hebræorum *gente tantum ceremonias collocauerat, nunc uult, ut in uniuerſa terra ſint iudicia eius.* Quid *nunc uultis* Iudæi? Dicite *ſi uultis, arguimus uos noſcentes, & dicimus uobis: falſas habetis ſcripturas.* Si *uere deus erat qui cum* Abraham *locutus eſt, cur quod promiſit implere nõ potuit? ſi nõ potuit, omnipotens non eſt, ſi potuit et noluit, mẽtitus eſt.* Ad *hæc* Paulus *clamat* Hebræus *ex* Hebræis, *impoßile eſt mẽtiri deũ.* Docete *ergo impletũ quod iurauit deus per ſemetipſum dicẽs:* In *ſemine tuo hæreditabo omnes gentes, quod diſpoſuit ad* Abraham, *& iuramenti ſui ad* Iſaac, *ſtatuit illud* Iacob *in præcep*

tum & Iſrael in teſtamentum æternum, dicens tibi quidem dabo terram Chanaan, funiculum hæreditatis ueſtræ. Et quando hoc factum eſt? Cum adhuc eſſent ipſi ex Cham numero breues, pauciſſimi & incolæ in ea. Tunc pertranſierunt de gente in gentem, de regno Chananeorum ad populum Aegyptiorum, non tamen permiſit hominem nocere eos, & corripuit pro eis reges, ſicut Amalech, & cæteros & dixit eis. Nolite tangere Chriſtos meos, & in prophetas meos nolite malignari. Vnde Amalech rex dixit ad Abraham. Niſi deus admonuiſſet me nocte in uiſione, habueram peccare in te: ſed corripuit me in uiſione & admonuit me, ut rogem te, & ores pro me. Egimus hactenus & myſticum & hiſtoricum ſenſum, ſed una nobis quæſtiuncula uidetur in manibus. Quæritur enim, quomodo uerbum hoc mandauit in mille generationes, quod diſpoſuit ad Abraham. Has mille generationes gentium edocere, lacinioſa ſatis narratio flagitat. Sed ut prout potuerimus iuuante domino, commatice tranſeamus. De gente ad gentem, de regno ad populum alterum. Noe tres filios habuit, Sem, Cham, Iafeth. Sem primogenito pars facta eſt à Perſida & Bactris uſq; in Indiam longe, & uſque Rhinocoruras, quæ ſpacia terrarum habent linguas ſermone barbarico uiginti & ſeptem, in quibus linguis gentes ſunt patriarum quadringentæ ſex, non diuerſarum linguarum, ſed, ut di dixi, diuerſarum patriarum, uerbi gratia. Cum una lingua Latina ſit, ſub una lingua diuerſæ ſunt patriæ, Brutiorum. Lucanorum, Apulorum, Calabrorum, Picentū, Tuſcorum, & his atque huiuſcemodi patrijs ſimilia ſi dicamus.

camus. Cham uero ſecundus filius Noe, à Rinocoruris uſque Gadira, habens linguas ſermone Punico à parte Garamantum, Latino à parte Boreæ, barbarico à parte meridiani Aethiopum & Aegyptiorum ac barbaris interioribus uario ſermone numero uiginti duabus linguis, in patrijs trecētis nonaginta & quatuor. Iafet autem habet flumen tigridem, qui diuidit Mediam & Babyloniā, in patrijs ducentis ſermone uario, in linguis uiginti tribus. Fiunt ergo omnes ſimul linguæ ſeptuagintæ duæ, patriæ autem generationum mille, quæ in tripartito ſeculo hoc ordinæ ſitæ ſunt. Habet, ut diximus, Iafet flumen tigridem, qui diuidit Mediam & Babyloniam. Sem autem Eufraten. Cham uero Geon, qui uocatur Nilus. In his tripartitis gentibus ex uno homine manantibus, trinitas per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum hominem perfectum apparuit, & ſolus his mille generationibus per lignum ſuæ paſsionis occurrit, quia memor fuit uerbi quod iurauerat in mille generationes, dicens Abrahæ quod in ſemine tuo hæreditabo omnes gentes. Et ſicut filijs Iſrael famem paſſuris ſuccurrit Ioſeph, qui uenditus eſt, qui poſtquam uenditus eſt, ad regnum aſcendit, & fame perituris aliquantis gentibus & patrijs frumentatione repoſita caute ſuccurrit. Ita uenditus à Iuda Chriſtus, in triūpho crucis exaltatus eſt. Antē quidē paſſus ſynagogam falſam teſtē, ſicut Ioſeph dominam meretricē. Poſt hæc exurgens à mortuis accepit regnū, ut in nomine eius omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, & fame pereuntibus his mille generationibus, apertis horreis, manuum ſuarum profluentiſſima largita-

te ſuccurrit, non ſolam eis ſpeciem frumenti, ſed & uini et olei adminiſtrans. A cunctis eas aduerſitatibus liberauit. Vocauit enim famem ſuper terram eorum, prius qui in idolis confidebant, & omne eis firmamentum panis contriuit, quia panem uerum qui de cœlis deſcenderet ignorabant. At ubi uenit uir perfectus, qui in ſeruum uenundatus eſt. poſteaquam ferrum pertranſiuit animam eius, quia eloquium falſæ teſtis inflammauerat iram ſuper eum. At ubi miſit rex de cœlo & ſoluit eum, & princeps qui eſt deus in Chriſto mundum concilians ſibi, dimiſit eum ſoluēs ab omni uinculo fragilitatis, cōtinuo ſtatuit eū dominū domus ſuæ. Dominū in cœlo et in eccleſia et principem omnis poſſeſſionis ſuæ omnis ſanctitatis, ut erudiret Apoſtolos ſicut ſeipſum, qui profecerat ætate et ſapientia, & ſenes ſuos hos ipſos patres omnium credentium, prudentiam doceret, & in miniſterio abſconditam. Tunc intrauit Iſrael in Aegyptum uidens deum, Apoſtolos inter idolatras, & Iacob accola fuit in terra Chanaan, & auxit populum eius nimis, ita ut milia hominum haberent cor unum & animam unam. Et confirmauit cor eius ſuper omnes inimicos eius qui negabant eum. Contemnentes enim eos, Apoſtoli conuerſi ſunt ad gentes. Conuerſum eſt cor gentium, ut odirent populum eius, & occidentes martyres dolum facerent in ſeruos eius, quouſque ueniret ad eos Moyſes & Aaron, quouſque pertingeret ad ſenſum eorum lex dei, & ponerent in mente ſua uerba ſignorum, & prodigiorum, quæ aut legentes agnouerant, aut referentes audierant. Cœperūt enim timere, ne paterentur nō credentes, quod paſſa fuerat

rat Aegyptus cum rege ſuo, tenebras, aquas ſanguineas, ranas, locuſtas, brucos, cyniſes, cynomias, grandinem, ig nitumq́; uentum, qui combuſsit uineas ficulneas, atq; om ne lignum finium eorum. Poſt hæc etiam percuſsionem angeli in omnem primogenitum terræ eorum, & primi tias omnis laboris eorum. Dantes ergo omnes timorem his uirtutibus uincentis dei, fugerunt Aegyptiorum incredulitatem, & ſecuti Apoſtolorum fidem, *educti ſunt in argento & auro,* in duobus teſtamentis, argento uete ri, & auro noui, in bono & meliore, & *non eſt inuentus in his,* qui per aquam tranſierunt, *ullus infirmus.* Nullus enim inuenitur in omnibus mille his generationibus baptizatis, uel unus peccatum habens in hora baptiſmatis. Alioquin, ſi peccatum habet non credidit, & cum Aegyptijs merſus eſt. Nam omnes qui crediderũt, ex hora qua tranſierunt, uenientes ad conſignationem, non inueniuntur in tribubus eorum infirmus, omnes firmi ſunt. Omnes enim confirmati ſunt. *Lætata eſt* Aegyptus. Aegyptus totus mundus, licet in peccatis agens, tamen lætatur die ſancto paſchæ, in profectione eorum, qui fugientes Pharaonem, & ſequentes Moyſen, per aquã tranſierũt, ut inueniant ubi audiant uocem domini. *Incubuit enim timor ſuper* incredulos, & non ſunt auſi ſine ferijs eſſe in ipſo die, qui ſi non lætantur, credentes deum, feriantur timentes regnum & populum Chriſtianum. Et ideo lætantur, quia *incubuit timor eorum ſuper eos.* Expãdit enim deus *nubem,* id eſt, Eccleſiam ſuam in protectionem eorum, & *ignem* fidei, quæ lucet eis in tenebris mundi, ubi *petierunt carnem & acceperunt ortigometram. Caro*

enim illis data eſt, tunc coturnices uolantes utiq; & cœleſtia cupientes, & his datur caro quæ aſcēdit ſuper Chepubin, & uolauit, & pane cœli ſaturati ſunt. Quādo diſrupit petram, & fluxerunt aquæ, & in deſerto totius ſeculi currunt flumina, quia memor factus eſt uerbi ſancti ſui quod dixit ad Abraham puerum ſuum. Ideoq; eduxit populum ſuum in exultatione, in alleluia, in albis ueſtibus, & electos ſuos in lætitia, & dedit illis regiones gentium, & ciuitates populorum, ut cuſtodiant iuſtificationes eius, & legem eius requirant. Sic enim ait: Baptizate, inquit, omnes gentes in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti, docentes eos cuſtodire omnia quæcūq; præcepi uobis, & ecce ego uobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſeculi, Amen.

Alleluia Alleluia. CV.

Confitemini domino quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia eius. Quis loquetur potentias domini, auditas faciet omnes laudes eius. Beati qui cuſtodiunt iudicium, & faciunt iuſticiā in omni tempore. Memento noſtri domine in beneplacito populi tui, uiſita nos in ſalutari tuo. Ad uidendū in bonitate electorum tuorū, ad lætandum in lætitia gentis tuæ, ut lauderis cum hæreditate tua. Peccauimus cum patribus noſtris, iniuſte egimus, iniquitatē fecimus. Patres noſtri in Aegypto non intellexerunt mirabilia tua, non fuerūt memores multitudinis miſericordiæ tuæ. Et iritauerunt aſcendentes in mare, mare rubrum. Et ſaluauit eos propter nomen ſuum, ut notam faceret potentiam ſuam. Et increpauit mare rubrum & exiccatum

tum eſt, & deduxit eos in abyßis ſicut in deſerto. Et ſal uauit eos de manu odientium, & ab inſidijs hoſtium tu= tatus eſt, & redemit eós de manu inimici. Et ope= ruit aqua tribulantes eos, unus ex eis non remanſit. Et crediderunt uerbis eius, & laudauerũt laudem eius. Ci to fecerunt obliti ſunt operum eius, & non ſuſtinuerunt conſilium eius. Et concupierunt concupiſcentias in deſerto, et tentauerunt deũ in inaquoſo. Et dedit eis pe titionem ipſorum, & miſit ſaturitatem in animas eorũ. Et iritauerunt Moyſen in caſtris, Aaron ſanctum domi= ni. Aperta eſt terra, & deglutiuit Dathan, & operuit ſuper congregationem Abyron. Et exarſit ignis in ſy nagoga eorũ, flamma combußit peccatores. Et fecerũt uitulum in Oreb, & adorauerunt ſculptile. Et mutaue runt gloriam ſuam in ſimilitudinẽ uituli, comedentis fœ num. Obliti ſunt deũ, qui ſaluauit eos, qui fecit magna lia in Aegypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in ma ri rubro. Et dixit ut diſperderet eos, ſi non Moyſes ele ctus eius ſtetiſſet in confractione in conſpectu eius. Ut auerteret iram eius, ne diſperderet eos, & pro nihilo ha buerunt terram deſiderabilem. Non crediderunt uer= bo eius, & murmurauerunt in tabernaculis ſuis, nõ ex= audierunt uocem domini. Et eleuauit manum ſuam ſu per eos, ut proſterneret eos in deſerto. Et ut deijceret ſemen eorũ in nationibus, & diſperderet eos in regioni bus. Et initiati ſunt Beelphegor, & comederunt ſa= crificia mortuorum. Et iritauerunt eum in adinuen= tionibus ſuis, & multiplicata eſt in eis ruina. Et ſtetit Phinees & placauit, & ceſſauit quaſſatio.

Et reputatum eſt ei ad iuſticiam, in generatione & generationem, uſq; in ſempiternum. Et iritauerunt eum ad aquam contradictionis, & uexatus eſt Moyſes propter eos, quia exacerbauerunt ſpiritum eius. Et diſtinxit in labijs ſuis, nõ diſperdiderunt gentes quas dixit dominus deus illis. Et commixti ſunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & ſeruierunt ſculptilibus eorum, & factum eſt illis in ſcandalum. Et immolauerunt filios ſuos & filias ſuas dæmonijs. Et effuderunt ſanguinem innocentem, ſanguinem filiorum ſuorum & filiarum ſuarum. quas ſacrificauerunt ſculptilibus Chanaan. Et infecta eſt terra in ſanguinibus, & contaminata eſt in operibus eorum, & fornicati ſunt in adinuentionibus ſuis. Et iratus eſt furore dominus in populum ſuum, & abominatus eſt hæreditatem ſuam. Et tradidit eos in manus gentium, & dominati ſunt eorum qui oderunt eos. Et tribulauerunt eos inimici eorum, et humiliati ſunt ſub manibus eorum, ſæpe liberauit eos.

Ipſi autem exacerbauerunt eum in conſilio ſuo, & humiliati ſunt in iniquitatibus ſuis. Et uidit cum tribularentur, & audiuit orationem eorum. Et memor fuit teſtamenti ſui, & pœnituit eum ſecundum multitudinem miſericordiæ ſuæ. Et dedit eos in miſericordias in conſpectu omnium qui ceperant eos. Saluos fac nos domine deus noſter, & congrega nos de nationibus.

Vt confiteamur nomini ſancto tuo, & gloriemur in laude tua. Benedictus dominus deus Iſrael à ſeculo & uſque in ſeculum, & dicet omnis populus fiat fiat.

COM-

COMMENTARIVM.

ALleluia primum egit ut baptizentur credentes. Alleluia ſecundum agit ut reconcilientur pœnitentes. Ibi ſuſcepit plebem ſuam in exultatione, & electos ſuos in lætícia. Hic pœnitētes exaudit, & dat eos in miſericordiam in conſpectu omnium, qui eos ceperant. Beati ſunt ergo, qui cuſtodiunt iuſticiam. Non enim ad hoc ueniunt: ut à ſuis hoſtibus capiantur. Hij autem qui capti ſunt clamant ad miſericordē, dicentes. Peccauimus cũ patribus noſtris: Iniuſte egimus, iniquitatem fecimus. Nec illud cũ aliqua controuerſia reſpicias uolo, quod dixi, omnes qui non cuſtodiũt iuſtitiam, capiuntur ab hoſtibus ſuis. Illos enim magis hoſtes reſpice, qui cum eſſe pro certo noſcantur, pro certo uideri non poſſunt. Et cum illos aſpectu mentis adtenderis, illum plus uidebis à ſuis hoſtibus poßideri, qui poſt peccatum exultat, nullo flagello percuſſus. Verum quia uerus Chriſtianus ille eſt, qui pro ſuis quotidie peccatis exorat, ſuſcipiat regulam pœnitentiæ, excluſo Noua ita non centeſimum quintum pſalmum centeſimoquarto ſubiungat, non recuſet flentem in quinto, quem in quarto lætantem accepit. Et ſicut ille cantauit alleluia, & iſte alleluia decantet. Ibi diues factus in argento & auro egreditur gaudens, hic mendicus effectus reuertitur plorans. Et ibi alleluia cantatum eſt. & hic alleluia cantatur. Ibi cõfitemini dictum eſt, & inuocate nomen eius, hic confitemini dicitur quoniam bonus. Dicite peccata ueſtra, unde exacerbaſtis dominum. Dictauit enim ſuper uos ſententiam, ut deijciat uos in nationibus, & diſpergat uos in regionibus. Cõfitemini

Legendũ arbitror excluſo Nouato. Nam is non recipiebat pœnitentes.

mini bono, confitemini uolenti parcere. At illi: *Peccaui-mus, inquiũt, cũ patribus noſtris. Peccauimus cũ patrib. non de tẽpore poſuit. Cũ patribus enim tunc peccauerũt quando iritauerunt aſcendentes in rubrũ mare, quando operuit aqua tribulãtes eos. Poſteaquam crediderũt uerbo dei, & cantauerunt laudem eius, ſtatim obliti ſunt operum eius.* Et *concupierunt concupiſcentiam in deſerto, ollas* Aegypti, & *iritauerunt in ſiccitate, & data eſt eis petitio eorum, & data eſt ſaturitas in animã eorum.* Saturitatem *ſecuta eſt luxuria, & iritatus eſt dominus à ſuperbis* Datham, Chore, & Abyron. Et *ſiue pro igne alieno, ſiue pro ſuperbia contra Moyſen uſa, aperta eſt terra, & deglutiuit eos uiuentes.* Populus *autem liberatus, immemor liberatoris ſui, memoratur ſuperſtitiones* Aegypti. Quibus *memor aurum ſuum in uituli ſimilitudinem fundit, adorat opera manuum ſuarum.* Oblitus *eſt eum qui liberauit eum, pro quo facto dum uellet dominus diſperdere eos, ſtetit Moyſes dicens:* Domine de le me *de libro tuo, ſi iſtis non parcis.* Putas *ne tu ò Moyſes plus miſericors es, quàm ille qui blaſphematus manna pluit, qui contemptus de terra producit aquas.* Non *tu plus miſericors, ſed uoluit dominus affectum tuum ducibus populi recitari, ut ſic agant circa peccantes, ſicut te feciſſe cognoſcunt, non cito damnent, ſed uolentem dominum condemnare, ſuis precibus flectant.* Audi *quid cantas:* Dixit, *inquit, ut deſperderet eos, ſi non Moyſes ſtetiſſet in confractione & ſeditione qua moueri cœperat, & agi populus:* Stetit, *inquit, in conſpectu eius, ut auerteret iram eius, ne diſperderet eos.* Iam *ſi placet, quia longus*

gus eſt pſalmus, tranſeamus ad cauſam noſtram ab hiſto ria Iudæorũ. Omnia enim nobis iſta poſt baptiſmatis con ſecrationem eueniunt. Ingredimur enim per baptiſmum terram fluentem lac, & mel. Et poſt hæc pro nihilo habe mus terram deſiderabilem, quando polluimus terrã cor poris noſtri. Non enim uere credimus uerbis dei perpe= tuum incendiũ comminantibus propinquis temporalib. factis. Et quia deo non credimus murmuramus in taber naculis mentium noſtrarũ, quia non exaudiuimus uocẽ domini. Qua fronte dicimus deo: Exaudi uocem noſtrã, qui non exaudimus uocẽ domini. Inſuper etiã conſecra= mus Bilſegor, uentri & libidini ſeruientes, aut illos coli= mus, qui colũt uentres noſtros, aut illos quorũ perſona à mundo ſuſcipitur. Quos cũ ſciamus, aut turpes in factis, aut iniuſtos in iudicio, tamẽ quia potentũ amicitijs copu lantur, aut ipſi potentes ſunt, hos in ſacerdotio conſecra mus, hos dignos clamamus & iuſtos, per quos manduca mus mortuorum ſacrificia. Hij enim qui offerunt ſiue pe cunias, ſiue munera eccleſijs, et mortui ſunt in peccatis ſu is, propterea utiq; offerũt, ut noſtris precib. reuiuiſcãt: nos uero peiora ſcelera cõmittentes, illa quæ offerunt ſa crificia mortui comedimus, illi aũt in ſua morte perdu= rant, quia noſtro nõ reuocabũtur exemplo: ſic fit ut irite mus dominũ in his ſtudijs noſtris, et multiplicatur ſuper nos ruina. Pereunt urbes, pereunt prouinciæ, quia per= eunt diſciplinæ. Supereſt ut ſtet Finees, & exoret pro no bis, id eſt, ſtet populus martyrũ, qui non timuerunt ſicut Finees ſanguinem fundere. Vt his orantibus ceſſet à no= bis quaſſatio, ut hoc quod euadimus, quia noſtra iuſtitia nulla

Sic legẽdum cenſeo. cõmi nanti pro ini quis tẽpora= libus factis.

nulla eſt, illorum reputetur iuſtitiæ, à generatione & generatione uſq; in æternum. Nunc uidendum eſt, qualiter *& nos ſicut illi iritamus dominum ad aquam contradictionis,ita ut uexetur* Moyſes *propter nos,qui exacerbamus ſpiritum eius.* Ita ut dixi, *liquet pſalmus hic in hiſtoria,ut penitus & expoſitor neceſſarius non ſit. Sed quia à litera ingreßi ſumus infra literam, uideamus quomodo iritetur dominus ad aquam contradictionis.* Poſt ba*ptiſma unum, aqua nobis contradictionis exoritur,contradicitur nobis aqua baptiſmatis:unus enim deus,una fides,unũ baptiſma.* Ibi *uexamus* Moyſen. Moyſes *lex dei eſt,uexamus legem eius contẽnentes præcepta eius.* Inſu*per etiam exacerbamus ſpiritum eius ſanctum, in quo ſignati ſumus in die redemptionis.* Hoc *autẽ facimus,quando non diſperdimus gentes quas dixit dominus, quando nutrimus uicia, amantes ea quæ odit dominus commiſcemur inter gentes,ſimilia aut peiora facientes, quàm gentes quæ ignorant deum. Seruimus ſculptilibus eorum, deum habentes uentrem & gloriam in ſtercore.* Hinc *naſcitur nobis ſcandalum,id eſt,libido.* Tunc *immolamus filios noſtros & filias noſtras dæmonijs, id eſt, ſenſus noſtros, qui ex nobis quaſi filij naſcuntur.* Et *cogitationes noſtras dæmonijs tradimus.* Effundimus *ſanguinem innocentem,id eſt, ſanguinem animarum ſimplicium,quæ noſtro exemplo delinquunt. Sanguinem utiq; eorum ſacrificamus ſculptilibus* Cham. *Cham irriſor patris eſt. Hij ergo qui irrident legem dei noſtri, his eos ſacrificamus qui noſtro exemplo delinquũt.* Iacent *enim ante ora eorum,de ipſis loquuntur,de ipſis riſus,de ipſis iocus,de*

ipſis

ipſis opprobria uniuerſa reperiunt. Ille monachus hoc egit, ille clericus hoc. illa ſanctimonialis hoc, ſic interficitur terra ſanguinibus, id eſt. terrenæ mentes interficiuntur hoc ordine, ſi ille qui ſanctus uocatur & nonnus ſic agit, ego quis aut quotus ſum ut nō agam, ſic interficitur uicio noſtro terra ſanguinibus, & contaminatur in operibus noſtris. Quia fornicamur in obſeruationibus noſtris, id eſt, in propoſito ſancto poſiti, aut corde, aut opere fornicamur. Ideo iraſcitur dominus ſuper populum ſuum, & abominatus eſt hæreditatem ſuā. Ideo tradidit nos in manu inimicorum, & dominantur noſtri qui oderunt nos. Et tribulant nos inimici noſtri, & humiliāt nos ſub pedibus ſuis, ſæpe diximus: Parce domine, & ſæpe liberauit nos. Nos autem iterum liberati exarſimus in cogitationibus noſtris. Nihil nobis ſupereſt, niſi ut de iſto corpore exeamus. Si cōtempſimus quæ paßi ſumus, quæ paſſuri ſumus contemnimus. Ibi enim paßio finem nō habet, iam ex integro pœniteamus. Quia ſicut contemnentes deum, deum nobis fecimus cōtemnentem. ita dum pœnitemur ex animo, deum nobis fecimus pœnitētem. Nos pœnitemur, quia contempſimus: ille pœnitetur ſe dictaſſe ſententiam. Tu facta renouas, ille ſententiam: tu pœniteris, & ille pœnitetur ſecundum multitudinem miſericordiæ ſuæ, & tollens à nobis iram, dat nobis miſericordiam, in conſpectu omnium qui ceperunt nos. Clamamus ergo ad ſaluatorem ex animo dicentes: Saluos fac nos domine deus noſter, & congrega nos de nationibus, ut ultra non ſeruiamus peccato, Nec mores noſtri ſimiles ſint gentibus, quia etiāſi in gentibus diſpergamur, ſicut Daniel

Nonnus hoc uerbo Aegyptio ni fallor uſus eſt Hier.

niel & tres pueri, non ſumus inter gentes, ſi eis moribus non miſcemur: Quin imò gloriamur in laude eius, cum uidentes homines opera noſtra bona, laudant & benedicunt deum Iſrael, & dicet omnis populus, fiat fiat, id eſt, fiat fiat ſemper tale opus eſt in quo benedicatur deus, qui regnat in ſecula ſeculorum Amen.

Alleluia alleluia. CVI.

Confitemini domino quoniam bonus, quoniã in ſeculum miſericordia eius. Dicant nunc qui redempti ſunt à domino quos redemit de manu inimici, & de regionibus aggregauit eos. A ſolis ortu & occaſu, ab aquilone & mari. Errauerũt in ſolitudine in inaquoſo, uiã ciuitatis habitaculi nõ inuenerũt. Eſuriẽtes et ſitiẽtes, anima eorum in ipſis defecit. Et clamauerunt ad dominum cum tribularentur, & de neceſſitatibus eorum eripuit eos. Et deduxit eos in uiam rectam, ut irent in ciuitatem habitationis. Confiteantur domino miſericordiæ eius, & mirabilia eius filijs hominum.

Quia ſatiauit animam inanem, & animam eſurientem ſatiauit bonis. Sedentes in tenebris & in umbra mortis, uinctos in mendicitate & ferro. Quia exacerbauerunt eloquia dei, & conſilium altiſſimi irritauerunt. Et humiliatum eſt in laboribus cor eorum & infirmati ſunt, nec fuit qui adiuuaret. Et clamauerũt ad dominũ cum tribularentur, & de neceſſitatibus eorum liberauit eos. Et eduxit eos de tenebris, & umbra mortis, & uincula eorum diſrupit. Confiteantur domino miſericordiæ eius, & mirabilia eius filijs hominũ. Quia contriuit portas æreas, & uectes ferreos confregit. Suſcepit

eos de

eos de uia iniquitatis eorũ, propter iniuſtitias enim ſuas humiliati ſunt. Omnẽ eſcam abominata eſt anima eorũ & appropinquauerũt uſq; ad portas mortis. Et clamauerunt dominũ cũ tribularentur, & de neceßitatibus eorum liberauit eos. Miſit uerbũ ſuum & ſanauit eos, & eripuit eos de interitionibus eorũ. Confiteantur domino miſericordiæ eius, et mirabilia eius filijs hominũ. Et ſacrificent ſacrificiũ laudis, & annuncient opera eius in exultatione. Qui deſcendũt mare in nauibus, facientes operationẽ in aquis multis. Ipſi uiderũt opera domini, & mirabilia eius in profundo. Dixit & ſtetit ſpiritus procellæ, & exaltati ſunt fluctus eius. Aſcendũt uſq; ad cœlos & deſcendunt uſq; ad abyſſos, anima eorũ in malis tabeſcebat. Turbati ſunt & moti ſunt ſicut ebrius, et omnis ſapientia eorum deuorata eſt. Et clamauerũt ad dominum cum tribularẽtur, & de neceßitatibus eorum eduxit eos. Et ſtatuit procellam eius in auram, & ſiluerunt fluctus eius. Et lætati ſunt quia ſiluerunt, & deduxit eos in portum uoluntatis eorũ. Confiteãtur domino miſericordiæ eius, & mirabilia eius filijs hominum. Et exaltent eum in eccleſia plebis, & in cathedra ſeniorum laudent eum. Poſuit flumina in deſertum, & exitus aquarũ in ſitim. Terram fructiferam in ſalſuginẽ, à malicia inhabitantium in ea. Poſuit deſertum in ſtagna aquarũ, & terram ſine aqua in exitus aquarum. Et collocauit illic eſurientes, & conſtituerunt ciuitatem habitationis. Et ſeminauerunt agros & plantauerunt uineas, & fecerunt fructum natiuitatis. Et benedixit eis & multiplicati ſunt nimis, & iumẽta eorum nõ minorauit.

Et panci

Et pauci facti ſunt, & uexati ſunt à tribulatione malorũ & dolore. Effuſa eſt contentio ſuper principes & errare fecit eos in inuio & non in uia. Et adiuuit pauperem de inopia, & poſuit ſicut oues familias. Videbũt recti & lætabuntur, et omnes iniquitas oppilabit os ſuũ. Quis ſapiens & cuſtodiet hæc & intelliget miſericordias domini.

COMMENTARIVM.

Tertium alleluia canitur in pſalmo cẽteſimoſexto, in quo uſus noſter cottidianus retexitur. Audi No*uatiane audi de quibus loquitur, uult enim in iſto pſalmo agere contra te ſpecialiter ſpiritus ſanctus.* Tu e*nim dicis, qui adhuc nõ ſunt redempti, ipſi poſſunt ad indulgentiam per pœnitentiam peruenire.* Nos *dicimus, illi per fidem ſolam ad indulgentiam attingunt.* Iſti *autem qui iam redempti ſunt, nõ per fidem ſolam, quia iam crediderunt, ſed per pœnitentiam, perueniunt ad miſericordiam redemptoris.* Denique *audi quid dicat.* Dicant, *inquit, hij qui redempti ſunt à domino, quos redemit de manibus inimicorum, utiq; per baptiſmum de regionibus, congregauit eos, utiq; ad fidem, à ſolis ortu & occaſu, ab aquilone & mari.* Hij *errauerunt, id eſt, à recti tenore receſſerunt, paßi ſiccitatem in uia, id eſt. in Chriſto ambulantes, quia ipſe eſt uia.* Paßi *ſiccitatẽ ſermonis, dum nullus docet, nullus exhortatur, aut nullus eſt cuius exẽplo perfunderentur.* Paßi *ſiccitatem errauerunt, & ciuitatẽ habitationis non inuenerunt, non inuenerunt cuius exẽplo ſpiritaliter uiuerent, ſed deſertum huius mũdi paßi, eſurientes & ſitiẽtes anima eorum in ipſis defecit.* Quia

cibum

cibum uerbi dei & boni exempli non habuit, & clamauerunt ad dominũ cum tribularentur, id eſt, dum pœnitẽrentur. Et de neceßitatibus eorum liberauit eos. Reduxit eos in uiam rectã, *per pœnitentiã ſunt reuocati ad Chriſtum, ut per ipſum perueniant ad ciuitatẽ habitationis, & poßint refici ſermonibus ſanctis.* Confiteantur domino miſericordiæ eius, & mirabilia eius filijs hominum. Quia ſatiauit animã quæ fame peribat, & animã eſuriẽtem. *Quid eſurientẽ?* Bona utiq; *quæ nõ habebat eſurientem. Ergo bona ſaturauit bonis pœnitentem, & ſedentẽ non in ſchematibus mundi, nõ in publico gloriantem, ſed ſedentẽ in tenebris, & in uinculis in mẽdicitate & in ferro. Quare hoc, inquiunt mundi homines, quid ſibi uolũt iſti religioſi plorare, ſedere in uinculis, ſedere in tenebris? Vbi eſt ſcriptũ? Ecce hic ſcriptum eſt, quia illam animam reſpicit deus, quæ ſedet in tenebris & in uinculis, pro eo quod exacerbauerit dominũ, & conſilium altißimi ſpreuerit. Qui humiliãt in labore & ieiunijs cor ſuũ. Quia ergo cor contritũ ac humiliatum deus non deſpiciet, audi quid ſequitur: Clamauerunt, inquit, non cum epularentur, ſed cũ tribularentur. Ipſi enim ſibi imponũt tribulationis iugum: ne forte dum præterita facta ad indulgentiã peruenire poſtulant, incurrant præſentia. Lætus enim animus facile lapſum incurrit, quod triſti & afflicto difficile euenit. Humilietur ergo in labore, ieiunio cor noſtrum, non eum lætificent uino, & oſtendentes infirmitatem noſtrã medico cœleſti, clamemus ad eum. Ipſe enim educet nos de tenebris & de umbra mortis. Et uincula noſtra diſrumpet, ita ut confiteamur ei, quia contri*

uerit nobis portas æreas. Portæ æreæ ſunt conſuetudines uitioſæ, quæ ſic claudunt nos, ut propemodũ etiam arbitriũ noſtræ libertatis includant. Nanq; qui conſueuimus uerbi cauſa iurare, iurare iam nolumus, ſed quaſi porta clauſa huius conſuetudinis, uolentẽ egredi non ſinit. Sic enim fit, ut etiã non uolens ex ore meo proferã iuramentum. Sic et de uniuerſis uitijs dictũ puta. Quia in ipſis uitijs, uelut in portis æreis impingimus, fugiẽtes & uolentes egredi nõ ualemus. At ubi tribulantes clamauerimus ad Chriſtũ, confringet portas æreas, & uectes ferreos cõminuit. Vectes enim ferrei immũdi ſpiritus ſunt, qui portas nobis impiæ conſuetudinis claudunt. Hic ſi ſeſe ſubduxerit dominus, libertas ipſa noſtri arbitrij euaneſcit. Sed non ſe ſubducit dominus, niſi in ſpiritu tribulanti cum lachrymis exoretur. Mittet enim uerbum ſuum ſicut miſit ante filiũ ſuum. Mittit eum & ſanat nos, et ſicut redemit nos de manu inimici, ita nunc eripit nos de interitu noſtro. Confiteãtur ergo domino pluraliter miſericordiæ eius, & mirabilia eius filijs hominũ, ut ſacrificent ſacrificiũ laudis. Ideo annũcient opera eius in exultatione, et nõ in tribulatione: Hij, inquit, qui deſcendunt mare in nauibus. Mare deſcendũt in nauibus, qui in conuerſatione ſancta in iſto mundo degunt. Ipſi enim faciunt operationem in aquis multis, id eſt, & uerbo & exẽplo ſuo, eorũ qui eos aut audiunt, aut imitantur operationẽ, in aquis multis facere referũtur. Ipſi uident opera domini cotidie, ad hoc uacant ut uideãt opera domini, quæ iſte mundus ſic dum fruitur non uidet. Hij aũt non ſolum opera domini uident, ſed mirabilia eius in profundo conſiderant. Verũ quia

Tribulanti dicis Græce, pro eo qui tribulatur.

quia nullus iuſtus ſine tentatione trāſijt, audi quid de eis dicatur: Aſcendunt,inquit, uſq; ad cœlos. Quid eſt aſcendunt? Diſce in Petro,ut quod in ipſo inueneris,in omnibus cernas. Aſcendit Petrus uſq; ad cœlos,dicēs domino: Etiam ſi oportuerit me tecū mori,non te negabo. Deſcendit uſq; ad abyſſos,cum negat. Poſt hæc ita turbatus eſt et motus, ſicut ebrius. Et omnis ſapientia eius ita deglutita eſt,ut niſi clamaſſet ad dominum cū tribularetur, & ploraret amariſsime, non de his neceſsitatibus euaſiſſet: fleuit ergo & ſtatuit ei procellam in auram. Audi dicentem dominum: Petre, ait, petit ſathanas,ut uentilet uos ſicut triticum in area. Ego autem interceſsi pro te: quaſi qui dicat, ſtatui tibi procellam in aura,& feci ut ſileant à te fluctus eius. Lætatus eſt Petrus, quia ſiluerunt, & deduxit eum in portum uolūtatis ſuæ,in eccleſia ſine dubio. Vbi exaltent eum in eccleſia populi. Et in cathedra ſeniorum laudant eum,quia poſuit flumina in deſerto,id eſt,in deſerto huius ſeculi perambulās,quouſq; perueniret ad Romam, prædicauit baptiſmū Ieſu Chriſti, in quo uniuerſa flumina benedicuntur uſq; hodie à Petro. Ipſe poſuit exitus aquarū in ſitim,ita ut q exierit foras ab eccleſia Petri, ſiti pereat. Poſuit terram fructiferam in ſalſuginē. Sicut ſalſugo terram à fructu reuocat,ita litera mundi à fructu ſpiritali reuocat mētes. Sed per Petrum in ſalſugine literarum poſitam Romam,fecit eam fructum afferre. Vnde autem ipſa terra ſalſuginē haberet expreſsit: A malitia, inquit, hominū inhabitantiū in ea. Et adiecit: Poſuit, inquit,deſertū ab aquis, quæ peccata lauant. Poſuit in ſtagno aquarū,abundant aquæ baptiſmatis, Martyrū pœni-

tentiæ eleemoſynarũ abundant in deſerto iſto, quod ante Petri aduentum ſiccũ fuit & aridum, hoc nunc excultũ eſt cum conſtitueretur in eo ciuitas eccleſiæ, in qua cotti die ſeminantur agri, & plantantur uineæ, ut fiat fructus natiuitatis, quos benedixit deus, et fecit ut multiplicaren tur. Sed poſt hæc perſecutio facta eſt, & pauci facti ſunt. Multi enim uocati, pauci uero electi. Pauci uero ad mar tyrij palmã attingere meruerunt. Quando effuſa eſt con tentio ſuper principes mundi. Tunc ſeduxerũt eos in in= uio, & nõ in uia, id eſt, in idolis & nõ in Chriſto, qui uia eſt. Sed adiuuauit dominus pauperem de mendicitate, & reſpexit, quia tentationes ferre populus credens ei omni no nõ poterat. Adiuuauit eum de mendicitate uirium, et poſuit ſicut oues familias in uniuerſam faciem terræ, ſta= tuens eis paſtores & paſcuas, quæ uidentes recti lætabun tur. Non recti uero murmurabũt, ſed iniquitas omnis ad uerſus eccleſiã dei, & aduerſus oues & paſtores iam ob= ſtruxit os ſuum. Qui ſapiẽs eſt intelligit hæc, & cum in= tellerit, nihil aliud intelligit, niſi miſericordiam domini, qui regnat in ſecula ſeculorum Amen.

Canticum pſalmi ipſi Dauid. CVII.

PAratum cor meum deus paratum cor meũ, & can tabo & pſallam in gloria mea. Exurge pſalteriũ & cythara, exurgam diluculo. Confitebor tibi in populis domine, & pſallam tibi in nationibus. Quia magna eſt ſuper cœlos miſericordia tua, et uſq; ad nubes ueritas tua. Exaltare ſuper cœlos deus, & ſuper omnẽ terram gloria tua liberentur delecti tui. Saluum fac de xtera tua & exaudi me deus locutus eſt in ſancto ſuo.

Exultabo

Exultabo & diuidam ſiccimã, & conuallem tabernaculorum dimetiar. Meus eſt Galaad, & meus eſt Manaſſes, et Effraim ſuſceptio capitis mei. Iuda rex meus, Moab lebes ſpei meæ. In Idumæam extendam calciamentum meum, mihi alienigenæ amici facti ſunt. Quis deducet me in ciuitatem munitam, quis deducet me uſq; in Idumæam. Nonne tu deus qui repuliſti nos, & non exibis deus in uirtutibus noſtris. Da nobis auxilium de tribulatione, quia uana ſalus hominis. In deo faciemus uirtutem, & ipſe ad nihilum deducet in inimicos noſtros.

COMMENTARIVM.

PSalmus centeſimus ſeptimus ex duorum pſalmorũ finibus probatur eſſe cõſtructus, ex parte quinquageſimiſexti & quinquageſiminoni. Quã conſiderationem, ſi diligenter ſenſus ſpiritalis attendat, uidit ſatis neceſſarium deo cor ſuum, & omnes occaſiones mundi ab eo ſeparans, paratum deo alludet in pſalmo et in uerbo congeminat. Quid eſt enim dicere deo: Paratũ cor meum, niſi hoc, ut dicat ei, Veni domine paratũ cor meum, & in rem tibi præparatam ingredere, ut cantem & pſallam in gloria mea. Quam autẽ ſuam gloriam me moraret adiunxit: Exurge, ait, gloria mea in pſalterio et in cythara, ut in ipſam gloriam exurgam diluculo, mox ut mihi auxilium tuum fulgeſcens, tenebras à me meorũ excluſerit peccatorum, tunc & in populis confitebor, et dicam: Quia non ſum dignus uocari ſeruus tuus pro peccatis meis, nõ me iactabo in ſuperbia, etiam cum me per indulgentiam tuam mundatum agnouero. Sicut ille qui uas electionis factus clamabat dicens: Non ſum dignus

uocari Apoſtolus. Et *hæc confeſſus in populis domino, cœpit pſalmum dicere inter gentes*. *Quem pſalmum* Paulus *cecinit inter gentes?* Hũc *ſine dubio*, *Quia magnificata eſt uſque ad cœlos miſericordia eius*. *Qui uenit in hunc mundũ peccatores ſaluos facere, quorum primus, ait, ego ſum*. Et *hæc ueritas eius, uſq; ad nubes peruenit, id eſt, uſq; ad* Apoſtolos *peruenit ueritas qui eſt* Chriſtus. Iam *prophetæ ſilent, ſoli* Apoſtoli *loquuntur*, & Apoſtolorum *diſcipuli*. *Quid loquuntur? Quia exaltatus eſt ſuper cœlos deus dei filius*, & *ſedens ad dexteram patris, ſuper omnem terram eius gloria prædicatur, ut liberentur in toto orbe terrarum, qui ſunt delecti eius, in quibus clamat eccleſia: Saluũ me fac dextera tua, & exaudi me*. Niſi *enim dextera eius traxerit ab inferis animã noſtrã, id eſt, ab inferis cogitationibus, non ſaluamur à deſcendentibus in lacum, id eſt non eripimur, ſed à fornicationis laqueo innodamur*. *Sed ſicut non eripimur, niſi per dexteram eius, ſic non eripit nos dextera eius, niſi dicamus credẽtes*. *Saluum me fac dextera tua & exaudi me*. Ad *hæc deus, inquit, locutus eſt in ſancto ſuo, id eſt, in domino* Ieſu Chriſto *locutus eſt deus*. Exultabo & *diuidam* Siccimam. *Ciuitas eſt quam* Hebræi *humiliauerũt in gladio, quia ſoror eorũ ibi corrupta fuerat*. Nunc *uero quia mens eorũ corrupta eſt, in gentes miſit deus filium ſuum, qui hãc urbem gentium tollat de poteſtate* Hebræorum. Et *diuidam eam* Apoſtolis, & *conualles tabernaculorũ eius metiar in tres partes, ita ut ipſas tres partes in uno regno coniungam*, & *ſit trinitas dei in trinitate populi* Hebræorũ, Græcorum & Latinorũ. Ex *his tribus catur*

in

in cunctis partibus mundi ut noſtri ſint omnes per fidẽ, qui ſine fide noſtri eſſe non poſſunt. Sint noſtri Galaad & Manaſſe in gentibus, & Effrem fortitudo capitis noſtri in benedictionibus. Sit Iuda rex meus in Chriſto, ſit Moab olla ſpei meæ. Moab filia Loth, ex quo Moabitæ ſunt gentes, quæ angelis ducibus euaſit pluuias igneas de cœlo uenientes, pro qua rogat, ut non ardeat in Sodomiticijs flammis, ſed in ſpiritu ferueat ſancto, & cum filijs ſuis, id eſt, gentibus quæ ignorant deũ, ſit olla ſpei meæ: In Idumæã, inquit, id eſt, in habitationẽ gentium. Ibi extẽdam calciamentũ meum, non inde fugiant diſcipuli mei, excutientes puluerem de pedibus ſuis; ſed ibi eant extendentes calciamentum ſuum, ut dicatur de eis: Quàm ſpecioſi pedes euangelizantium pacem, euangelizantiũ bona. Hæc aũt & nobis eueniẽt ut euadamus calores Sodomiticos, & flammis ſancti ſpiritus accendamur, ſi Allophylos conemur euincere, & eos quotienſcunq; contra nos arma corripiũt, id eſt, immundos ſpiritus ſubiugare nitamur, ut merito dicamus, Mihi Allophyli ſubditi ſunt Quibus ſubditis, quis deducet nos in ciuitatem munitã, niſi filius dei. Aut quis deducet nos in Idumæã, niſi dominus Ieſus Chriſtus. Ipſe enim dat nobis auxiliũ. Vnde nobis dat auxiliũ? de exultatione an de tribulatione? De tribulatione, inquit, quaſi qui dicat non meretur auxilium conſequi, qui ſe tribulantẽ non exhibet Chriſto, & crediderit, quia uana ſalus eſt in homine. In deo enim facimus uirtutẽ. Quam uirtutẽ? Vt uicia per conſuetudinẽ ſubiugentur, & uirtutes animi ſublimẽtur. His incũbentes ſtudijs, in deo faciamus uirtutem, & ipſe ad nihilũ rediget

tribulantes nos, qui regnat in ſecula ſeculorum Amen.

In finem pſalmus Dauid. CVIII.

DEus laudem meã ne tacueris, quia os peccatoris & os doloſi ſuper me apertum eſt. Locuti ſunt aduerſum me lingua doloſa, & ſermonibus odij circundederunt me, & expugnauerunt me gratis. Pro eo ut me diligenter detrahebant mihi, ego autẽ orabam.

Et poſuerunt aduerſum me mala pro bonis, & odium pro dilectione mea. Conſtitue ſuper eum peccatorem & diabolus ſtet à dextris eius. Cum iudicatur exeat cõdemnatus, & oratio eius fiat in peccatum. Fiant dies eius pauci, & epiſcopatum eius accipiat alter. Fiant filij eius orphani & uxor eius uidua. Nutantes tranſferantur filij eius & mendicent, eijciantur de habitationibus ſuis. Scrutetur fœnerator omnem ſubſtantiam eius & diripiant alieni labores eius. Non ſit illi adiutor, nec ſit qui miſereatur pupillis eius. Fiant nati eius in interitum, in generatione una deleatur nomen eius.

In memoriam redeat iniquitas patrum eius in conſpectu domini, & peccatum matris eius non deleatur.

Fiant contra dominum ſemper, & diſpereat de terra memoria eorum, pro eo quod non eſt recordatus facere miſericordiam. Et perſecutus eſt hominem inopem & mendicum, & compunctum corde mortificare. Et dilexit maledictionem & ueniet ei, & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo. Et induit maledictionem ſicut ueſtimẽtum & intrauit ſicut aqua in interiora eius, & ſicut oleum in oſsibus eius. Fiat ei ſicut ueſtimentũ quo operitur, & ſicut zona qua ſemper præcingitur.

Hoc

Hoc opus eorum qui detrahunt mihi apud dominum & qui loquuntur mala aduerſus animam meam. Et tu domine fac mecum propter nomen tuum, quia ſuauis eſt miſericordia tua. Libera me quia egenus & pauper ſum ego, & cor meum conturbatum eſt intra me. Sicut umbra cum declinat ablatus ſum, & excuſſus ſum ſicut locuſtæ. Genua mea infirmata ſunt à ieiunio, & caro mea immutata eſt propter oleũ. Et ego factus ſum op probriũ illis, uiderunt me et mouerunt capita ſua. Adiuua me domine deus meus, ſaluũ me fac propter miſericordiam tuã. Et ſcient quia manus tua hæc, & tu domine feciſti eam. Maledicent illi & tu benedices, qui inſurgunt in me confundantur, ſeruus autem tuus lætabitur. Induantur qui detrahunt mihi pudore, & operiantur ſicut diploide confuſione ſua. Confitebor domino nimis in ore meo, & in medio multorum laudabo eũ.

Qui aſtitit à dextris pauperis, ut ſaluam faceret à perſequentibus animam meam.

COMMENTARIVM.

VEnimus ad pſalmum centeſimum octauũ, quem Apoſtolus Petrus interpretatur in Iudam Iſchariotem. Huius nos pediſſequi uiam quam ipſe aperuit ambulemus. homo perfectus interiorem ſuum alloquitur, dicens: Deus laudem meam ne tacueris, quaſi qui dicat: homines uituperationes in me excitant falſas. Tu deus meus laudem meam non taceas. Redi ad conſcientiam tuam ò homo dei, qui Chriſtum ſequeris. Et cum os peccatoris & doloſi ſuper te apertum fuerit, gratulare, ſecurus eſto. Quia os peccatoris ad uituperationem

tuam aperitur in terra, & ad laudem tuam os Dei *aperitur in cœlo.Loquantur aduerſum te,ſicut phariſæi contra dominum lingua doloſa, & ſermonibus odij circumeant te, & expugnent te gratis.* Nota *tibi gratis non uitio tuo ſit,non culpa tua ſit,ſed eorum mendacium ueritati tuæ ſeruiat. Seruit enim mendacium ueritati,ſi famam non timeas hominum.* Nihil *enim agit falſus teſtis, niſi ut ipſam commaculet. Si times hoc, ſeruus effectus es: ſi non times liber es.* Time *ergo ſolum* Deum, *& de bona conſcientia præſumens,ſentiat ſe propoſiti tui famã eſſe ancillã,& eam compelle ſeruire magis quàm imperare uirtuti.*Nam *ſi eam timueris,eris omnium qui obtrectare poterunt ſeruus.* Et *timebis uerum dicere,ne de te falſa confingant.* Dicas *forſitan:*Et *quid faciam ſi uulnerauerint opinionem meam.* Hoc *fac quod iſte fecit,cuius carmen exponis:* Pro *eo, inquit, ut me diligerent detrahebant mihi,ego autem orabam.Oſtendit tibi quid facias.* Nunc *ad maledictiones accedentes, caueamus exitum rerum, ne ad homines iſta dirigamus, & putemus nobis hãc regulam datam,quo maledicamus eos qui nos iniquo odio perſequuntur.*Hoc *euangelicus magiſter omnino prohibuit, unde ad principem maliciæ currendum eſt animo.* Et *quotienſcunq; maledictiones cantaueris, ipſi eas quem maledixit dominus decantabis.* Ipſe *enim ponit aduerſum nos mala pro bonis, ſiue dum bona operamur, quia mala nobis per ſuum excitat zelum.Siue dum idola oſtendit,mala pro bonis oſtendit.Siue dum concupiſcentias carnis exagitant, cum ſint mala omnia opera concupiſcentiæ, ille ipſa mala pro bonis oſtentat,*

& odium pro dilectione immittit, ita ut uideatur nobis amare ac diligere, cum ad peccatum tribuit facultatem. Cõſtitue aduerſus eum peccatorem. *Quomodo ſtare po teſt hoc diligenter auſculta.* Aduerſum me conſtituit di= *ſcipulum meum, aduerſus eum conſtituatur diſcipulus e= ius.* Et ſit pſecutor diaboli, *qui perſecutor extiterat* Chri *ſti, & ſtet diabolus à dextris eius ad confutandum, & ad conuincendum.* Stetit diabolus à dextris Pauli, *ita ut iudi cans eum* Paulus, *faceret cum à ſe exire condemnatũ, & totã orationẽ & conſiliũ eius ſtatueret in peccatũ.* Ipſe fe cit dies eius paucos. Paulo *enim gentib. prædicante, non multo tẽpore obtinuit principatũ in tẽplis. Poſt hæc ceſ ſauit princeps eſſe ſup gentes, & magiſteriũ eius accepit ille qui dicebat:* Ego ſum magiſter gentiũ, in fide & ueri tate. *Ille enim fuerat magiſter gentiũ, in infidelitate et fal lacia. Tũc ij quibus dictũ fuerat à domino:* Vos de patre diabolo eſtis, *deiecto incredulitatis rege facti ſunt orpha ni, facta eſt et uxor diaboli uidua. Sicut enim uni uiro de ſponſata eſt eccleſia per fidẽ, ſic per infidelitatẽ nõ ſpon ſa ſed uxor eſt poteſtas incredulitatis, quæ dabat pontifi ciũ dominãdi ſacerdotibus templorũ, ſiue ſynagogæ, ſeu hæreticorum eccleſijs.* Hæc poteſtas deiecto diabolo effi *citur uidua, ita ut anathemati filij eius eijciantur ut mẽdi cent.* Perſcrutatur fœnerator *dominus noſter omnẽ ſub= ſtantiam eius, exigit ab ea, id eſt, ab ipſa poteſtate uſuras uerbi prudentiæ, quibus illa male uſa eſt.* Diripiunt alie= ni omnes labores eius, *oſtenduntur iniuſte docuiſſe, iniu= ſte ſcripſiſſe, iniuſte fabricaſſe. Et iſta omnia diripiunt a= lieni à ſocietate eiuſdem poteſtatis, quæ poteſtas deficiẽs*

in

in ipſo diabolo deum adiutorẽ penitus nõ habet. Nec eſt *qui miſereatur orphani eius: in generatione una, id eſt, in ſolo populo Chriſtiano deletur nomen eius.* Ibi *in memoriam redit iniquitas patrum eius.* Cottidie legitur in *eccleſia in conſpectu dei: quanta mala fecerunt Chriſto, apoſtolis & martyribus, & peccatum matris eius populi, hoc eſt, peccatũ poteſtatis eius non deletur. Sed fit contra dominum ſemper, & perdet de terra memoriam.* Ecce *periit poteſtas perſecutorum, quia ipſi rerum domini ſerui ſunt* Chriſti. Periit *ergo de terra poteſtas.* Illa *quæ non eſt recordata, ut faceret miſericordiam, ſed perſecuta eſt hominem.* Quem *hominẽ? Pauperẽ, inquit, & mendicum.* Chriſtum *utiq; & in paßione & in ſuorum martyrio.* Dilexit *maledictionem* Adæ *quæ per Chriſtum aufertur, & ueniet ei: noluit benedictionem quæ per Chriſtum affertur, & utiq; elongabitur ab eo.* Nota *ex arbitrio eueniſſe ut nollet, propter hæreſim, quæ dicit deum alios prædeſtinaſſe ad benedictionem, alios ad maledictionem.* Hic *enim ex dilectione ſua maledictionem habere probatur, & nolle ſuum benedictionis præmium non habere.* Vnde *& adiecit, quod ipſe ſe induerit maledictionem, ſicut ueſtimentum.* Sicut *enim per fidem dicitur nobis: Chriſtum induiſtis, ita per infidelitatem induit ſe homo maledictum, id eſt, diabolum, qui intrat ſicut aqua ſanctis ad liberandum, ita iſtis ad necandum.* Et *ſicut oleum ſanctis ad exhilarandum, ita impiis ad tribulandum, fitq; eis ipſa maledictio ſicut ueſtimentum quo induti ſunt, & ſicut zona qua præcinguntur.* Hoc *opus eorũ qui detrahũt fidei catholicæ, & qui quærũt mala ſan*

ctis

ctis & orthodoxis definitionibus,quib.dominus facit miſericordiam propter nomen ſuũ.Quia et ſi peccator ſit, quicunq; tamen propter hoc quod rectæ fidei eſt miſericordiam conſequitur: Si cor eius conturbatum fuerit de timore iudicij,et excuſſus fuerit de manu peccati ſicut locuſta,& genua eius infirmẽtur in ieiunio,et caro eius immutata fuerit à pinguedine deſtituta,tunc inueniet miſericordiam:qui licet dicat, & uere dicat:Viderunt me, et mouerunt capita ſua,ſicut phariſæi Chriſto,ita dæmonia in Chriſtiano.Dũ pateretur enim Chriſtus,phariſæi mouerunt capita ſua inſultantes,& dum paßionibus premitur Chriſtianus, uident eum dæmones conſentientem & inſultant ei.Sed argutus dei ſeruus clamat:Adiuua me domine,ut ſciant quia manus tua mecũ,& tu domine fecisti ea.Ea iſto loco ſic accipe,ſicut dixit Pilato dominus: Nõ haberes poteſtatem, niſi data tibi eſſet deſuper, ita paruæ & nos relinquimur tentationi.Et ideo ait:Tu domine fecisti ea,ut moueant ſuper me capita ſua. Sed quia fidelis es,& nõ pateris nos tentari ſupra quàm poßumus, fac ut induantur, ſicut diploidem confuſionem. Diploidis eſt ſiue chlamydis in quadruplici amictu, ſiue quæcũque alia ſpecies,quæ in ante duplex eſt,et à tergo duplex Ergo quadrifariã confuſionẽ induuntur dæmones, quando nos quadrifariam euangeliorũ liberationem arripimus.In qua confitemur domino nimis in ore noſtro,et in medio multorum laudamus eum confitentes.Et quia ipſe eſt qui ſtat à dextris pauperis, ut ſaluet à perſequentibus animas noſtras Chriſtus filius dei,qui regnat cum patre & ſpiritu ſancto in ſecula ſeculorum, Amen.

Pſalmus

Pſalmus ipſi Dauid. CIX.

DIxit dominus domino meo ſede à dextris meis. Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Virgam uirtutis tuæ emittet dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum. Tecum principium in die uirtutis tuæ, in ſplendorib. ſanctorum ex utero ante luciferum genui te. Iurauit dominus & non pœnitebit eum, tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Dominus à dexteris tuis, confregit in die iræ ſuæ reges. Iudicabit in nationibus, implebit ruinas, conquaſſabit capita in terra multorum. De torrente in uia bibet, propterea exaltabit caput.

COMMENTARIVM.

CEnteſimi noni pſalmi caput, & à Phariſæis Chriſtus inquirit, dicẽs: Si dauid in ſpiritu uocat Chriſtum dominum, dicens: Dicit dominus domino meo, ſede à dextris meis. Si ergo inquit, uocat eum dominũ Dauid, quomodo eius eſt filius. Interrogantis eſt iſta oppoſitio, non negantis. Nos enim eum et dei filium ante luciferum ex deo deum genitũ credimus: & Dauid eum filium per partũ uirginis Mariæ profitemur, qui aſcendens in cœlis, ſedet ad dexterã patris, unde uenturus eſt iudex. Habebit inimicos ſuos ſcabellum pedum ſuorũ, ſecundum quod & Apoſtolus dicit: Cũ euacuerit omnẽ principatũ, poteſtatem & uirtutem: tunc oportet illum regnare donec ponat omnes inimicos ſuos ſub pedib. eius. Cuius inimicos ſi interrogas, reſpondebit tibi, eius ſine dubio, cuius uirgam uirtutis miſit dominus ex Sion. Virga uirtutis,

tis, hominis corpus eſt ex uirgine nati, quam uirgam ex Sion miſit dominus, ut dominetur in medio inimicorum ſuorum. Non ergo *ſicut damnabilis Photinus credit, ex Mariæ partu ſumpſit exordium, ſed ante luciferum eſt ex patris ore progenitus. Hic qui per myſterium panis. ac uini ſacerdos factus eſt in æternum, ſecundum ordinē. Melchiſedech, qui panem & uinum ſolus obtulit in ſacerdotibus, dum Abraham uictor reuerteretur de prælio. Videamus nunc quomodo à dextris eius, confracti ſunt in die iræ eius reges. A dextris domini in cruce poſitifixus erat latro, quem ſibi uindicabant reges & principes tenebrarum.* Hos *confregit in die iræ ſuæ.* In *die utiq; iræ,quam patiebatur eorum qui eum crucifigebant, Et confractis his principibus cōquaſſauit capita multa, ita ut capitales criminoſi dicerent, homicida per fidem uno uerbo ſaluatus eſt.* Quare *non & nos credamus?* In *crucem poſitus ille unus, multos nos in terra numeroſo copioſo conuertit.* Per *illum qui de torrēte in uia bibit.* De *torrente iracundiæ Iudæorum in uia bibit calicem paſſionis.* In *uia immaculata ambulans,conquaſſauit capita dæmonum in terra in corpore conſtitutus. Et exaltauit caput hominis tum à confuſione erigit, à confuſione utique primæ præuaricationis. Et niſi filius dei in uia bibiſſet,non exaltaſſet caput hominis deiectum ad terras.* Nō *ergo dicas,quia conquaſſauit capita criminum,Chriſtus ipſe exaltauit caput.* Non *enim dixit exaltauit caput ſuum,ſed ſimpliciter ait:*Propterea,*inquit.quod dijudicauit deus in nationibus,& impleuit ruinas dæmonum.* Vt *ubi abundauit iniquitas eorum, ſuperabundaret Chriſti gratia.*

gratia. Et quia bibit calicem paſſionis de torrente ſeditionis, in illa uia qua dicit ego ſum uia, propterea exaltauit caput in libertate ligni crucis, quod fuerat deiectum in præuaricatione ligni concupiſcentiæ. Agamus ergo ipſi gratias, qui regnat cum patre unus deus cum ſpiritu ſancto in ſecula ſeculorum, Amen.

Alleluia. CX.

COnfitebor tibi domine in toto corde meo, in conſilio iuſtorum & congregatione. Magna opera Domini, exquiſita in omnes uoluntates eius. Confeſſio & magnificentia opus eius, & iuſticia eius manet in ſeculum ſeculi. Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus, eſcam dedit timentibus ſe. Memor erit in ſeculum teſtamenti ſui, uirtutem operum ſuorum annunciabit populo ſuo.

Vt det illis hæreditatem gentium, opera mannum eius ueritas & iudicium. Fidelia omnia mandata eius, confirmata in ſeculum ſeculi, facta in ueritate & æquitate. Redemptionem miſit dominus populo ſuo, mandauit in æternum teſtamentum ſuum. Sanctum & terribile nomen eius, initium ſapientiæ timor domini. Intellectus bonus omnibus facientibus eum, laudatio eius manet in ſeculum ſeculi.

COMMENTARIVM.

CEnteſimus decimus pſalmus in conſilio ſanctorum confitetur magna opera Domini natiuitatis, paſſionis, reſurrectionis, & in cœlos aſcenſionis. Magna hæc opera domini, magna & exquiſita in omnibus uoluntatibus eius. Magna ſunt quidem omnia opera eius

ab

ab initio ſeculi,ſed iſta non ſolũ magna, ſed & exquiſita in omnibus quæ ab initio uoluit & fecit.Confeßio trinitatis & magnificentia deitatis,opus eius, iuſticia eius im mutabilis perſeuerat in ſecula ſeculorum,in qua iuſticia, memoriam fecit mirabilium ſuorum, dicens: Hæc quotienſcunq; feceritis, in mei memoriam facietis. *Quandò hoc dixit,miſericors & miſerator dominus?* Tunc ſine dubio,quando eſcam dedit corporis ſui timentibus ſe.Et hoc teſtamentum memor erit Dominus in æternum, per quod uirtutem operum ſuorum annũciauit populo ſuo. Per quod dedit eis hæreditatem gentium, per quod non in fantaſmate ut anathemabilis Manichæus ſomniatus eſt, ſed & in ueritate in iudicio; & quæcunq; leguntur mandata eius fidelia & ſancta ſunt. Confirmata in Chriſto manentia in ſeculum ſeculi, quia facta ſunt in ueritate.In ipſo utiq; domino noſtro Ieſu Chriſto completa, & in eius æquitate ſunt cuſtodita, quando redemptionem per apoſtolos miſit populo ſuo dicens:Ite baptizate omnes gentes in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti, docentes eos cuſtodire omnia,quæ mandaui uobis. Quia fidelia omnia mandata ſunt, in quibus mandatis ita ſanctum, & ita terribile eſt nomen eius, ut initium ſapientiæ huius timor ſit domini.Nam qui ſine timore eſt,incidit in malum, qui autem timorem dei habet, caput ſapientiæ habet,per quem intellectum habebit bonum,ita ut laus eius maneat in ſeculum ſeculi. Manens imò permanens in timore dei, habebit in Chriſto laudem, & ipſa laus manet in ſecula ſeculorum, Amen.

Alleluia reuerſionis Aggæi & Zachariæ. CXI.

B*Eatus uir qui timet dominum, in mãdatis eius uolet nimis. Potens in terra erit ſemen eius, generatio rectorum benedicetur. Gloria & diuitiæ in domo eius, & iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi. Exortum eſt in tenebris lumen rectis, miſericors & miſerator & iuſtus. Iocundus homo qui miſeretur & commodat, diſponet ſermones ſuos in iudicio, quia in æternum non commouebitur. In memoria æterna erit iuſtus, ab auditione mala non timebit. Paratum cor eius ſperare in* Domino, *confirmatum eſt cor eius, non commouebitur donec deſpiciet inimicos ſuos. Diſperſit dedit pauperibus, iuſticia eius manet in ſeculum ſeculi, cornu eius exaltabitur in gloria. Peccator uidebit & iraſcetur, dentbus ſuis fremet et tabeſcet, deſiderium peccatorum peribit.*

COMMENTARIVM.

V*Ir dei Heſdra propheta cum recapitularet omnem legem, dei nutu quædam adiunxit,* Vnde *etiam* Aggæo & Zachariæ *iſtum titulum conſecrauit. Canamus ergo centeſimum undecimum pſalmũ, & demus laudem eius, quaſi in uno uiro perfecto omnibus ſanctis, ut quod de uno dixerimus, ſit de omnibus dictum.* Et *quod ſingulariter fuerit explanatum, uniuerſalis ſanctitas capiat. Beatus uir qui timet dominum. Finem preteriti pſalmi præſentis principio collocauit, ut hoc quod dixit illius fine, laudem timentis dominum manere inſeculum ſeculi, hic in principio ipſi qui timet dominum beatitudinem applicaret, cuius beatitudinis &*

ſpecies

ſpecies declararet et facta. Quis ergo qui timet dominũ? Sine dubio, qui mandata eius cupit nimis, potens erit ſemen eius in terra non in petroſa, nec ſecus uiam, nec inter ſpinas, ſed in terra bona. Potens eſt & generatio, quæ ex ipſo ſemine naſcitur, ſemper in benedictione erit. Gloria & diuitiæ in domo eius. Audiamus Dei ſapientiam alloquentẽ: Et ſi diuitiæ, inquit, diligantur in hac uita, quid ſapiẽtia locupletius quæ omnia poßidet? Qui ergo ſapientiam intra domum corporis ſui habere meruerit, habet intus gloriam. Habet & diuitias non caducas, non quas tinea exterminat, non quas fures rapiunt; ſed illas diuitias, quas memorat in ſeculum ſeculi permanere, per quas orietur in tenebris huius mundi lumen rectis corde; quorum uidentes homines opera, glorificent patrem qui eſt in cœlis, ſit tantum miſericors & miſerator homini. Sicut ſibi uult homo effici dominum, ſit pius ſit iocundus, miſereatur & cõmodet, & in iudicio non perſonam inopis confundat, & potentis accipiat, quod ſi non fecerit in æternũ non cõmouebitur. Memoria autem eius æterna erit, & dum cœperit tuba ſonare de cœlo, dum cœperit ignis ſtrepitu gehẽnæ frendentibus globis flammas euomere, hic penitus non timebit. Quare? Quia paratum ſemper fuit cor eius ſperare in domino. Ideoq; confirmato corde non cõmouebitur, donec uideat inimicos ſuos in ipſum mitti incendiũ. Omnes ſcilicet immundos ſpiritus, qui ab inimicitijs, quàm diu ſumus in iſto corpore, omnino nõ ceſſant. Verũ quia, ut dixi, ſi unum aliquem beatum iſtum uirũ in iſto opere nominat; omnibus applicabitur, qui eiuſdem facti ſimilitudinem

perpetrant: ſic dicam in beato Laurentio hæc omnia & prophetata & facta. Diſperſit enim omnia, et dedit pauperibus, non repoſuit, non occultauit, diſperſit & dedit pauperibus. Ideo *iuſticia eius temporalis non eſt, ſed permanet in æternũ, & cornu eius, id eſt, Chriſtus eius, qui in ipſo regnat, exaltatur in gloria.* Hoc *peccator uidit rex amariſſimus, uidit quoniam diſperſit et dedit pauperibus, dentibus cœpit fremere & tabeſcere, ſed deſiderium peccatoris periit. Deſiderium autem iuſti martyris, manet in ſecula ſeculorum, Amen.*

Alleluia alleluia. CXII.

L*Audate pueri dominum, laudate nomen domini. Sit nomen domini benedictum, ex hoc nunc & uſque in ſeculum.* A *ſolis ortu uſque ad occaſum laudabile nomen domini.* Ex*celſus ſuper omnes gentes dominus, & ſuper cœlos gloria eius.* Q*uis ſicut dominus deus noſter qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cœlo & in terra.* S*uſcitans à terra inopem, & de ſtercore erigens pauperem.* Vt *collocet eum cũ principibus, cum principibus populi ſui.* Q*ui habitare facit ſterilem in domo, matrem filiorum lætantem.*

COMMENTARIVM.

V*Enite pueri, nolite expectare, nolite dicere nondum ſenes ſumus.* Ordo *naſcendi eſt, ordo uero moriendi non eſt.* Venite *ergo pueri, non ad laborem aliquem, ſed ad laudem.* Laudate *pueri dominum, laudate nomen domini in Chriſto.* In *ipſo enim nomen domini benedicitur, ex hoc nunc & uſq; in ſecula.* Non *in Iudæa ſola, ſed in omnem terram à ſolis ortu uſque ad occaſum* lau-

laudabile eſt factum in Chriſto nomen domini. Antea enim quot gentes, tot & ſectæ tot & dij, ſed ab aduentu domini Ieſu Chriſti, ita hæ omnes ſuperſtitiones à gentibus renunciatæ ſunt, & unum laudant deum et confitentur in Chriſto. Ipſe eſt enim excelſus ſuper omnes gentes dominus, cuius in terra quidem magna humilitas extitit, ſed ſuper cœlos magna eſt gloria eius. Quis enim ſicut Dominus deus noſter qui in altis habitans, & humilia reſpicit, non ſicut de tecto attendit ad terram, ſed quum in forma dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui ſuſcipiens, ut ſuſcitaret de terra inopem illum cui dixerat iratus: Terra es & in terram ibis. Hunc ſuſcitauit de terra inopem, quia perdiderat diuitias uitæ æternæ & paradiſi. Hunc de ſtercore erigit in Chriſto, & collocauit eum cũ principibus, id eſt, cum Apoſtolis, qui ſunt principes populi Dei. Et quis eſt qui collocauit eum? Ille ſine dubio qui eum aſſumpſit, filius utique Dei filium hominis. Vbi collocauit eum cum principibus populi? Sine dubio ubi fecit habitare in domo eam quæ ſterilis fuerat, habitare in domo, id eſt, ipſam domum fieri, & dixit ei: Lætare ſterilis quæ non paris, quia multi filij deſertæ magis quàm eius quæ habet uirum, et fecit eam matrem in filijs exultantem. Sanctam utiq; eccleſiam, in qua trinitas regnat patris & filij & ſpiritus ſancti, in unitate deitatis, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.

Alleluia Alleluia. CXIII.

IN exitu Iſrael de Aegypto, domus Iacob de populo barbaro. Facta eſt Iudæa ſanctificatio eius, Iſrael poteſtas eius. Mare uidit & fugit, Iordanis conuerſus eſt retrorſum. Montes exultauerũt ut arietes, et colles ſicut agni ouiũ. Quid eſt tibi mare quod fugiſti, et tu Iordanis quia conuerſus es retrorſum. Mõtes exultaſtis ſicut arietes, et colles ſicut agni ouiũ. A facie domini mota eſt terra, à facie dei Iacob. Qui conuertit petram in ſtagna aquarum, & rupem in fontes aquarum. Non nobis Domine non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.

Super miſericordia tua & ueritate tua, ne quando dicant gentes ubi eſt deus eorum. Deus autem noſter in cœlo, omnia quæcunq; uoluit fecit. Simulachra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum.

Os habent & non loquentur, oculos habent & non uidebunt. Aures habent & non audient, nares habent & non odorabunt. Manus habent & non palpabunt, pedes habent & non ambulabunt, non clamabunt in gutture ſuo. Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis. Domus Iſrael ſperauit in domino, adiutor eorum & protector eorum eſt.

Domus Aaron ſperauit in domino, adiutor eorum et & protector eorum eſt. Qui timent Dominum ſperauerunt in domino, adiutor eorum & protector eorum eſt. Dominus memor fuit noſtri, & benedixit nobis. Benedixit domui Iſrael, benedixit domui Aaron.

Benedixit omnibus qui timent Dominum, puſillis cũ maioribus. Adijciat dominus ſuper uos, ſuper uos &

ſuper

ſuper filios ueſtros. Benedicti uos à Domino *qui fecit cœlum & terram.* Cœlum cœli Domino, *terram autem dedit filijs hominum.* Non *mortui laudabunt te* Domine,*neq; omnes qui deſcendunt in infernum.* Sed *nos qui uiuimus benedicimus* Domino, *ex hoc nunc & uſq; in ſeculum.*

COMMENTARIVM.

V*ideamus in exitu Iſrael de* Aegypto, *quomodo profecta ſit domus* Iacob *de populo barbaro.* Quomodo *facta ſit* Iudæa *ſanctificatio eius.* In Bethleem Iudææ *naſcitur Chriſtus,qui ſanctificat eos qui fugiunt* Pharaonem, *& ſequentes* Moyſen, *id eſt, legem* Dei,*ueniunt ad aquam,per ipſam tranſeuntes exeunt ad locum quietis & ſilentij,qui alio nomine locus deſertus dicitur.* Deſertus *utiq; à ſceleribus mundi, ibi inueniunt manna uenientem de cœlis. Sanè cum ueniſſent ad mare credentes,mare eos uidit & fugit.* Fugit *ut præberet credentibus tranſitum, & inimicis eorum aptaret interitũ. Similiter &* Iordanis *conuerſus poſt ſe,& ipſe,ut tranſitum* Dei *populo præpararet. Sine aqua enim nec terra* Aegypti *fugitur, nec terra repromiſſionis intratur . ut quid tamen mare fugerit diximus, &* Iordanis *quare cõuerſus eſt retrorſum expoſuimus.* Nunc *uideamus montes, quare exultant, ut arietes, & colles uelut agni ouium.*Nunquid *montes,terra & ſaxa ipſa exultant.*Sed *montes ſunt prophetæ,qui uident uoces ſuas impletas in* Chriſto,*qui locuti ſunt altitudines dei.* Gaudẽt *enim prophetæ ut arietes, in omnibus gaudent, uidentes paſtorem natum, qui animam ſuam ponat pro ouibus, & ſic*

gaudent ſicut arietes. Colles uero ſic gaudent, ſicut agni ouium. Hij utiq; colles ſunt, qui humilem ſcientiæ locum tenent, nihil ſcientes niſi aut ſignare frontem, aut nomen domini inuocare, ita gaudent ſicut agni ouium. Oues ſcientiam & ſui habent & uocem paſtoris audiunt & cognoſcunt eum, & ſequuntur eum quocunq; uadit. Agni uero ouium ſuarum uoces intelligunt, quia adhuc paſtorem intelligere nequeunt, tamen per oues, id eſt, matres ſuas, ſequuntur & ipſi paſtorem Dominum Ieſum Chriſtum. *Ante cuius faciem commota eſt terra, quando conuertit ſolidam petram in ſtagna aquæ, id eſt, ſaxea corda fecit aquas ex uentre ſuo producere, ſalientes ad uitam æternam, & rupem, id eſt, inacceßibile ſaxum incredularum gentium pectus conuertit ad fontes aquarum. Hæc in figura facta ſunt, ut hiſtoria* Exodi *loquitur, & pſalmus iſte teſtatur, ſed ſcripta ſunt iſta, ait* Apoſtolus, *non ad eorum narrationem, ſed ad noſtram ædificationem, in qua clamamus domino, dicẽtes:* Non nobis domine non nobis, *ſed nomini tuo da gloriã.* Non per merita *noſtra, ſed pro miſericordia tua concede, ut non dicãt increduli, ubi eſt deus eorum. Exurge à mortis & aſcende in cœlo ſurſum, quia tu es qui regnas in cœlo et in terra, & omnia quæ uolueris operaris. Nam idola gentiũ ex quocunq; metallo muta & ſurda & cæca ſunt, ſimiles illis ſint confidentes in eis. Nos autem omnes de domo Iſrael ſperamus in te domine, ut tu adiutor noſter et protector noſter eſſe digneris, qui memor noſtri, de cœlo deſcendẽs benedixiſti nos. Benedixiſti domũ Iſrael, naſcẽdo ex* Maria. *Benedixiſti domũ Aarõ, fundẽdo ſacerdotiũ.*

Bene-

Benedixiſti omnes timentes dominum, eligendo Apoſtolos puſillos cum maioribus. Ibi erant Iacobus & Ioannes cum maioribus, utiq; cum eſſent puſilli, adijciat dominus ſuper uos. Addat uobis Paulum, ſuper uos & ſuper filios ueſtros. Addat uobis populũ credentiũ. Benedicti uos domino, qui fecit cœlũ & terrã, Ipſum enim prædicatis qui fecit. Cœlũ cœli domino, terrã dedit filijs hominũ. Quicquid cœleſte eſt in mẽtibus, in actibus, in cogitationibus, hoc domino deputandũ eſt. Quicquid aũt terrenum, quã ſi mortale et miſerũ contemnendũ, etiam ſi culpa careat. Eſt enim quicquid fuerit de terra mortale, in quibus non dignatur laudari dominus. Nec ab his laudari uult qui deſcendũt in inferno, id eſt, qui in inferioribus uitæ actibus degunt, ſed qui uiuimus in eo qui dicit: Ego ſum uita, nos benedicimus dominum. Si tamen uiuimus recedẽtes ab omni opere mortali, benedicimus patrẽ & filium & ſpiritum ſanctũ, qui regnat in ſecula ſeculorum Amen.

Alleluia. CXIIII.

Dilexi, quoniam exaudiet dominus uocem orationis meæ. Quia inclinauit aurem ſuam mihi, & in diebus meis inuocabo. Circundederunt me dolores mortis, & pericula inferni inuenerunt me. Tribulationem & dolorem inueni, & nomen domini inuocaui. O domine libera animam meam, miſericors dominus & iuſtus, & deus noſter miſeretur. Cuſtodiens paruulos dominus, humiliatus ſum & liberauit me. Conuertere anima mea in requiem tuam, quia dominus benefecit tibi. Quia eripuit animam meam de morte, cor meũ à prauis affectibus, oculos meos à lachrymis, pe

des meos à lapſu. Placebo domino in regione uiuorum.

COMMENTARIVM.

Cauſas dilectionis domini explicat pſalmiſta in cantico: Dilexi, inquit, dominũ, quia cum circundarent me dolores mortis, et ſuggeſtiones dæmonum circũuallarent me, Ego ad tribulationem iui, ipſam quæſiui, ipſam inueni, & ſic nomẽ domini inuocaui. Neſcio quo enim modo, quando lætitiam inuenimus, nomen domini de ſummis labijs inuocamus. Tribulationẽ uero, aut ipſi nobis per abſtinentiam & pœnitentiam excitantes, aut caſu aliquo incurrẽtes, talis clamor cordis noſtri excutitur, ut ad ipſas excelſi dei aures attingat. Tamẽ uideamus quid fecit, ut liberationẽ domini mereretur. Opus eſt enim nobis qui uolumus liberari, ſcire quid fecerit, qui ſe liberatum annunciat. Dic nobis, quid feciſti, ut te dominus liberaret? Humiliatus ſum, inquit, & liberauit me. Concordat euangelijs iſta ſententia. Dicit enim in euangelijs liberationis ipſius magiſter & dominus, quia omnis qui ſe humiliat exaltabitur, & qui ſe exaltat humiliabitur. Tenenda eſt humilitas, ex qua liberatio & exaltatio æterna conquiritur. Per ipſam enim eripitur anima à morte, & oculi liberantur à lachrymis, id eſt, nihil pœnitendum admittunt. Et pedes liberantur à lapſu. Stant enim humiles in propoſito ſanctitatis, qui ut placeant domino in regione uiuorũ, perſeuerant ſtantes in regione mortalium, ut tranſeant de morte ad uitam, per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui regnat in ſecula ſeculorum Amen.

Alleluia.

Alleluia. CXV.

CRedidi propter quod loquutus ſum, ego autē humiliatus ſum nimis. Ego dixi in exceſſu meo, omnis homo mendax. Qui retribuā domino, pro omnibus quæ retribuit mihi. Calicē ſalutaris accipiam, & nomen domini iuuocabo. Vota mea domino reddā corā omni populo eius, precioſa in cōſpectu domini mors ſanctorū eius. O domine quia ego ſeruus tuus, ego ſeruus tuus & filius ancillæ tuæ. Dirupiſti uincula mea tibi ſacrificabo hoſtiā laudis, & nomen domini inuocabo. Vota mea domino reddā in conſpectu omnis populi eius, in atrijs domus domini in medio tui Hieruſalē.

COMMENTARIVM.

ANtequam dicat quid locutus ſit, fidem ſuā exponit: Credidi, inquit. Quid credidiſti: Natum & paſſum, & quia credidi, ideo humiliatus ſum nimis. Cum aūt credidi hoc locutus ſum, ſi dominus rerum exinaniuit ſeipſum, & pro me formā ſerui ſuſcepit, quid ego miſer faciam? Quid retribuā domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Quantumuis dicat ſe homo ſeruire ad uiciſſitudinem beneficiorum eius, Omnis homo mendax eſt. Quid enim dignum retribuet homo domino, niſi forte paſſionem paſſione compenſans? Calicem ſalutaris accipiam & nomen domini inuocem. Precioſa eſt enim in conſpectu domini mors ſanctorū eius: Si tamen in ipſa morte doceat ſe ſeruum dei, & filium ancillæ eius. Ancilla dei eſt diſciplina ſancta. Qui enim in fine corporis dixerit domino ueraciter: O domine ego ſeruus tuus, id eſt non te contempſi, & filius ſum ancillæ tuæ, id eſt, diſciplinæ tuæ

næ tuæ uelut filius obtẽperaui, Diſrumpet dominus uin- *cula eius quibus à diabolo implicatur, & ſacrificat deo hoſtiam laudis,ita ut uota ſua domino reddat in atrijs do mus domini, in conſpectu omnis populi eius,id eſt,in eo rũ conſpectu, qui populus dei eſt,non populus huius mũ di,ut uidear ab hominibus ad perditionẽ laboris ſancti, coram ſanctis qui gloriantur in medio tui* Hieruſalem,*in qua* Imperator *eſt* Chriſtus, *qui regnat cum patre & ſpi ritu ſancto,per omnia ſecula ſeculorum* Amen.

Alleluia alleluia. CXVI.

L*Audate dominum omnes gentes, laudate eum om nes populi.* Quoniã *confirmata eſt ſuper nos mi ſericordia eius,et ueritas domini manet in æternũ*

COMMENTARIVM.

L*Audate dominum omnes gentes.* Excluſi *ſunt* Iu- *dæi, qui tulerunt clauem regni cœlorum, nec ipſi ingrediebantur, nec uos ingredi permittebant.* Omnes *laudate dominum, qui abſq; perſonarũ acceptio ne omnes homines uult ſaluos fieri. Omnes gentes lauda te, quoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia eius.* Excluſit *enim merita noſtra,& induxit ſuper nos miſe- ricordiam ſuam, quam confirmauit ſuper nos per indul gentiam omnium peccatorum, credentibus & pœniten tibus ſit promiſſa.* Veritas *ipſa domini manet in æternũ.* In *hoc enim confirmatio miſericordiæ eius pietatis oſten ditur, in quo corrigentes à peccato,uenia nos & indul- gentia comitantur,noſtrumq; deſinere à peccato,dei in- dulgere eſt, cui gloria per omnia ſecula ſeculorum* Amen.

Alleluia

Alleluia alleluia. CXVII.

Confitemini domino quoniã bonus,quoniã in ſeculum miſericordia eius. Dicat nũc Iſrael quoniam bonus, quoniã in ſeculũ miſericordia eius. Dicat nunc domus Aaron quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia eius. Dicant nunc qui timent dominum, quoniam in ſeculum miſericordia eius. De tribulatione inuocaui dominum, & exaudiuit me in latitudine dominus. Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo. Dominus mihi adiutor,et ego deſpiciam inimicos meos. Bonum eſt confidere in domino,quàm cõfidere in homine. Bonum eſt ſperare in domino, quàm ſperare in principibus. Omnes gentes circundederunt me,& in nomine domini quia ultus ſum in eos. Circundantes circundederunt me,& in nomine domini quia ultus ſum in eos. Circundederunt me ſicut apes, & exarſerunt ſicut ignis in ſpinis,& in nomine domini quia ultus ſum in eos. Impulſus euerſus ſum ut caderem, & dominus ſuſcepit me. Fortitudo mea & laus mea dominus,& factus eſt mihi in ſalutem. Vox exultationis & ſalutis in tabernaculis iuſtorum. Dextera domini fecit uirtutem, dextera domini exaltauit me,dextera domini fecit uirtutem. Non moriar ſed uiuã,& narrabo opera domini. Caſtigãs caſtigauit me dominus,& morti non tradidit me. Aperite mihi portas iuſtitiæ,ingreſſus in eas cõfitebor domino, hæc porta domini, iuſti intrabunt in eam. Confitebor tibi quoniã exaudiſti me, & factus es mihi in ſalutem. Lapidem quem reprobrauerunt ædificantes,hic factus eſt in caput anguli.

anguli. A domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris. Hæc eſt dies quam fecit dominus, exultemus & lætemur in ea. O domine ſaluum me fac ò domine bene & feliciter proſperare, bene dictus qui uenit in nomine domini. Benediximus uobis de domo domini, deus dominus & illuxit nobis. Conſtituite diem ſolennem in condenſis, uſque ad cornu altaris.

Deus meus es tu & confitebor tibi, deus meus es tu & exaltabo te. Confitebor tibi quoniam exaudiſti me, & factus es mihi in ſalutem. Confitemini domino quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia eius.

COMMENTARIVM.

Confitemini domino quoniã bonus, quoniam in ſeculum miſericordia eius. Licet in æternum regnet miſericordia eius, tamen confeßio in iſto ſeculo poterit prodeſſe peccantibus. Poſt iſtud enim ſeculum, confeßio penitus non ualebit ad ueniam. Itaq; cum eſt tempus confitendi domino fateamur. Eſt enim in iſto ſeculo paratißima miſericordia eius. Si uis diſcere ita eſſe, docere te poterit & domus Iſrael, & domus Aaron. In ſcripturis omnibus ueteris teſtamenti ibi legis, quia quotienſcunq; conuerſus eſt populus ad confeßionem et pœnituit, totiens eſt miſericordiam conſecutus. Quod ſi ad legendum incapax eſſe uideris, require homines qui timent dominum, & ipſi tibi oſtendunt quomodo confitentibus parata ſit miſericordia eius. Nam & ego in tribulatione mea confeſſus ſum, & inuocaui dominum, & exaudiuit me in latitudine. Verum quia & nos ipſi nobis hoſtes ſumus, dum contra ſalutem noſtram, aliquid

concupiſcimus,& nihilominus extra nos alios inimicos habemus uiſibiles atque inuiſibiles, oremus ut dominus nobis adiutor eſſe dignetur contra inimicitias iſtas quas memorauimus,& tūc demū non timebimus inimicos noſtros. Melius eſt enim confidere in domino, q̄ confidere in homine. Nota tibi confidentiā quam teneas Chriſtiane. Noli confidere in te,noli dicere,ſic te liberum habere arbitrium,ut tu tibi in te ipſo confidas. Habes quidem liberum arbitrium,ſed noli de eo præſumere,de deo præſume, quia uinci non poteſt,nam liberum arbitrium uinci poteſt. Bonum eſt confidere in domino,quàm confidere in homine,aut in principibus. Si enim confidas in domino,tunc poteris dicere: Omnes gentes circundederunt me,et in nomine domini ultus ſum eos: Hoc libertas arbitrij dicere nō poteſt,aut ſi dixerit,docebo eā aperte mentiri,aut certe ab initio ſeculi det mihi qui ſine dei auxilio euaſerit, ſiue uiſibiles, ſiue inuiſibiles inimicos. Attende etiā in auxilio poſitis,quid accidat: Impulſus ſum inquit, uerſatus ſum ut caderē, & dominus ſuſcepit me. Et ſubiungat ſi poteſt: Fortitudo mea & laus mea libertas arbitrij, & ipſa facta eſt mihi in ſalutē. Hoc ſi non poteſt dicere,imo quia nō poteſt iuſte dicere, dicat ſe à domino ſuſcipi,& fortudinem omnē auxilijs diuinis aſſcribat. Eius enim dextera fecit uirtutem, ſi quam in nobis habemus. Eius dextera exaltat nos ex inferno inferiore. Ipſe enim facit,ut uiuamus,& non moriamur,ut narremus opera eius. Ipſe caſtigans caſtigat nos in miſericordia, & morti non tradet nos. Nunc forte audiat me prædeſtinationem docens, & arbitrium hominum infringens, putet me libertatem

bertatem arbitrij ita excludere, ut peccantes exiſtiment dei abiectione peccare. Quod peccamus, noſtri arbitrij docebitur, qui contemnimus gratiam. Vide quanta libertas eſt arbitrij tui, negetur à ſeruo dominus, ut dicat homo deo: nolo tibi credere, & faciat ſibi templum ubi idolum colat, aut ſynagogam ubi ſuum abneget ſaluatorem. Quid ergo malum facimus, per libertatem incurrimus, quia non dignatur dominus iuſtus coacta ſeruitia. Si uero aliquid boni fecerimus, imputabimus largitori, qui bona omnia ad ſe confugientib. præſtat, ſecundũ illud quod ipſe dignatus eſt repromittere. Omnis qui petit accipit, et q quærit inuenit, et pulſanti aperietur. Pulſemus ergo, & cum propheta in iſto pſalmo cantemus: Aperite mihi portas iuſtitiæ, & ingreſſus eas confitebor domino. Hæc nos clamamus adminiculis auxilijsq; diuinis, unde nobis uox reſponſionis eorum uidetur audiri: Hæc porta quam pulſatis non eſt homini libertate cõceſſa, ſed eſt in domini auxilio conſtituta, & ſoli iuſti introibunt per eam. Cõfiteamur ergo domino, quoniã ipſe exaudit nos & ipſe nobis efficitur in ſalutem. Veniamus nunc ad lapidem quem reprobauerunt ædificantes. Hic lapis legitur in Daniele exciſus ſine manibus, id eſt, ſine opera uiri natus ex uirgine. Aedificantes erãt Iudæi ſoli ſuper uniuerſam faciẽ terræ. Omnes enim gẽtes in deſtructione idolorũ morabantur, ſoli Iudæi ſub omnipotenti et uero deo ædificationem legis & prophetiæ tractabãt, quibus ab origine mundi per Moyſen quid egerit circa humanũ genus, quidúe geſſerint circa deũ homines notum faciẽs, & hoc notũ fecit, quod in nouiſſimis temporibus ſuſcitaret

ret eis ex ſemore Iudæ regem Chriſtum, de quo ipſe Moy ſes diceret: ipſum audietis tanquã me per omnia, de quo iurauit deus pater ad Dauid, dicens: De fructu uẽtris tui ponã ſuper ſedẽ tuam. De quo iurauit ad Abrahã, quod in ſemine tuo hæreditabo omnes gentes, de quo per Eſai am dixit deus, quod uirgo in utero concipiet, & pariet Emanuel. Hæc & his ſimilia multa in ueteribus libris in uenies, quæ & Iudæi ad ædificationem populi legentes ædificantes nominati ſunt. Hij dum ædificant peruenerũt ad lapidem angularẽ, qui duos parietes amplecteretur, & duos conderet in ſemetipſo. Et quia ipſi in uno pariete ſtare uolebant, reprobauerunt lapidem, qui non erat aptus ad unum, ſed ad duos. Videns deus iniuſtam reprobationem hominum, ipſe quod probauerat illis nolentibus ordinauit, & hunc lapidem ipſe per ſe poſuit in capite anguli, ut ex duobus teſtamentis, & ex duobus populis ædificatio ſurgeret, quam increduli relinquẽtes à deo derelicti ſunt. Credentes autem ſuperædificãt ſupra fundamentum hoc, quod ex angulari lapide in capite anguli poſitum utraq; conſtringit & continet, & ipſum lapidem mirabilem in ſuis oculis habentes confitentur hũc eſſe diem, cui non ſuccedit nox, quem horæ non diuidũt, quẽ umbra non impedit. Exultemus ergo & lætemur in eo, qui à lumine uero noſtras tenebras fugaturus illuxit. Benedictus qui uenit in nomine domini. Benedixit nos in domo domini, deus dominus & illuxit nobis. Nos ergo conſtituamus diem dominicam, in confrequentationibus uſq; ad cornua altaris. In qua die dicamus deo: Deus meus es tu, et cõfitebor tibi, deus meus es tu, & exaltabo te.

A Confite

Confitebor gemẽs peccata mea, exultabo gaudens indul gentia tua. Sic deniq; ſequitur: Confitebor, quia exaudiſti me, & factus es mihi in ſalutem. Et quaſi qui ſodales hortetur, ut ſicut ipſi indultũ eſt confitenti, et illis confitentibus dimittatur: Et uos, inquit, confitemini domino quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia eius, qui regnat in ſecula ſeculorum Amen.

Alleluia. CXVIII.

BEati immaculati in uia, qui ambulãt in lege domini. Beati qui ſcrutantur teſtimonia eius, in toto corde exquirunt eum. Non enim qui operantur iniquitatem in uijs eius ambulauerunt. Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis. Vtinam dirigãtur uiæ meæ ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas. Tunc nõ confundar cũ perſpexero in omnibus mandatis tuis. Confitebor tibi in directione cordis, in eo quod didici iudicia iuſtitiæ tuæ. Iuſtificationes tuas cuſtodiam, non me derelinquas uſquequaq;.

IN quo corrigit adoleſcentior uiam ſuam, in cuſtodiẽdo ſermones tuos. In toto corde meo exquiſiui te, ne repellas me à mandatis tuis. In corde meo abſcondi eloquia tua, ut non peccem tibi. Benedictus es domine, doce me iuſtificationes tuas. In labijs meis pronunciaui omnia iudicia oris tui. In uia teſtimoniorum tuorum delectatus ſum ſicut in omnibus diuitijs. In mandatis tuis exercebor, & conſiderabo uias tuas. In iuſtificationibus tuis meditabor, non obliuiſcar ſermones tuos.

Retribue

RÊtribue ſeruo tuo, uiuifica me & cuſtodiã ſermõnes tuos. Reuela oculos meos, & conſiderabõ mirabilia de lege tua. Incola ego ſum in terra, non abſcondas à me mandata tua. Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas in omni tempore. Increpaſti ſuperbos, maledicti qui declinant à mandatis tuis. Aufer à me opprobrium & contemptũ, quia teſtimonia tua exquiſiui. Etenim ſederũt principes, & ad uerſum me loquebantur, ſeruus autem tuus exercebatur in iuſtificationibus tuis. Nam & teſtimonia tua meditatio mea eſt, & conſilium meum iuſtificationes tuæ.

ADhæſit pauimẽto anima mea, uiuifica me ſecundum uerbum tuum. Vias meas enunciaui & exaudiſti me, doce me iuſtificationes tuas. Viã iuſtificationum tuarum inſtrue me, & exercebor in mirabilibus tuis. Dormitauit anima mea præ tædio; confirma me in uerbis tuis. Viam iniquitatis amoue à me, et & de lege tua miſerere mei. Viam ueritatis elegi, iudicia tua non ſum oblitus. Adhæſi teſtimonijs tuis domine, noli me confundere. Viam mandatorum tuoum cucurri, cum dilataſti cor meum.

LEgem pone mihi domine uiã iuſtificationũ tuarũ, & exquirã eam ſemper. Da mihi intellectũ & ſcrutabo legem tuã, & cuſtodiã illam in toto corde meo. Deduc me in ſemitã mandatorũ tuorum, quia ipſam uolui. Inclina cor meũ in teſtimonia tua, & non in auaritiam. Auerte oculos meos, ne uideant uanitatem, in uia tua uiuifica me. Statue ſeruo tuo eloquium tuum, in timore tuo. Amputa opprobrium meũ quod

ſuſpicatus ſum,quia iudicia tua iocunda. Ecce concu- piui mandata tua,in æquitate tua uiuifica me.

ET ueniat ſuper me miſericordia tua domine, ſalu tare tuum ſecundū eloquium tuum. Et reſponde bo exprobrantibus mihi uerbum,quia ſperaui in ſermonibus tuis. Et ne auferas de ore meo uerbū uerita tis uſquequaq;,quia in iudicijs tuis ſuperſperaui. Et cu ſtodiam legē tuam ſemper, in ſeculū & in ſeculū ſeculi. Et ambulabā in latitudine, quia mandata tua exquiſiui.

Et loquebar de teſtimonijs tuis in conſpectu regum,& non confundebar. Et meditabar in mandatis tuis,quæ dilexi. Et leuaui manus meas ad mandata tua quæ dile- xi,& exercebor in iuſtificationibus tuis.

COMMENTARIVM.

ALleluia cū alphabeto inchoat, quod eſt magiſte rium dei in Alleluia, & eruditio hominibus tra denda in alphabeto.Dicamus ergo beatos et im maculatos Chriſti diſcipulos,q uſq; hodie in uia ſunt, qui eſt Chriſtus.Ipſe enim qui ſe dixit uiā,ipſe dixit eis:Mane te in me,ſicut & ego in uobis. Ergo manēt iſti beati,quia Apoſtoli immaculati,quia obtēperātes per omnia,in uia, quia in Chriſto ſunt,ambulabant,quia in toto orbe terrā rum eorū ambulat ſancta doctrina, quæ eſt in lege domi ni. Primus beatitudinis gradus in Apoſtolis cōſummatus eſt:ſecūdus nobis eſt reſeruatus.Sicut enim in primo pſal mo,Beatus eſt qui in lege domini meditabitur diē ac no- cte,legentem noluit negligentē. Nam qui legit,ſi neſciat quid legat, negliget. Deus enim ſciri uult omnia ſuarum myſteria literarū.Et ſicut quod ſcriptum non inuenies,ſi

quæras

*quæras incurris:ſic quod ſcriptum eſt,ſi non inquiras,ar gueris.*Beatus *enim perfectus eſſe non poteris,niſi ſcruta tus fueris teſtimonia eius,& in tota corde exquirũt eum.* Non *enim militantes, negotiantes, terrena cogitãtes,his ſtudijs occupari poſſunt,non eis uacat,mundũ cuſtodiũt, eius totas partes agũt.*Tu *quid facis* Chriſtiane, *ſi militas homini ſcrutare legẽ eius, quia ſi quid licet iam ignarus incurreris,morieris.*Neſcire *enim legẽ nemini licet.nego tiator es, inquire precia cõſtituta,quia ſi neſcius licet in= curreris, non euades.* Seruus Chriſti *es,ſcrutare teſtimo= nia eius.* Si *enim illis non uacat,tu qui clericum aut reli= gioſum profiteris, nec tibi forte uacare uis, legem ſuam deus cui debeat delegare reſponde.*Noui *iſto loco multos dicere:ergo ſimplices non uidebunt regnũ dei, qui ſcru= tari iſta non poſſunt.* Audi *chariſsime, à nullo deus quod non poteſt quæret, mutus non damnabitur de taciturni= tate,nec æger culpabitur de labore.* Volũtas *ſola ſufficit deo,ubi poßibilitas deeſt, ipſa reum efficit, ipſa ſanctũ, de his quibus uerè uoluit, & uerè non potuit.* Ergo *ex= cußimus nos de uncino obiectionis,& à ſimplicibus ut= cunq; eruimus te.*Cum *modo cauſas quas memoraui tra= ctabo, qui noſti diſcutere, qui noſti ſpecies ueſtium, ſpe= cies uini, ſpecies cibi, ſpecies argenti.* Iſta *& his ſimilia, etiam ſi non poßideas,noſti tamen & quid impoſturæ ha beant, & quid ueritatis obtineant diſcutis.* Quid *uicini tui agunt, non te latere uis,quid loquãtur extranei,quid iudex ciuitatis ſenſerit.quid noui conſtituerit* Imperator *quid agant orientales,quid occidentales,quid ruſtici per omnia rura querantur, iſta & multa his ſimilia ſcruta=*

ris,uenis ad mãdata dei, & tolles te & dices: Nihil melius niſi ſimpliciter uiuere.Ergo ne aſtutia ex contemptu concepta ſimpliciter uiuit, & quis domini ſui iuſſa cuſtodit, quæ cuſtodire non poterit,niſi ante didicerit,dicente ſancto ſpiritu per prophetam. Niſi quis didicerit iuſtitiã ſuper terram, ueritatem non faciet. Et ſicut maius eſt uoluntatem dei facere quàm noſſe, ita prius eſt noſſe quàm facere. Illud merito præcedit,hoc ordine. Et fieri poteſt ut obſequẽdi uoto offendat, qui qualiter obſequi debeat ante non didicit. Nobis ergo deſiderantibus ac dicentibus,utinam dirigãtur uiæ meæ ad cuſtodiendum iuſtificationes dei.Non confundimur, dum reſpicimus ad omnia mandata eius. Si tamen confiteamur domino in directione cordis,in eo quod didicerimus iudicia iuſtitiæ eius.Tãtum enim exigitur quantum ſapimus, non quantum non ſapimus, imò quantum ſapere poſſumus, non quantum non poſſumus.Verum quia mandata,inquit tua cuſtodiri uis nimis,nõ me derelinquas uſquequaq;.Non eſt enim aliud ubi adoleſcentiæ uias corrigam, niſi in cuſtodia ſermonum tuorum. Videamus nunc orationem, qui orat non mentitur deo in uerbis orationis ſuæ:In toto,inquit, corde meo exquiſiui te. Si uerum dicis non te repellet à mandatis ſuis: In corde, inquit, meo abſcondi eloquium tuum, ut non peccem tibi. Non ergo ideo ad ſcientiam laboraui pertingere, et præcepta dei memoriter retinere, ut uiderer ſciolus, et p ſcientiã inflatus ſuperbia increpatione aptarer, ſed ideo ut nõ peccarẽ tibi:Doce ergo me ait,domine iuſtificationes tuas. Ad hæc reſpondebit tibi ille quem oras,ut doceret te iuſtitias ſuas: Hæc eſt,inquit,

iuſtitia

iuſtitia mea, ut omnia quæ uis ut faciat tibi homo, eadem tu homini facias. Si amplecteris iuſtitiam dei dices: In la*bijs meis pronunciaui omnia iudicia oris tui. & in his delectatus ſum, ſicut in omnibus diuitijs.* Videamus nunc *quid eſt quod ſequitur,* In *mandatis tuis me exercebo.* Si*cut tyronia corpus exercet, ita animam diuina præcepta inſtituũt.* Docẽt *enim ea qualiter pugnos caute ſuſcipiat, qualiter fortiter reddat.* Et *conſiderabo, ait uias tuas, id eſt, attendo qualiter ſuperaſti, et ipſa imitabor exempla. Siquidẽ qui nos docuit: ſic dixit:* Imitatores *mei eſtote ſicut ego magiſtri:* Non *obliuiſcar, inquit, ſermones tuos.* Vides *quia obliuio res uitij eſt non naturæ:* Retribue, in*quit ſeruo tuo.* Quid *tibi uis retribui?* Amoris, *inquit, affectum ut uiuã.* Et *ſi tibi uitã dedero quid facies?* Forte *dixit uiuã & epuler, læter, ædificẽ, agros excolã, agã cauſas, et cætera quæ cũ tẽpore pereũt, nõ hoc dixit, ſed quid ait, uiuã et cuſtodiã ſermones tuos.* Verũ *quia inter apices tuos theſauros occultos ſentio, quos inuenire nõ poſſum, tu domine reuela oculos meos, et cõſiderabo mirabilia de lege tua.* Caute *ſane accipiendũ eſt quod adiecit:* Incola. *i. peregrinus ego ſum apud te in terra. i. nihil terrenũ quæro: quod quæro, hoc mihi noli abſcõdere.* Non *abſcõdas à me mãdata tua.* Non. *n. cõcupiſcit anima mea, niſi deſiderare iuſtificationes tuas et quia ſcio te increpare ſuperbos, aufer à me opprobrium.* Superbi *ſunt enim, qui contemnunt dominũ imperantem, & maledicti ſunt qui declinant à mandatis tuis.* Tuis *ſanè quia nobis pie agẽtibus, principes aeris huius deiectiones excogitãt.* Id*circo adiecit.* Quod *ij principes, ait, aduerſum me loquebantur.*

bantur. Ego uero *ſeruus tuus exercebar in tuis iuſtifica=tionibus.* Nam & *teſtimonia tua meditatio mea eſt,& cõſilium meũ iuſtificationes tuæ.* Videamus quod *conſiliũ ſecutus ſis in iuſtificationibus domini:* Adhæſit, inquit, *pauimento anima mea, hoc eſt, iacui in pauimento, te domine deprecans, te exorans, uiuifica me ſecundum uerbum tuum.* Quid enim *promiſit deus?* Promiſit, inquit, *deus dicens.* Quia *in me ſperauit, ego liberabo eũ.* Ecce ego *ſperans in te iam pauimẽto adhæſi.* Tu *qui ſuſcitas de terra inopẽ, uiuifica me ſecundũ uerbum tuũ.* Vias *tuas enũciaui, & exaudiſti me.* Conſidera *quid ſe feciſſe dixit, ut exaudiretur. quid eſt uias tuas enũciaui?* Hoc eſt *quibuſcũq; mihi poßibilitas loquẽdi fuit, hos illis calles oſtendi, quib. parebant ueſtigia.* Per *ipſos enim euaditur mors & per=uenitur ad uitã.* Quando *ergo uias tuas enũciaui, tunc exaudiſti me.* Artem *exaudiendi didiciſti Chriſtiane, ſi exaudiri uis, uias dei nuncia, doce caſtitatẽ, humilitatem, con=temptũ mundi, & quicquid petieris exaudiris, & rogãs te doceri à domino, quid doceas collibertum, dicito:* Ego *quia uolo uias tuas enunciare, ut exaudias me, uiam iuſtificationum tuarũ fac ut intelligã, et exercebor in mirabilibus tuis.* Exerceri *argutari eſt:* Argutus, inquit, *ero non piger.* Quid *tantũ promittis? ecce una tentatio naſcitur, et moueris ita ut dicas:* Dormitat *anima mea præ tædio.* Dormire *corporis, nõ eſt animæ.* Quãtus *ſopor tuũ corpus inuaſit, qui & animã dormitare cõpellit.* At *ille, iſta mihi euenerũt, quia de me præſumpſi.* Excita *me domine q̃a dormio.* Excitas *aũt me, ſi cõfirmaueris me in uerbis tuis.* Cõfirmas *aũt me in uerbis tuis, ſi uiã iniq̃tatis, id eſt,*

ipſum

ipſum tentatorem amoueas à me.Niſi enim longe eum fe ceris à me,in ſomno animæ,& in mentis meæ tædio per= manebo,Tu ergo uiam iniquitatis amoue à me,& in uia tua miſerere mei. Meum eſt enim eligere uiam ueritatis, tuum eſt concedere electionis huius effectum. Et *quia ad hæſi teſtimonijs tuis, credens ut omnis qui petit accipit,* Peto *domine, noli me confundere.* Naturaliter *confuſio naſcitur,quando quod poſcitur denegatur, & ab eo qui prædicat eum quem petiturus eſt,nihil negare poſcenti.* Vnde *& hic ab hac confuſione ſe liberari deſiderans cla mat:*Domine *noli me confundere,quid tamen poſtulas ui deamus. Quid curris uiã mandatorum? Quid poſtulas intellectum ut ſcruteris legem dei? Quid ducem quæris uiæ dei?* Pande *quid poſtulas.*Inclina, *inquit, cor meum in teſtimonia tua,& non in auaritiã.*Ideo *ergo dormita= bat anima tua præ tædio,quia de auaricia cogitabas, at= tendens ad ea, quæ uidentur, quæ in uanitate conſiſtunt, quia dum teneri putantur aufugiunt.*Ora *ergo,ut auer= tat oculos tuos,ne uideant iſtam uanitatẽ ſiue in ambitio nibus mundi,ſiue in cõcupiſcentijs carnis.*Et *dic domino ut ſtatuat ſeruo ſuo eloquiũ ſuum in timore ſuo, & am= putet opprobriũ quod ſuſpicatus es.Quid enim ſuſpica= tus es,cum præ tædio dormitares?dixiſti: Quid mãduca bo,quid bibam,quid operiar? At ubi inclinauit dominus cor tuũ in teſtimonia ſua, liberauit te ab auaricia, & cœ piſti quærere regnũ* Dei *& iuſticiam eius, credens quod hæc omnia apponãtur tibi.*Modo *ergo iam rogas, ut hu ius ſuſpicionis opprobriũ amputetur à te.* Opprobrium *eſt enim,ut credas hominem ſollicitũ eſſe de ſeruo ſuo, et*

 deum

*deũ negligere ſeruiẽtẽ ſibi.Peccaui domine,quia ita ſuſpicatus ſum:parce,quia iudicia tua iocũda ſunt.*Ecce credo *ecce nihil cõcupiſco niſi mandata tua,ſac ut ueniat ſuper me miſericordia tua,ſi ſalutare tuũ ſup me uenerit,ſecundũ eloquiũ tuũ quod promiſiſti,* Quærite regnũ Dei, & *iſta oĩa apponentur uobis*. Dũ ergo cõpleueris *ſalutare tuũ ſecundum eloquium tuũ, ego reſpõdebo exprobrantibus mihi uerbum, quia in ſermonibus tuis ſpero*. Non *ergo auferas ex ore meo uerbum ueritatis uſquequaq;.* Ecce *inficias in deum uadis*. Ergo Deus alicui tollit *uerbum ueritatis ex ore?*Hoc *diabolus facit, tollit ueritatẽ, & mittit mendacium*. Quid ergo Deo *loquar oſtende:* Ego,*inquit, uolo reſpondere exprobrantibus mihi uerbũ,quia in ſermonibus* Dei *ſperans,nihil cogitaui de uentre,ſed de mente:nihil de terra,ſed de cœlo.*Cum *ergo diceremdeus omnia parat ſeruis ſuis, illi,id eſt, increduli, ſiue immundi ſpiritus huius prædicationis ueritatẽ conuertebant in mendacium.*Tu *ergo domine cum compleueris quod de te dum crederẽ repromiſi, & illis reſpondebo exprobrantibus mihi uerbum, & non eſt ablatus ex ore meo ſermo ueritatis uſquequaq;, quia bene feci, ut ſperarem in ſermonibus tuis.* Non *ergo cuſtodiã nummos meos, non diuitias meas, non gloriam inanem, ſed cuſtodiam legem tuam ſemper in æternum*. Audiuimus *nunc quid eſt quod dicat ſe ambulaſſe in latitudine, quia mandata* Dei *quæſiuit, cum latitudo ad mortem ducat.* Non *ita eſt iſta latitudo. Vis ſcire quomodo ambulat homo in latitudine?* Quia *mandata* Dei *exquirit.* Latum *ambulat quem affectus non ligat carnis,ſpaciatur quem*

rerum

rerum ſarcinæ non coartant. Loquitur teſtimonia Dei *etiam in conſpectu regum, & nulla confuſione dicetur ei: tu poßides, quid cõtemptum prædicas mundi?* Nulla *trepidatio, quia nec gloriam ab eo, nec cẽſum expectat, ſed ad deum ſolum leuat manus ſuas, quem ſolum diligit, & exercetur in iuſtificationibus eius, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.*

M*Emor eſto uerbi tui ſeruo tuo, in quo mihi ſpem dediſti.* H*æc me conſolata eſt in humilitate mea, quia eloquium tuum uiuificabit me.* S*ũperbi inique agebant uſquequaq;, à lege autem tua non declinaui.* M*emor fui iudiciorum tuorum à ſeculo domine, & conſolatus ſum.* D*efectio tenuit me, pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.* C*antabiles mihi erant iuſtificationes tuæ in loco peregrinationis meæ.* M*emor fui nocte nominis tui* Domine, *& cuſtodiui legem tuam.* H*æc facta eſt mihi, qui iuſtificationes tuas exquiſiui.*

P*Ortio mea domine, dixi cuſtodire legem tuam.* D*eprecatus ſum faciem tuam in toto corde meo, miſerere mei ſecundum eloquium tuum.* C*ogitaui uias meas, & conuerti pedes meos in teſtimonia tua.*

P*aratus ſum & non ſum turbatus, ut cuſtodiam mandata tua.* F*unes peccatorum circũplexi ſunt me, & legem tuam non ſum oblitus.* M*edia nocte ſurgebam ad confitendum tibi, ſuper iudicia iuſtificationis tuæ.* P*articeps ego ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua.* M*iſericordia tua domine plena eſt terra, iuſtificationes tuas doce me.*

Boni-

Bonitatem feciſti cum ſeruo tuo domine, ſecũdum uerbum tuũ. Bonitatem & diſciplinam & ſcientiam doce me, quia mandatis tuis credidi. Priuſquam humiliarer ego deliqui, propterea eloquium tuum cuſtodiui. Bonus es tu, & in bonitate tua doce me iuſtificationes tuas. Multiplicata eſt ſuper me iniquitas ſuperborũ, ego aũt in toto corde meo ſcrutabor mandata tua. Coagulatum eſt ſicut lac cor eorũ, ego uero legem tuam meditatus ſum. Bonum mihi quia humiliaſti me, ut diſcam iuſtificationes tuas Bonum mihi lex oris tui, ſuper milia auri & argenti.

Manus tuæ fecerunt me & plaſmauerunt me, da mihi intellectum ut diſcam mandata tua. Qui timent te uidebunt me & lætabuntur, quia in uerba tua ſuperſperaui, Cognoui domine quia æquitas iudicia tua, & in ueritate tua humiliaſti me. Fiat miſericordia tua ut conſoletur me, ſecundum eloquium tuũ ſeruo tuo. Veniant mihi miſerationes tuæ & uiuam, quia lex tua meditatio mea eſt. Confundantur ſuperbi, quia iniuſte iniquitatem fecerunt in me, ego aũt exercebor in mandatis tuis. Conuertantur mihi timentes te, & qui nouerunt teſtimonia tua. Fiat cor meum immaculatum in iuſtificationibus tuis, ut non confundar.

COMMENTARIVM.

Hactenus à capite unus eſt ſenſus. Aliter incipit textus orantis, quo ait: Memẽto domine uerbi tui ſeruo tuo, in quo mihi ſpem dediſti. In hac oratione omne hominum deplorabat genus. Perierat omne genus hominum in præuaricatione Adæ, & promiſſum

fuerat

ſuerat uerbum dei uenturum in carne,& per ipſum genus noſtrum recuperaturum in melius. Clamatur ergo: Memento uerbi tui ſeruo tuo, id eſt, generi humano, in quo mihi ſpem dediſti. Hæc ſpes me conſoláta eſt in humilitate mea, dum ſuperbi iniquè agerent uſq; quaq;, id eſt, dum immundi ſpiritus ita ſuperbe agerent, ut & capitolia ſibi & templa alta conſtruerent. Ego memor fui iudiciorum tuorum, quia promiſiſti uerbum tuum uenire ad deſtructionem eorũ. Hoc memor fui, & conſolatus ſum, tamen in præſenti, defectio animi tenuit me præ peccatoribus derelinquentibus legem tuam, & euntibus ad legem dæmonum, quæ agebatur in templis, mihi tamẽ cantabiles erant iuſtificationes tuæ in loco peregrinationis meæ, ubi aduena comprobabar. Deniq; tolle ſubito Chriſtianum, & pone inter Iudæos aut Gentiles, nonne aduena uidetur, licet in ſua urbe conſiſtat? Ibi, inquit, tamen cantabiles mihi erant iuſtificationes tuæ, & iniuſte agentibus non tacebam. Memor eram in nocte nominis tui domine, id eſt, in tenebroſis hominum concilijs poſitus, memor eram nominis tui, & cuſtodiui legem tuam, non me exempla multorum à recto tenore reuocabant. Hæc denique ſola mihi facta eſt portio, quia iuſtificationes tuas exquiſiui, cum diſcerem cuſtodire legem tuam. Hæc ſola facta eſt mihi portio. Cum enim illi ſibi diuiderẽt agros, domus, uineas, gloriasq; mundi diuerſas, me inermem à ſuo contubernio reliquerunt dicentes: Si non in pane uiuere potes, ſed in uerbo Dei, hæc ſola ſit tibi portio. Et ego dixi tibi Domine, miſerere mei ſecundum eloquium tuum. Tu promiſiſti, ut nihil horum requiramus, non mi-

bi promiſſionem tuam peccata mea impediant, quia cogitaui uias tuas. Et conuerti pedes meos ad teſtimonia tua. Nunc autem paratus ſum, & non ſum turbatus, non me turbet triticum non eſt in horreo, oleum nõ eſt in uaſculo, nummus non eſt in ſacculo, ueſtimentum in conditis non eſt, expeditus ſum, paratus ſum, & in hac paupertate non ſum turbatus. Et ad quid paratus es? *Vt cuſtodiam, inquit, mandata tua, & licet funes peccator in tenebroſitate diſtendit, ego & funibus peccatorum circumplexus, & in medijs tenebris poſitus, ſurgebam ad confitendum tibi, uadens ſuper iudicia iuſticiæ tuæ* Deſiderabam enim particeps fieri timentium te, & cuſtodientiũ mandata tua. Conſiderabam tamen peccata mea, ſed miſericordiam tuam plenius cogitabam & dicebam: *Quia miſericordia tua plena eſt terra.* Quid eſt plena eſt terra miſericordia Dei? Medicamentum eſt animæ. Medicamentum autem quando uulneribus mittitur, niſi impleuerit uulnera non curantur. Terra ergo corpus noſtrũ eſt, quod per omnia membra ſpiritalia uulnera contrahendo opus habuit ſaluatorem, cuius miſericordia impleretur terra, & ſaluatos iuſtificationes ſuas doceret. Deniq; ita ſequitur: *Vt bonitatem & diſciplinam & ſcientiam, inquit, doceas me. Quia mandatis tuis credidi,* ego, inquit, qui prius quàm tibi humiliarer deliqui. Nũc uero quia miſericordia tua plena eſt terra, propterea eloquia tua cuſtodiui. Et licet multiplicetur ſuper me iniquitas ſuperborum, id eſt, licet multiplicentur mihi ſuggeſtiones dæmonum, ego tamen in toto corde meo ſcrutabor legem tuam. Et licet coaguletur ſicut lac cor eorũ,

*ego tamen legem tuam meditatus ſum. Bonum eſt enim mihi quod humiliaſti me,ut diſcam mandata tua.*Non eſt *afflictio corporalis in miſerijs deputanda,ſi nobis etiam nolentibus ueniat.*Vide enim quid dixit:*bonum, inquit, mihi quia humiliaſti me,ut diſcam mandata tua.*Alij poſ ſideant & in ſuis locupletationibus glorientur, *mihi me lior eſt lex oris tui, ſuper milia auri & argenti. Manus enim tuæ fecerunt me,* hoc memor eſto, quia cum omnia uerbo feceris,me manus tuæ ad tuam effigiem plaſmaue runt.*Da ergo mihi intellectum & diſcam mandata tua,* iſta cupientem, iſta deſiderantem *qui timent te uidebunt me,& lætabuntur.Quia in ſermonibus tuis ſperaui.*In ipſis enim cognoui,*quia æquitas iudicia tua.Et ueritate humiliaſti, me,* id eſt, uera cauſa extitit ut humiliares me. Propter iniquitatem enim corripuiſti me. *Fiat nunc miſericordia tua, ut conſoletur me, ſecundum eloquium tuum ſeruo tuo. Veniant mihi miſerationes tuæ & uiuam, quia lex tua meditatio mea eſt.* Cauendum ſane & præuidendum, quia quotienſcumque lex Dei meditatio noſtra eſt, tunc ſuperbi iniquitates operantur in nobis. Quanto enim nos humiliores propter Deum eſſe uoluerimus, tanto nobis ſuperbi nequiores exiſtunt. *Confundantur, inquit, ſuperbi, quia iniuſte iniquitatem fecerunt in me.* Ego autem, ait, non receſsi à patientia, ſed cœptis inſiſtens, in toto corde meo *ſcrutabar legem tuam.*Verum quia orandum eſt,ut quietam & tranquillam uitam agamus, iſti à me auertantur. *Et conuertantur ad me qui timent te, & qui nouerunt teſtimonia tua,* quia per ſocietatem bonorum

effi-

efficitur cor noſtrum mundum. In *Iuſtificationibus domĩ ni,ut non confundamur*. Hoc autem *præſtat ipſe ſolus, qui eſt in dextra patris,qui interpellat pro nobis,cui gloria ſimul cum patre & ſpiritu ſancto in unitate deitatis, per omnia ſecula ſeculorum, Amen.*

D*Efecit in ſalutari tuo anima mea, & in uerbum tuum ſuperſperaui.* *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes quando conſolaberis me.* *Quia factus ſum ſicut uter in pruina,iuſtificationes tuas nõ ſum oblitus.* *Quot ſunt dies ſerui tui,quando facies de perſequentibus me iudicium.* *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, ſed non ut lex tua.* *Omnia mandata tua ueritas,iniqui perſecuti ſunt me adiuua me.* *Paulominus conſummauerunt me in terra,ego autem non dereliqui mandata tua.* *Secundum miſericordiam tuam uiuifica me,& cuſtodiam teſtimonia oris tui,*

In æternum Domine *uerbum tuum permanet in cœlo.* *In generatione & generationem ueritas tua, fundaſti terram & permanet.* *Ordinatione tua perſeuerant dies,quoniam omnia ſeruiunt tibi.* *Niſi quod lex tua meditatio mea eſt, tunc forte periſſem in humilitate mea.* *In æternum non obliuiſcar iuſtificationes tuas, quia in ipſis uiuificaſti me.* *Tuus ſum ego ſaluum me fac,quoniam iuſtificationes tuas exquiſiui.* *Me expectauerunt peccatores ut perderent me, teſtimonia tua intellexi.* *Omnis conſummationis uidi finem, latum mandatum tuum nimis.*

Quomodo

Qvomodo dilexi legem tuam domine, tota die meditatio mea eſt. Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo, quia in æternum mihi eſt. Super omnes docētes me intellexi, quia teſtimonia tua meditatio mea eſt. Super ſenes intellexi, quia mandata tua quæſiui. Ab omni uia mala prohibui pedes meos, ut cuſtodiam uerba tua. A iudicijs tuis nō declinaui, quia tu legem poſuiſti mihi. Quàm dulcia ſau cibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo. A mandatis tuis intellexi, propterea odiui omnē uiā iniquitatis.

Lvcerna pedibus meis uerbum tuum, & lumen ſemitis meis. Iuraui & ſtatui cuſtodire iudicia iuſticiæ tuæ. Humiliatus ſum uſquequaq; domine, uiuifica me ſecundum uerbum tuum. Voluntaria oris mei beneplacita fac domine, & iudicia tua doce me. Anima mea in manibus meis ſemper, & legem tuam non ſum oblitus. Poſuerunt peccatores laqueum mihi, & & de mandatis tuis non erraui. Hereditate acquiſiui teſtimonia tua in æternū, quia exultatio cordis mei ſunt. Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum propter retributionem.

INiquos odio habui, & legem tuam dilexi. Adiutor & ſuſceptor meus es tu, & in uerbum tuum ſuperſperaui. Declinate à me maligni, et ſcrutabor mandata dei mei. Suſcipe me ſecundum eloquium tuum & uiuam, et nō confundas me ab expectatione mea. Adiuua me & ſaluus ero, & meditabor in iuſtificationibus tuis ſemper. Spreuiſti omnes diſcedentes à iudicijs tuis, quia iniuſta cogitatio eorum. Præuarican-

tes reputaui omnes peccatores terræ, ideo dilexi teſtimo nia tua. Confige timore tuo carnes meas, à iudicijs e nim tuis timui.

FEci iudicium & iuſticiã, non tradas me calumnian tibus me. Suſcipe ſeruũ tuum in bonum, non ca lumnientur me ſuperbi. Oculi mei defecerũt in alutare tuũ, & in eloquium iuſticiæ tuæ. Fac cum ſer uo tuo ſecũdum miſericordiã tuam, & iuſtificationes tu as doce me. Seruus tuus ſum ego, da mihi intellectũ, ut ſciam teſtimonia tua. Tempus faciendi domine, diſ ſipauerunt legem tuã. Ideo dilexi mandata tua ſuper aurũ & topazion. Propterea ad omnia mandata tua dirigebar, omnem uiam iniquam odio habui.

MIrabilia teſtimonia tua, ideo ſcrutata eſt ea ani ma mea. Declaratio ſermonũ tuorum illumi nat, & intellectũ dat paruulis. Os meũ ape rui et attraxi ſpiritũ, quia mãdata tua deſiderabã. Aſpi ce in me & miſerere mei, ſecundum iudiciũ diligentium nomen tuũ. Greſſus meos dirige ſecundum eloquium tuum, & non dominetur mei omnis iniuſticia. Redime me à calumnijs hominũ, ut cuſtodiam mandata tua. Fa ciem tuam illumina ſuper ſeruum tuum, & doce me iuſti ficationes tuas. Exitus aquarũ deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam.

IVſtus es domine, & rectum iudiciũ tuum. Manda ſti iuſticiã teſtimonia tua, & ueritatem tuã nimis. Ta beſcere me fecit zelus meus, quia obliti ſunt uerba tua inimici mei. Ignitũ eloquium tuum uehementer, & ſeruus tuus dilexit illud. Adoleſcentulus ſum ego & con-

contemptus, iuſtificationes tuas non ſum oblitus. Iuſticia in æternum, & lex tua ueritas. Tribulatio & anguſtia inuenerũt me, mãdata tua meditatio mea eſt. Aequitas teſtimonia tua in æternũ, intellectũ da mihi et uiuã.

CLamaui in toto corde, exaudi me domine, iuſtificationes tuas requiram. Clamaui ad te & ſaluum me fac, ut cuſtodiã mãdata tua. Præueni in maturitate & clamaui, quia in uerba tua ſuperſperaui. Præuenerũt oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua. Vocẽ meam audi ſecundum miſericordiã tuã domine, & ſecundum iudicium tuum uiuifica me. Appropinquauerunt perſequentes me iniquitate, à lege autem tua longe facti ſunt. Prope eſto domine, & omnes uiæ tuæ ueritas. Initio cognoui de teſtimonijs tuis, quia in æternum fundaſti ea.

VIde humilitatẽ meam & eripe me, quia legẽ tuã non ſum oblitus. Iudica iudiciũ meum & redime me, propter eloquiũ tuũ uiuifica me. Longe à peccatorib. ſalus, quia iuſtificationes tuas nõ exquiſierunt. Miſericordiæ tuæ multæ domine, ſecundũ iudicium tuũ uiuifica me. Multi qui perſequuntur me & tribulant me, à teſtimonijs tui nõ declinaui. Vidi præuaricantes & tabeſcam, quia eloquia tua non cuſtodierunt. Vide quoniã mandata tua dilexi domine, in miſericordia tua uiuifica me. Principium uerborum tuorum ueritas, in æternum omnia iudicia iuſticiæ tuæ.

PRincipes perſecuti ſunt me gratis, & à uerbis tuis formidauit cor meũ. Lætabor ego ſuper eloquia tua, ſicut qui inuenit ſpolia multa. Iniquitatẽ o-

dio habui & abominatus ſum,legem autem tuam dilexi. Septies in die laudem dixi tibi,ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ. Pax multa diligentibus legem tuam,& non eſt illis ſcandalum. Expectabam ſalutare tuum domine,& mandata tua dilexi. Cuſtodiuit anima mea teſtimonia tua & dilexit ea uehementer. Seruaui mãdata tua & teſtimonia tua,quia omnes uiæ meæ in conſpectu tuo.

Appropinquet deprecatio mea in conſpectu tuo domine,iuxta eloquiũ tuum da mihi intellectũ. Intret poſtulatio mea in conſpectu tuo,ſecundũ eloquium tuũ eripe me. Eructabunt labia mea hymnũ, cum docueris me iuſtificationes tuas. Pronunciabit lingua mea eloquiũ tuũ, quia omnia mandata tua æquitas. Fiat manus tua ut ſaluet me,quoniã mandata tua elegi. Concupiui ſalutare tuum domine, & lex tua meditatio mea eſt. Viuet anima mea et laudabit te,et iudicia tua adiuuabunt me. Erraui ſicut ouis quæ perijt, quære ſeruum tuum,quia mandata tua non ſum oblitus.

COMMENTARIVM.

*Cucurrit uſq; ad iſtum uerſiculum unus idem ſenſus,nunc incipit alius qui ex ipſo curſu deſcẽdit. inchoauit itaq; in iſto ſenſu omne humanum genus dicens:*Memor *eſto uerbi tui,in quo mihi recuperandi ſpem dediſti. Hæc ſpes me conſolata eſt, quando ſuperbi inique agebant in me.* Nunc *ad hanc eandem expectationis defectum ſui eueniſſe cauſatus,iterum clamat:*De*fecit inquit, in ſalutari tuo anima mea, & in uerbo tuo ſperaui,defecerũt oculi mei in eloquio tuo,dicẽtes. Quãdo uenies, quando reſtaurabis me, quando conſolaberis*

me: Quia per præuaricationem Adæ factus ſum ſicut uter in pruina, intus uacuus, à foris uero contractus. Iuſtificationes tamẽ tuas non ſum oblitus. Verum quia uita hominis parua eſt ſuper terra, quanti dies reſtant mundo ſeruo tuo ut finiatur, quando facies de perſequentibus eum iudicium? Qui narrant idolatræ fabulationes, ſed non ut lex tua: Iniqui dæmones perſequuntur eum. Adiuua eum domine, ecce mundi finis propè eſt, ct modico minus conſummabitur ipſe mundus in terra. Veni domine, quia ego qui in his doleo, id eſt, chorus omnium ſanctorum, non dereliqui mandata tua. Vt ſecundum miſericordiam tuam uiuam & cuſtodiam teſtimonia oris tui. Quibus promiſiſti, te nobis pereuntibus mittere ſaluatorem. Certus ſum enim, quod in æternum permanebit uerbum tuum in cœlo. Qui licet cum hominibus uideatur, ut promiſiſti, de cœlo tamen nunquam abſcedit. Sicut nec fluuius cum mare ingreditur, & circuit terras, de ſinu ſui fontis unquàm eſt abſens, Ita proculdubio uerbum tuum, cum ad nos uenerit, de ſinu tuo ſancte pater nunquàm abſcedit. Quid moraris eum mittere, qui huc ueniens ſuper terram de cœlo nunquàm abſcedit. Veniat ut liberemur repromiſſio, quæ mentiri non poteſt. Quia in ſeculum ſeculi ueritas tua. Fundaſti terram & permanet, & homo propter quem terram fundaſti, non permanet. Ecce & ordinatione tua perſeuerant dies, & homo propter quem dies feciſti non perſeuerat. Ideo autem perſeuerant omnia, quoniam omnia ſeruiunt tibi, homo autem non perſeuerat, quoniam non ſicut omnia ſeruit tibi. Qui ſtatim ut à ſeruitio tuo receſſit, tunc quando præ-

uaricatus à ſublimitate bonæ conſcientiæ cadens humiliatus eſt. Qui ideo habuit perire in ipſa humilitate ſua, quoniam his perſeuerantia conceſſa eſt, qui obtemperando receßit ab eo ſecuritas uitæ, & ſic humiliatus ut putaret ſe ita perire in humilitate ſua, ut ultra genus humanum non haberet ſtatum. In *ipſius nunc deiectione dicitur* Deo: *Tuus ſum ego, ſaluum me fac.* Veniat *qui ſaluet eum, quia ſpiritus immundi expectant, ut perdant eum in perſeuerantia idolorum: & moras faciente ſeruatore, ueniat conſummatio ſeculi. ſed illis expectantibus ut pereat mundus.* Ego, *id eſt, chorus prophetarũ, teſtimonia tua intellexi.* Et *omni cõſummationi nequißimæ uidi finẽ mandatum uero tuum latum eſt nimis.* Latum, *quia omnia terræ ſpacia occupat, & corporis & animæ fines tenet, ducet ſibi ſurſum ad cœlos, contemnentem deponit ad inferos.* Latũ *nimis eſt eius imperiũ, ſiquidem & potentibus ſimul & regibus & cunctis gentibus imperat.* Hoc *mandatũ, ait chorus ut dixi ſanctorũ, ego nõ timui, ſed dilexi,* Perfecta *quippe dilectio foras mittit timorem. et ita dilexi, ait, ut tota die meditatio mea eſſet. uideamus nũc, quid ſibi euteniſſe referat per amorẽ mandati. ſuper inimicos meos, inquit, prudentẽ me feciſti mandato tuo, quia in æternũ mihi eſt.* Inimicos *hoc loco, & inuiſibiles & uiſibiles memorauit.* Super *omnes docẽtes me intellexi, quia mãdata exquiſiui.* Nota *tibi eruditißime, quia cũ ſapientior eſſet docentibus, diſcipuli formã gerebat.* Etiã *ſuper ſenes intellexi, quia legem tuã non ſum oblitus.* Nullus *obliuionẽ rem naturæ exiſtimet, cũ ex uitio negligentiæ oriatur,* Quia *ergo ait, legẽ tuam nõ ſum oblitus.* Ab

omni

omni uia mala prohibui pedes meos,ut cuſtodiã manda-ta tua, id eſt, à malo receßi, & ita ad cuſtodiam tuorum mandatorum acceßi.Cumq; acceßiſſem à iudicijs tuis nõ declinaui,quia tu legem poſuiſti mihi,quàm ego uoluens in ore meo,ſuper mel habeo dulciorẽ. Et intelligẽs quan*ta bona mihi per dilectionem legis tuæ proueniant,odio cœpi habere omnem uiam iniquitatis.* Et ſicut ſi lucerna *in tenebris docet pedes hominis foueas aut offendicula quæ declinant, ita ego greßibus uel pedibus cordis mei.* Veluti lucernã *pedibus meis,ita uerbum tuũ ſenſibus me is.Videns ergo me tenebras per eam euaſiſſe diaboli, & lucidas ſemitas inueniſſe, iuraui atq; ſtatui cuſtodire iudi cia iuſticiæ tuæ.*Quid eſt quod dicitur,*iuraui? ius conſti-tui,ſiue regulam poſui,in qua ſtatui cuſtodire iudicia iu-ſticiæ dei,& propter hoc humiliatus ſum uſq; quaq;.* Ita *humiliatus ſum,ut nõ liceret mihi, nec ſeruũ contemnen tem me lædere,iniuriam paſſus,tacui.* Et paſſus *calumni am quieui,non tendendo utiq;, ſed omnia quæ eueniunt contemnendo humiliatus ſum.* Non enim hoc quod *ſta-tueram cuſtodire, cuſtodire poteram, niſi eſſem humilis uſquequaq;, & efficerer tanquàm purgamentum huic mundo. Verum quia mortem minantur excitantes infa-miam :* Domine, *ait, uiuifica me ſecundum uerbum tuũ, & hoc quod ſtatui, quia uoluntario iudicio ſtatui, non neceßitatisimperio:deprecor,ait,ut uoluntaria oris mei facias beneplacita domine, & iudicia tua doceas me.* Sit *anima mea in manibus tuis ſemper, & legem tuam non obliuiſcar,& hoc ſtat quod Græci canunt:anima mea in manibus meis ſemper,ſecundum illam ſententiam:Si re-*

 corde-

corderis, inquit, nouiſsima tua, in æternum non peccabis. Ita *iſte animam ſuam dum in manibus ſuis habet, ſemper eam exituram conſiderans, legem dei non obliuiſcitur, etiam ſi peccatores laqueos ei poſuerint, euadet primo, quia lucernam pedibus habens, legem qua deteguntur laquei immundorum, euadit. Adiecit huic bono, ut ſemel cœptam cuſtodiam etiam iurando firmaret.* Et *hæc faciendo euenit mihi, inquit, ut hæreditatem acquirerẽ in æternum.* Non *dicitur hæreditas, niſi mortuus fuerit qui hæredem inſtituit. Ergo mortuo pro me domino, ego hæreditatem acquiſiui, teſtimonia eius in æternum, quia teſtimonia exultatio cordis mei ſunt.* Teſtatus *eſt enim mihi, quod perpetuam uitam inueniam & æternam mortem euadam.* Et *ego credens iniquos odio habui, & legem tuã dilexi, atq; ideo dixi ſpiritibus immundis:* De*clinate à me maligni, ut ſcruter mãdata dei mei. Nota tibi quomodo ſcrutatũ legis, & ita ſcrutare, dic & tu immundis ſpiritibus:* Declinate *à me, ut ſcruter mãdata dei mei.* Q*uia ipſi tibi immittunt impedimentum, quando tuam mentem intentam attendunt. Eueniant itaque damna rerum, & diuerſa aduerſa uel proſpera. Audi angelos clamantes :* Attende *animam tuam* Loth, *ne proſpexeris retro. Age quod agis, quia quod reuocaris tranſiris, ſi ſtare uolueris.* Noli *ergo occupationibus, quæ te à ſcrutatione ſancta reuocant acquieſcere, ſed clama cum propheta ad deũ,* Adiuua *me domine, & ſaluus ero, & meditabor in tuis iuſtificationib. ſemper. i. die & nocte, ut in primo pſalmo promiſſum eſt :* Q*uoniam ſpreuiſti, inquit, omnes qui deſcendunt à iuſticijs tuis. Iniuſta enim*

cogi-

cogitatio eorum. Propter hoc ait, præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ, quia legẽ tuam dilexi. Verũ quia concupiſcit caro aduerſus ſpiritum, ut infigas timori tuo carnes meas exoro. A iudicijs enim tuis timui: niſi enim fixæ fuerint carnes meæ timori dei, riſus nobis naſcitur, & dei iudiciũ non timemus. Et dum non timemus dominum, inimicis ac perſequẽtibus tradimur. Vnde his adiecit: Feci, inquit, iudiciũ & iuſtitiã, non tradas me perſequentibus me. *Quod iudicium, quam eius iniuſtitiã expone nobis: Caro, inquit, mea domina uolebat fieri animæ, ego eam maceraui & ſeruituti redegi. Ecce iudiciũ, iuſtitiam uero feci, animæ tradidi dominatum ſuper eam, quia per carnẽ calumniabantur mihi ſuperbi.* Elige quæſo te domine, elige ſeruũ, *id eſt, totum mundũ, elige eum in bono, id eſt, in Chriſto.* Non calumniẽtur ei ſuperbi, *id eſt, immundi ſpiritus, qui tenent Chirographum peccati. Veni domine & dele illud, excludẽs inimicitias ſuperborum.* Oculi enim mei defecerunt in ſalutari tuo. *Expectans ſemper attendet, ut uenientem aſpiciat, quo morante dicit:* Oculi mei defecerunt in expectatione eius. Fac quæſo cum ſeruo tuo, *id eſt, cum ſeculo tuo* ſecundum miſericordiam tuam, & iuſtificationes tuas doce me. Tempus eſt ut uenias, *perdiſsipata eſt ab iniquis lex tua, id eſt à Iudæis, qui eam accipientes diſsipauerunt eam, ſua præcepta, ſicut arguit dominus, ſtatuentes, & traditiones hominum cuſtodientes, legem uero dei contemnebant.* Diſsipauerunt iniqui legem tuam, *nullus credit, omnes declinauerunt. Veni domine quia tempus faciendi miſericordiam, conclude omnia in incredulitate, ut omnibus miſerearis.*

rearis. Memor eſto qui legis, quia uocem diximus hic agi omnium prophetarum, qui & præconia ſua uoluerũt ad effectum adduci per aduentũ domini, & humano generi ſubueniri. Hic ergo, id eſt, prophetarum & ſanctorum chorus loquitur: Dilexi, inquit, mandata tua ſuper aurum & topazion, id eſt, ſuper aurum & lapidem preciosum. Sic repetijt in centeſimo octauo decimo, ſicut in octauo decimo iam prædixit. Et propterea, inquit, ad omnia mãdata tua dirigebar. Et omnẽ uiam iniquam odio habui, quia mirabilia teſtimonia tua. Pinge pinge ante oculos tuos qui hæc cantas aliquas fabricas. Quales? illas quas mirabantur Apoſtoli, pinge thermas, pinge fora & mœnia in uertice excelſo ſurgentia. Et dum iſta conſideras, memento caſulæ cuiuſcunq; ex frondium ſepto contextæ. Nunquid non tanto illa tibi erit deſpectior, quanto iſta mirabilia ſtupueris. Ergo is quicunq; legem dei rationem habere uult, totũ quaſi uilem caſulam deſpicit mundum, & ſola mirabilia habens teſtimonia eius, ideo ſcrutatur ea anima eius, cumq; declaratio ſermonum eius in rebus æternis illuminauerit eum, & paruulis conſiderationibus eius magnum tribuerit intellectum, aperiet os ſuum in laudibus dei, & attrahit ſpiritum, id eſt, ſuſpirijs occupatur, quia mandata dei deſiderat, & incipit ſic deſiderare, ut præ deſiderio non dormiat, atque eſcam potumq; ſibi ac læticiam ſubtrahens, præ deſiderio ſui pectoris clamet: Aſpice me & miſerere mei ſecundum iudicium diligentium nomen tuum: hæc totius humani generis oratio funditur. Vnde & ſequitur: Greſſus meos dirige ſecundum uerbum tuũ & uiuam, qui greſſus meos in

portum miſi par Adam,& mortem inueni. Tu ueni domine, & per te greſſus meos dirige ſecundum uerbum tuũ, quod ille præuaricatus eſt, & uitam inueniã per te, quã per illum amiſi. Expecto domine ueni,& non confundas me ab expectatione mea. Si enim ueneris, non dominabitur mei omnis iniquitas, ſcilicet dæmonum. Nam increduli homines credentes calumniantur, dicentes: Quid negatis deos gentiũ, & uirginis filium expectatis, quando habet uirgo in utero concipere, & parere uobis Emanuelem. Veni ergo domine & redime me à calumnijs hominum,& cuſtodiã tua mandata, non hominum. Cum faciẽ tuam illuminaueris ſuper ſeruum tuũ, id eſt ſuper ſeculũ tuum. Tunc doces nos per filiũ tuum iuſtificationes tuas. Cõſideremus nunc ſummũ gradum orationis. Summus gradus enim orationis eſt, quãdo in oratione poſitus, preces ſimul et lachrymas fundis. Impoſsibile enim eſt, ut nõ oculi tui peccatũ incurrerint. Omne enim quod in mundo eſt, ut ait Apoſtolus, cõcupiſcentia oculorũ eſt, & ambitio ſeculi, quæ non eſt à patre. Dic ergo cum propheta: Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia nõ cuſtodierunt legem tuã. Dixit equidem miſericordiã tuã,& ſpes mea omnis in ipſa eſt. Sed quid faciam, quia ſcio, quia iuſtus es domine,& rectũ iudiciũ tuum. Et mandaſti iuſtitiã tuam,& teſtimonia tua, quibus cõminaris æternum incẽdium,& ſcio in loquela tua ueritatẽ nimis. Ideo ergo fundunt oculi aquas, quæ abluãt plorando, quod cõcupiſcendo polluerunt. Zelor tamen mundũ tuum ab idolis, quia gaudent ſuper eum inimici tui, & ita hinc inde bacchantur, ut obliti ſint uerba tua, ipſi inimici generis humani:

Sciunt

Sciunt enim & intelligunt uoces prophetarũ, in quibus uerba tua pollicentur noſtri redemptoris aduentum. Sed tantum moraris domine, ut obliti ſint uerba ipſa promiſſionis huius inimici mei. Porrò aũt *ignitum eſt eloquium tuum uehementer, ignitum eſt amatorium, excludens amores mortiferos & uitæ æternæ amores includens.* Ad iecit poſtquàm *ignitũ dixerat:* Et *ſeruus tuus, inquit, dilexit illud, adoleſcentior ego ſum, & cõtemptus ijs, qui pugnant aduerſum me, mundo omni ſeniores ſunt, & omnibus uetuſtis ſeculis antiquiores eſſe noſcuntur.* His ergo *adoleſcentior pro cõtempto habeor, dum iuſtificationes tuas exquiro.* Iuſtitia *enim tua certus ſum, quod iuſtitia ſit in æternũ.* Et *ſcio quia lex tua ueritas ſit, & ideo me tribulatio & anguſtiæ inuenerunt. Quia mandata tua meditatio mea eſt.* Non *enim faciunt tribulationes & anguſtias dæmones, niſi his quàm maxime qui mãdata domini meditãtur:* Et *ideo clamaui, inquit, in toto corde meo, exaudi me domine, iuſtificationes tuas exquiram.* Ita *meos mores in tuo amore diſpone, ut nihil de hoc mundo quæram, ſed ſolas tuas iuſtificationes exquirã.* Præueni *enim in maturitate & exclamaui:* Fui *puer poſtea adoleſcens, itemq; iuuenis, nũc ecce iam ſenui, & uitæ meæ finẽ attẽdens, in hac maturitate poſitus clamo, & præueniũt oculi mei ad te diluculo, id eſt, antequã alius te orare incipiat.* Lucẽ *ipſam diei uenientẽ præueniunt ad te oculi mei, ut uocẽ meã audias ſecundũ magnam miſericordiam tuã, quia prope ſunt qui perſequuntur me.* Iniquitates *mihi prope ſunt quia à lege tua lõge facti ſunt, id eſt, dæmones in idolis, & ſpiritus immundi in cogitationib. malis.* Hij appro=

appropinquauerunt perſequentes me,putantes te adhuc longe eſſe,tu aũt propè es domine, et omnia mãdata tua, quibus mandaſti, tuum expectandum aduentum, omnia mãdata tua ueritas.Ab initio cognoui de teſtimonijs tuis, quia ſic firma ſunt promiſſa tua,ut in æternũ fundaueris ea.Vide ergo humilitatẽ meũ.Chorus ſanctorũ pro mundo uniuerſo exorat.Vide humilitatẽ meam & eripe me, quia legem tuã nõ ſum oblitus,promiſſam ſalutẽ aduẽtus tui.Iudica iudicium meũ, & redime me propter eloquiũ tuum.Vt uerum illud uniuerſis non credentibus manifeſtes,propter eloquium tuum eripe me.Longe eſt à peccatoribus ſalus,ſiue qui uenturum nõ credunt, ſeu qui iam ueniſſe non credunt. Longe eſt utiq; ſalus ab eis,quia iuſtitias tuas non exquiſierunt. Tuæ autẽ miſerationes multæ ſunt domine,cum non requirẽtes te requiris, cum contemptores tuos exaudis. Quia ergo illis miſericordiam exhibes qui teſtimonia tua non exquiſierunt, quanto magis & mihi miſerere,qui à teſtimonijs tuis nõ declinaui. Hoc ut ſæpe dicimus, chorus ſanctorum omniũ proteſtatur,qui & adiecit:Vidi nõ ſeruantes pactum, & tabeſcebam, quia iuſtitias tuas non cuſtodierunt, quomodo diſtabuit Moyſes in populo præuaricatore,quomodo Finees, quomodo Chaleb filius Iephanæ,quomodo Ieſus Naue filius,quomodo Samue lin Saule.Omnis ergo chorus ſanctorum ante aduentum domini, uidens non ſeruantes pactum tabeſcebat,& dicebat domino: Vide quia dilexi legem tuam,in tua miſericordia uiuifica me.Hoc aũt quod diximus ſæpenumero,ſanctorum ab Abel uſq; ad Mariã & Ioſeph omnes quidem in lege ueteri placuerunt, uſq; ad

ad Abraã legẽ naturæ ſeruantes, ab Abraã uſq; ad Moyſen legẽ naturæ & circunciſionis, à Moyſe uſq; ad dominum Ieſum Chriſtũ legem naturæ, circũciſionis & legis, omnet hij iam tunc ex ſemetipſis fundamentum eccleſiæ conſtruebant, cuius dedicatorem & adimpletorem dominum expectabant, qui compleret quod iurauerat ſeruo ſuo Abrahæ, quod in ſemine eius hæreditaret omnes gentes. Hic chorus omnium ſanctorum, iam dei filium ex ore patris didicerat natũ, ut euidẽter diceret patri: Principium uerborum tuorũ ueritas. Quid minus hic quàm euangelia declarauit. In his ergo iam tunc Chriſtus cum patre & ſpiritu ſancto regnabat. Non enim poterat fieri, ut cuperẽt eum & confiterentur eum, niſi mentis ſuæ oculis eius pulchritudinem aſpexiſſent. In ipſis ergo iam eccleſia Chriſti, ita quæ ſunt futura præloquitur, ut præterita enarrare uideatur: Principes, inquit, pſecuti ſunt me gratis, ſed contempta perſecutione eorum, à uerbis tuis formidauit cor meum. Eis ſcilicet uerbis quibus dixiſti: Nolite timere qui occidunt corpus, ſed eum qui poteſt corpus & animam perdere in gehennam. Habens ergo in uerbis tuis timorem & lęticiam, ſicut qui inuenit ſpolia multa, tempore quo iniquitatem odio habui, id eſt, idolis ſacrificare contempſi, & uidens iniquitatem abominatus ſum, ita ut ſupplicijs diuerſis maceratus excederem. Tunc utiq; ſepties in die laudem dixi tibi, cum in ſeptiformi ſpiritu ſeptem eccleſijs textum ſuperioris fabricæ extruebam. Sicut enim diximus in ueteribus ſanctis Chriſtum in fundamento eccleſiæ operatum: ita in mœnibus nouis operatum, per quos unius eiuſdemq; fundamenti,

menti,uſq; ad finem ſeculi arces exurgunt. In quibus pax multa diligentibus nomen tuum domine, & non eſt illis ſcandalū. In quibus expectatur ſalus tua domine, & mandata tua cuſtodiuntur. In quibus intrat poſtulatio noſtra in conſpectu tuo domine, & ſecundum uerbum tuum liberas nos. In quibus eructant labia noſtra hymnum, cum docemur iuſtificationes tuas. In quibus pronunciat lingua noſtra eloquia tua, & docetur quod omnia mandata tua ſint æquitas. In quibus manus tuæ, illæ quæ in cruce fixæ fuerunt, ipſæ ſaluos nos faciūt, ſi mandata tua diligimus, & concupiſcimus ſalutare tuū, & lex tua meditatio noſtra eſt. Credentes quod etiam corpore noſtro uiuet anima noſtra, et laudet te, credentes quòd iudicia tua adiuuent nos. Confitentes quod errauimus, ſicut ouis illa quæ perijt, rogantes ut requiras eam, & humeris imponens, gregi applices permanenti ſecundum promiſſum tuum domine Ieſu Chriſte, qui regnas cum patre, & ſpiritu ſancto, per omnia ſecula ſeculorum Amen.

Canticum graduum. CXIX.

AD dominum cum tribularer clamaui, & exaudiuit me. Domine libera animam meam à labijs iniquis, & à lingua doloſa. Quid detur tibi aut quod apponatur tibi, ad linguā doloſam. Sagittæ potentis acutæ, cū carbonibus deſolatorijs. Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt, habitaui cū habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea. Cum hijs qui oderunt pacem eram pacificus, cum loquebar illis impugnabant me gratis.

COM-

COMMENTARIVM.

CAntica graduum, cantica aſcenſionem ſunt. Velutiſi alicui qui in foueam ceciderit, ponatur ſcala, ut inde aſcendendi capiat facultatem. In fouea itaq; captiuitatis cum populus Iſraeliticus deueniſſet, cũ tribularetur clamauit ad dominum, & exauditus eſt, unde & plorat, dicens: Heu me, quia peregrinatio mea longa facta eſt. Et adiecit: Habitaui cum habitãtibus Cedar. Cedar unus ex filijs Iſrael fuit qui obtinuit ſolitudinẽ in regione orientis quæ à deſerto Palæſtinæ uſque ad terras Perſarum extenditur, in qua parte nunc Sarraceni habitant, quorũ pater Cedar filius Iſmael eſſe reperietur lectione Geneſeos: Hij odientes pacem eouſq; probantur, ut nunquã cum gente aliqua fœdus inierint pacis, ex quo orti ſunt uſq; ad præſentem diem. Quam gentem ego dæmonibus comparans, ad meum captiuum accedo: fugiensq; moras hiſtoricæ narrationis, ei qui cecidit in peccati foueam, iſtum pſalmum expono: dico ei, tribulare, quia male lætatus es. Et cum tribulantem te fecerit pœnitentia, clama ad dominum credens quod te exaudiat, dic ei: Libera animam meam à labijs iniquis, & à lingua doloſa, dicunt ei dæmones: Et cum in cloaca deiecerim peccatorem, interim modo differto clamorem. Reſtat tibi tempus quo poßis aſcendere. Hos populos idcirco ſeminant, ut qui eos audierit, dum ſperat expiret. Hijs labijs doloſis, & huic linguæ nequißimæ præpara ſagittas potẽtes, orationibus temperatas, & ieiunijs acutas, cum carbonibus diuino igne ſuccenſis. Applica te ad gradum & pone aſcenſiones in corde tuo, à conualle fletus ad montem refugij.

refugij. Et non ſolum tu ipſe moras non innectas,ſed illas tu excogita. Et flebili uoce te moratum in peccatis inter ſuſpiria ingemiſce. Heu me, quia incolatus meus prolongatus eſt, habitaui cum habitantibus Cedar. Cum hijs habitaui qui me Cum uerbo dei,ne pacem facerem perſuadebant, ibi multũ incola fuit anima mea. Bene poſuit animam. Caro enim quia de terra eſt,ubicunq; fuerit,in terra ſua eſt. Ego tamen, licet cum his qui oderant pacẽ conſiſterem, cum uerbo tamen dei eram pacificus. Et cum loquebar illis, quod uellem ad gradum aſcenſionis accedere, illi expugnabant me gratis. Mox enim ut cœperit peccator ad pœnitentiam cõuolare, & à fouea mortis ad uitæ ſupernæ montem conſcendere, expugnationes dæmonum quod ſit paſſurus, agnoſcat, ſi credit ſibi uere à dei ſapientia dictum: Cum acceſſeris ad ſeruitutẽ dei,ſta in timore & tremore,& præpara animam tuam ad tentationem. Quod ſciẽs dominus, in eo ſermonem noſtrum orationis noſtræ incluſit, ut clamemus,ne nos patiatur induci in tentationem, ſed liberet nos à malo, qui regnat in ſecula ſeculorum Amen.

Canticum graduum. CXX.

LEuaui oculos meos in montes, unde ueniat auxilium mihi. Auxilium meum à domino,qui fecit cœlum & terram. Non det in cõmotionem pedem tuum, neq; dormiet qui cuſtodit te. Ecce non dormitabit neq; dormiet, qui cuſtodit Iſrael. Dominus cuſtodit te,dominus protectio tua ſuper manũ dexterã tuã. Per diem ſol non uret te,neq; luna per noctem. Dominus cuſtodit te ab omni malo, cuſtodiat animam tuam

dominus. Dominus *cuſtodiat introitum tuum & exitum tuum,ex hoc nunc & uſq; in ſeculum.*

COMMENTARIVM.

CEnteſimi uiceſimi pſalmi aſcenſus patet.Leua oculos tuos ad montes. Quid moraris in conuallibus? Credo quia ſi leuaueris oculos tuos ad montes euades mortem & uitam inuenies.Si tamen leuaueris oculos tuos ad montes, & tuleris eos à contemplatione eorum de quibus dictũ eſt: Oculos ſuos ſtatuerũt declinare in terram,id eſt, ſtatuerũt deorſum terrena deſpicere, terram deligere.Nobis autem clamat Apoſtolus:quæ ſurſum ſunt quærite, quæ ſurſum ſunt ſapite.Et ſacerdotalis uox ad percipienda myſteria nobis omnibus clamat: ſurſum cor. Noli ergo timere,non tuis uiribus derelinqueris, ſi aſcendere cogitaueris, ueniet tibi auxilium à domino,qui fecit cœlum & terram, tu tantũ non des in cõmotionem pedem tuum, id eſt,non uolo,non aſcendendi conſilium ſumas,ſed incunctanter aſcende. Quia nõ dormit qui cuſtodit te:Ipſe etiam protectio tua erit ſuper manum dexteram tuam,id eſt,porriget tibi manum aſcendere cupienti præſtabit tibi ut non uraris à ſole per diem, præſtabit tibi,ut lux ſolis non tibi concupiſcentiæ ignem exagitet,neq; uraris ſtimulo. Si enim ex animo ad auxilium dei conuolaueris, ipſe cuſtodit te ab omni malo, & corpus tuum cuſtodit,cuſtodit etiam & animã tuam dominus. Ipſe cuſtodit introitum tuum ad pœnitentiam,& exitum tuum de corpore ex hoc,id eſt,ex hoc die quo ex fide conuerteris. Ipſe iam cuſtodit te dominus Ieſus Chriſtus,qui regnat in ſecula ſeculorum Amen.

Canticum graduum. CXXI.

LAetatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in domum domini ibimus. Stantes erant pedes noſtri, in atrijs tuis Hieruſalem. Hieruſalem quæ ædificatur ut ciuitas, cuius participatio eius in idipſum. Illuc enim aſcenderunt tribus, tribus domini, teſtimonium Iſrael ad confitendum nomini domini. Quia illic ſederũt ſedes in iudicio, ſedes ſuper dominum Dauid. Rogate quæ ad pacem ſunt Hieruſalem, & abundantia diligentibus te. Fiat pax in uirtute tua, & abundantia in turribus tuis. Propter fratres meos & proximos meos, loquebar pacem de te. Propter domum domini dei noſtri, quæſiui bona tibi.

COMMENTARIVM.

SEcundũ gradum aſcendiſti, accede ad tertiũ. Bona tibi in iſto gradu promiſſa ſunt, ſi credis, ſume pſalmũ & exprime canticũ. Tunc te ſcimus credidiſſe, ſi lætatus fueris, in his quæ dicta ſunt tibi: Et relinquens conuerſationẽ peccantium, in domũ domini ieris, & ibi ſtantes fuerint pedes tui in atrijs Hieruſalem, ubi ædificatio in muris ciuitatis futuræ extruitur. Ad quam aſcenderunt tribus domini in teſtimonium Iſrael. Tribus domini duodecim Apoſtoli cognoſcũtur, qui priores aſcenderũt hos montes ad confitendũ nomini domini Ieſu Chriſti, & ibi ſederunt ſedes in iudicio, ſedes ſuper domum Dauid. Rogantes quæ ad pacẽ ſunt Hieruſalẽ, & abundantia diligẽtibus te, id eſt, diligẽtibus Hieruſalẽ. Ibi enim confirmata eſt pax Chriſti, quæ in toto mundo diffuſa eſt. Ibi eis dictũ eſt: Pacẽ meam do uobis, ipſi ciuitati dicit dominus

Ieſus Chriſtus, propter fratres meos & proximos meos? Qui ſunt fratres, inquit, mei & proximi mei, niſi iſti, inquit, qui faciũt uoluntatẽ patris mei. Propter ipſos ergo loquor pacẽ de te, promittã in cœlis ubi uere ædificaris ut ciuitas, promittam quod ſit mihi participatio in idipſum. Et mecũ in ea regnabũt fratres mei & proximi mei Propter domum etenim dei mei quæſiui tibi bona, bona æterna, ut ciues tui tecũ non temporaliter, ſed perpetualiter regnent. Ipſi gloria qui iſta repromiſit qui regnat cũ patre & ſpiritu ſancto in ſecula ſeculorum Amen.

Canticum graduum. CXXII.

AD te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis. Ecce ſicut oculi ſeruorũ in manibus dominorũ ſuorum. Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ, ita oculi noſtri ad dominum deum noſtrum donec miſereatur noſtri. Miſerere noſtri domine miſerere noſtri, quia multũ repleti ſumus deſpectione. Quia multum repleta eſt anima noſtra, opprobrium abundantibus & deſpectio ſuperbis.

COMMENTARIVM.

PAulatim à montibus pertingamus cœlos. Nam ſi iam leuauimus oculos ad montes, & lætati ſumus in omnib. quæ dicta ſunt nobis: Leuemus nunc oculos noſtros ad cœlos, imò ad eũ qui habitat in cœlis. Ideo enim aſcenſionũ cantica decantamus, ut paulatim à peccatorũ foueis aſcendamus. Recordemur nos ſeruos, quia creati ab eo ſumus. Seruos, quia creati & redempti probamur. Et ſicut oculi ſeruorũ ad dominũ, aut ſicut oculi ancillæ ad dominã, ita oculi noſtri ad dominũ deum noſtrum,

noſtrũ,donec miſereatur noſtri. Verũ quia in opprobrio iacemus dæmonũ ſuperborũ, & uolentibus nobis euade re crimina, uicia & peccata, noſtra opera aduerſantur: Ideo rogamus miſerere noſtri domine, miſerere noſtri, Quia multum repleta eſt anima noſtra opprobrio abun dantium,eorum qui in malicia exabundant. Et deſpectio nes nobis ſuperborum exagitant, quibus neceßitatibus tuam credimus ſolam miſericordiam ſubuenire, qui re- gnas in ſecula ſeculorum Amen.

Canticum graduum. CXXIII.

NIſi quia dominus erat in nobis dicat nunc Iſrael, niſi quia dominus erat in nobis. Cum exurge- rẽt homines in nos,forte uiuos deglutiſſent nos. Cum iraſceretur furor eorũ in nos,forſitan aqua abſor buiſſet nos. Torrentẽ pertrãſiuit anima noſtra,forſitan pertranſiſſet anima noſtra aquã intolerabilẽ. Benedi- ctus dominus qui nõ dedit nos in captionẽ dẽtibus eorũ. Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo uenan- tiũ. Laqueus cõtritus eſt,et nos liberati ſumus. Adiu toriũ noſtrũ in nomine domini qui fecit cœlũ & terram.

COMMENTARIVM.

QVicquid martyribus in perſecutionib. fecerũt ho mines increduli, hoc nobis ſi tamen exhibemus deo ſeruitium,in tentationibus inuiſibiles faciunt inimici. Cũ ergo illorũ uiſibiles legeris, pugnas tuas inui ſibiles cogita. Et ita tu animo contradicito ſpiritui,quod iniuſtũ eſt ſuggerenti,ſicut illi homini ſacrificiũ perſua- denti. Vnde illi uicerunt,inde uince. Illorũ uictoria mors fuit,tua uictoria uita ſit. & perſuaſio ibi & uis operata

eſt,pone quod & tecũ ſic agatur, et perſuaſio tecum & uiolentia præliantur, quanquã ſola perſuaſio tecũ agat ò magiſter Chriſtianiſſime. Si enim iuſto iudicio mecũ loqueris,ſoli perſuaſioni fateberis repugnare,ſed concedo & perſuaſionẽ tecum & uiolentiã dæmonũ conluctari. Habes unde uincere parata ſunt adminicula, incipe præliari: dominus tecum. Imò dominus in te ſicut in illis fuit, qui poſt uictoriã iſtum pſalmũ domino cecinerunt,dicentes: Niſi quod dominus erat in nobis,dicat nunc Iſrael,niſi dominus erat in nobis. Dũ inſurgerent homines in nos, forte uiuos deglutiſſent nos. Dũ iraſceretur animus eorũ aduerſum nos. Quare nõ iraſcentur? Cur illi ſuis cõtradictionibus repugnabant, & nõ timebant minantes, cędentes, torquentes, & ipſam uitam multis & exquiſitis ſupplicijs auferẽtes. Pone quod & tecũ ſic agatur, Ferio ungulam cordis, ferio mentis iniurias, non conſentio clama. Illi enim offerunt opportunitatẽ peccandi, ſuauitatẽ alloquij,elegantiã mulieris,occaſiones lucrorum,pietatem actionis carnalis. Pium eſt ut iudicem uideas,ut cauſam defendas,ut libellum porrigas, preces effundas, interim prandeas,hodie lætus dies ſit,hac nocte non ſunt uigiliæ, & cætera quibus inermis efficitur præliator. Noli credere,ſeduceris: experto crede quod loquitur,ora,uigila,clama, tene propoſitũ,martyrum pediſſequum profiteris. Clama ad ſingula, non conſentio: & erit dominus tecum,per quẽ anima tua eripitur de laqueo uenantiũ,ut cũ ſanctis ſuauiter pſallas: Laqueus contritus eſt,& nos liberati ſumus: Adiutoriũ noſtrũ in nomine domini,qui fecit cœlũ & terram,ipſi gloria in æternum Amen.

Canticum

Canticum graduum. CXXIIII.

QVi confidunt in domino ſicut mons Syon, nō commouebitur in æternum qui habitat in Hieruſalē. *Montes in circuitu eius, et dominus in circuitu populi ſui, ex hoc nunc & uſque in ſeculum. Quia non relinquet dominus uirgam peccatorum ſuper ſortē iuſtorum, ut non extendant iuſti ad iniquitatem manus ſuas. Benefac domine bonis & rectis corde. Declinantes autem in obligationes adducet dominus cum operantibus iniquitatem, pax ſuper Iſrael.*

COMMENTARIVM.

QVi cōfidit in Imperatorē, militet in circuitu eius: qui confidit in poteſtatibus mundi, apparitores in tuitione eius: qui confidit in facultatibus ſuis, nummi in manu eius. Qui confidit aūt in domino, mōtes ſunt in circuitu eius, qui ſic confidit ſicut mons Syon, qui ſecundū legem dei: De Syon enim procedit lex. Ergo qui catholicā fidē tenēs cōfidit non cōmouebitur in æternū, nulla ſecta, nulla hæreſis, nullus diſputator eum à recti tenore detorquet, montes ſunt in circuitu eius, & dominus in circuitu populi ſui, hoc eſt, teſtimonia ſcripturarū ſanctarum in circuitu eius, pro defenſione ſimplicis populi, quē Chriſtus ſuo ſanguine cōparauit. Ipſe dominus in circuitu populi ſui ex hoc tēpore, quo pro eis paſſus eſt, ut ipſe ait: Vſq; ad conſummationē ſeculi, ipſe non derelinquet uirgam hæreticorū, ſuper ſortē catholicorum. Egreditur enim uirga legis noſtræ de manu legislatoris, & effecta draco deuorauit uirgam eorū, ut non extendant orthodoxi ad hæreſem uanā ſanctas manus ſuas, id eſt, ope

ra ſua hæreticis non extendant. Verum quia ſunt aliqui quorũ cor illi peruertunt, ſanctus ſpiritus pro rectis corde orat. Declinantes in anathematis obligationem adducet in diem iudicij cum operantibus iniquitatem. Sit pax in Iſrael per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui regnat in unitate deitatis cum patre & ſpiritu ſancto, per uniuerſa ſecula ſeculorum Amen.

Canticum graduum. CXXV.

IN *cõuertendo dominus captiuitatẽ Syon, facti ſumus ſicut cõſolati. Tũc repletũ eſt gaudio os noſtrũ, & lingua noſtra exultatione. Tũc dicẽt inter gẽtes magnificauit dominus facere cũ eis. Magnificauit dominus facere nobiſcũ, facti ſumus lætantes. Cõuertere domine captiuitatẽ noſtram, ſicut torrens in auſtro. Qui ſeminant in lachrymis, in exultatione metent. Euntes ibant & flebant, mittẽtes ſemina ſua. Venientes autem uenient cum exultatione portantes manipulos ſuos.*

COMMENTARIVM.

C*Antica graduum ſunt portæ cæli patentis. Iacob requieſcens, uidet in uiſione ſua dominum ſuper caput, cœlis patentibus accubantem, cuius ſuperiora in cœlũ incumbunt, per quæ reſpicit dominus, inferiora in terra ſunt ubi dormiuit homo. Quid iſtius ſcalæ aſcẽſus ad dominũ ducit? Benefac domine bonis & rectis corde. Audierũt enim ſibi à ſacerdotib. clamari, ſurſum cor, et dixerũt deo: Ad te leuaui oculos meos q habitas in cœlo, aſcendite, quia benefacit dominus bonis & rectis corde. Declinantes autem & diſcedentes à deo adducit in obligationẽ, & deputat cum operantibus iniquitatẽ.*

Surge

Surge Iſrael, qui dormiſti euigila. Vnge lapidem angu-larem oleo lætitiæ, pax tecum. Filij enim tui de captiui-tate liberati per Chriſtum, iſtum canticum graduum ce-cinerunt, dicentes: In conuertendo Dominus captiuita-tem Sion, *facti ſumus ſicut conſolati. Gradatim à tribula tione primi cantici ad gaudium aſcendimus, & qui ibi ſeminauimus lachrymas, hic gaudia metemus, & qui ibi captiui gemebamus, dicentes:* Heu me quid incolatus me *us prolongatus eſt, hic repletur gaudio os noſtrum, & lingua noſtra exultatione.* Ecce enim dicunt inter gen-*tes: Magnificauit* Dominus *facere cum illis, magnifica-uit* Dominus *facere nobiſcum, facti ſumus lætantes.* Me-*mores eſſe debemus, quia diximus ædificationi noſtræ applicare omnia, quæ myſtico tractu, aut ad* Dominum *ducunt, aut ad eius martyres trahunt.* Notū *eſt enim om nibus ſanctis iſta competere. Ad nos uero ab eorum paſ-ſione riuum ducentes, captiuitatem noſtram per pœni-tentiam euaſiſſe gratulemur, credentes quod magnificet dominus facere nobiſcum: & unde nos ei exhibuimus flentes atq; triſtantes, inde nos faciat ipſe lætantes atque gaudentes. Si enim lachrymas ſeminauimus pœnitentiæ, fœcunda ſine dubio meſſis nobis indulgentiæ orietur, ex qua exeuntes de corpore, uenientes ad* Dominum *in ex-ultatione, erimus cum ſanctis portantes manipulos no-ſtros.* Nam *ubi illi gaudebunt coronati, nos exultabi-mus liberati, per dominum noſtrum* Ieſum Chri-*ſtum, qui regnat in ſecula ſeculo-rum,* Amen.

Canticum graduum Salomonis. CXXVI.

N*Iſi dominus ædificauerit domum, in uanum laborauerunt qui ædificant eam. Niſi dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra uigilat qui cuſtodit eam. Vanum eſt uobis ante lucem ſurgere, ſurgite poſtquàm ſederitis qui manducatis panem doloris.*

Cum dederit dilectis ſuis ſomnum ecce hæreditas domini, filij merces fructus uentris. Sicut ſagittæ in manu potentis, ita filij excuſſorum. Beatus uir qui impleuit deſiderium ſuum ex ipſis, non confundetur cum loquetur inimicis ſuis in porta.

COMMENTARIVM.

M*Vlti iſtius pſalmi male explanantes principia, ocium prædicant pro labore. Aiunt nanq; caſſo certamine ſanctos homines ſtudijs occupari. Sed & uana ſpe ſuis aliquid hominem niſibus impetrare, & ex medicamento uulnus faciunt, hoc modo dicentes: Niſi Dominus ædificauerit, in uanum ædificas. Niſi Dominus cuſtodierit, in uanum uigilas. Poteram lacinioſa diſputatione ædificationis huius, et fundamenta et parietes & tecta & mœnia demonſtrare, ſed alio propoſito res agitur. Egimus enim ab initio, ut breuiter ſtrictimque loqueremur, tamẽ parumper circumeo, et cito ad te redeam qui pſalmũ expectas. Ab initio ſeculi quicũq; ſancti uixerunt, ciuitatẽ domino conſtruxerũt. Siquidem ciuitatis futuræ mœnia ſancti erunt: Aedificauit Abel, Enoch, Noe, Abrahã, Iſaac, Iacob, Ioſeph, Moyſes, Ieſus naue, & omnes ſancti ædificauerũt domũ, & cuſtodierunt ciuitatem. Sed niſi dominus. id eſt, dei filius ueniens ædificaſſet*

ficaſſet omnia quæ illi ædificauerant (Probata eſt uox eius, dicentis: Non ueni deſtruere, ſed adimplere) Si ergo illis fundamenta mittentibus, & parietes ædificantibus non ueniſſet, qui tecta conſtrueret, & omnia intus ornaret, illi in uanum laborauerant ædificantes domum. Denique hodie ſynagoga ideo uana eſt, quia ædificia parietum habet, & tectum non habet, & in protectione Dei cœli non cõmoratur. Habet parietes quos ædificarũt ſancti, ſed tectum non habet, quod Chriſtus expleuit. Habet limen, ſed in limine agni ſanguinem nõ habent. Dum cœperit pluere ſuper peccatores laqueum ignis & ſulphuris, iſti ſine tecto patent huic pluuiæ. Dum cœperit angelus percutere primitias, iſti ſine ſanguine agni percuſſorem angelum non euadunt. Quid ergo ædificatis Iudæi? Quid hæretici uigilatis? Sine cauſa hæc facitis, quia uobiſcum nec ædificat, nec uigilat dominus. Vos autem orthodoxi Chriſtum in incorruptione amantes, nolite timere, ſecuri ædificate, quia uobiſcum ædificat Dominus. Dei enim eſtis ædificatio, dei cultura eſtis. uigilate, quia non ſolum uobiſcum uigilat, ſed & dormientes excitat, dicens: Vigilate mecum, uigilate & orate, ne intretis in tentationem. Tale eſt quale ſi dicat in uanum uigilaretis, ſi ego non uigilarem uobiſcum. Nunc autem ſatis iniquũ eſt, ut me uigilante uobiſcũ, uos ſomno occupemini. Vnde & Apoſtolus clamat: Aedificate alterutrum. Vana ergo eſſet ædificatio, ſi dominus non ædificaret. Vanæ uigiliæ, ſi dominus non cuſtodiret, dominus cuſtodit, & uanæ nõ ſunt. In uanum eſt uobis ante lucem ſurgere, id eſt, lux Chriſtus eſt, & uos qui ante eum ſurgitis, uanum eſt

uobis ante eum ſurgere, qui manducatis panem doloris. Niſi enim ille uenerit qui panem gaudij tribuat, uos in uanum ſurrexiſtis. Quando autem ueniet? Cum dederit, inquit, dilectis ſuis ſomnum, hoc eſt, tunc ueniet, quando iſti qui nunc ſancti ſunt, ſomnū pacis acceperint. Vt quid ueniet? Vt in reſurrectione hæreditas domini demonſtretur, in qua omnes filij Dei accipiunt hæreditatem, ſi tamen filij uentris eius fuerint, id eſt, ſi in fonte catholicæ fidei fuerint baptizati. Vbi eſt uenter eccleſiæ, qui illi filios parit, qui ſicut ſagitta de manu potentis excuſſa, ſic uulnerant inimicum, quando implent deſiderium ſuum in bonis, ut non confundantur dum exeunt de corpore. Tunc enim inueniunt inimicos ſuos in porta, cum egrediuntur corpus in quo diabolum ſuperarunt. Notandū tamen eſt, quia in titulo ſic habet, canticum aſcenſus domus Salomonis, ut hiſtoricum ſenſum teneas tu hodie, dictum tunc Salomoni: O prudentiſſime Salomon, fabrificas quidem domum deo, ſed niſi Dominus ædificauerit domum, ſicut ipſe dixiſti, quia ædificat ſapientia ſibi domum, & ponet columnas ſeptem. Niſi ergo ipſe qui ſapientia dicitur, ædificauerit domum, tu in uanum laboraſti. Nam in domum quam ædificaſti, lapis ſuper lapidem non relinquetur. Domus autem quam ædificat dominus, aſcendit in cœlos, & in ea gloriabitur rex dominus in ſecula ſeculorum, Amen.

Canticum graduum CXXVII.

BEati omnes qui timent dominum, qui ambulant in uijs eius. Labores manuū tuarum quia manducabis, beatus es & bene tibi erit. Vxor tua

ſicut

ſicut uitis abundans in lateribus domus tuæ. Filij tui ſicut *nouellæ oliuarum, in circuitu menſæ tuæ.* Ecce ſic benedicetur homo, qui timet Dominum. Benedicat tibi Dominus ex Sion, & uideas bona Hieruſalem omnibus diebus uitæ tuæ. Et uideas filios filiorum tuorum pacem ſuper Iſrael.

COMMENTARIVM.

Nihil ualet ſi timeas dominum, quia & dæmones eum timent. Sed beatus eris ſi ſic timeas Dominum, *ut ambules uiam eius. Si enim ambulaueris in uiam eius, id eſt, in fidem catholicã, ibi labores fructuum tuorum manducabis, carnem filij hominis, ut habens uitam manentem in te, beatus ſis, & bene tibi erit. Tunc uxor tua, id eſt, caro tua, ſicut uitis abundat in lateribus domus tuæ. tunc, inquam, quomodo uitis profert botryones, ita ex actibus corporis tui proficiũt filij tui: & te ſicut uite proficiẽte in ſanguine* Chriſti, *illi ſicut nouellæ oliuarum proficiũt in circuitu menſæ tuæ, ubicunq; conuiuium illis uerbi* Dei *exhibueris. Sic enim benedicetur omnis homo qui timet* Dominum, *id eſt, qui ſic egerit, ſic benedicetur, ut dicatur ei ab ſpiritu ſancto:* Benedicat te dominus ex Sion, *id eſt, ex eccleſia ſua, & uideas* Bona Hieruſalem *omnibus diebus uitæ tuæ. Et ſicut tu* Deo *filios genuiſti, ita filij tui generent, ut uideas in conſpectu domini filios filiorum tuorum, cum acceperit pacem. Iſrael, cum acceſſerit tempus hoc belli & uenerit tempus pacis, gloria æterno, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.*

Canti-

Canticum graduū. CXXVIII.

S*Aepe expugnauerũt me à iuuentute mea, dicat nũc Iſrael. Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, etenim non potuerunt mihi. Supra dorſum meũ fabricauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitatem ſuam. Dominus iuſtus concidet ceruices peccatorum, confundantur et conuertantur retrorſum omnes qui oderunt Sion. Fiant ſicut fœnum tectorũ, quod priuſquam euellatur exaruit. De quo non impleuit manum ſuam qui metet, & ſinum ſuum qui manipulos colligit. Et non dixerunt qui præteribant, benedictio domini ſuper uos, benediximus uobis in nomine Domini.*

COMMENTARIVM.

N*On patitur pugnam, niſi in iuuentute poſitus. Tu ergo qui ſecundum explanationem nominis Iſrael, uidere incipis Deum per mundiciam cordis, pugnas neceſſe eſt ut dæmonum patiaris. Sed ſecurus eſto, quia ſic pro te Dominus pugnat, ut concidat ceruices eorum, ſi tamen tu non ceſſaueris præliari, ut poßis dicere: Non potuerunt mihi, licet ſuper dorſum meum fabricauerunt peccatores, id eſt, licet pondera grauia tribulationum ſuper me ponentes, incuruauerint me, et prolongauerint iniquitates ſuas, id eſt, moras fecerint in afflictionibus ſuis, quibus me tribulauerunt. Dominus autem iuſto iudicio ſuo concidet ceruices eorum. Habeant partem cum eis Phariſæi & hæretici omnes, qui odiunt Sion, id eſt, qui odiunt eccleſiam Chriſti. Fiant ſicut fœnũ tectorum, uel ædificiorum, quod priuſquàm euellatur areſcit. Hoc loco tectum uel ædificium nominat, quia maximæ*

ximæ partes hæreticorum ad perſonas altas uadunt, ubi quaſi falces fœna ſecantium ſacerdotum euadant, ſed ſic ibi antequam euellantur areſcent. Non enim *implet manum ſuam ex eis qui metet uerba eorum: nec ſinus ſuos implent ij, qui manipulos eorum colligunt.* Ex omnibus *enim qui præterierunt ab* Apoſtolis *ſancti uſq; hodie, ſiue qui ſunt, ſeu qui præterierunt, nullus eos benedixit in nomine domini.* Et *qui à beato* Apoſtolo Petro, *aut ab* Apoſtolis, *uel à poſteris eorum benedictionem non accepit, & ſic plebeculas docuit quas decepit, quia benedictionem uſurpauit, maledictionem incurrit, per quã priuſquam euellatur, id eſt, priuſquam moriatur areſcit, id eſt, dum uiuere uidetur in corpore iam in ſpiritu aruit: à quibus nos ſeparati, fidem catholicam integerrime continentes, uitam inuenimus æternam, per* Ieſum Chriſtum *dominum noſtrum, qui regnat in ſecula ſeculorũ.* Amen.

Canticum graduum. CXXIX.

D*E profundis clamaui ad te domine, domine exaudi uocem meam.* Fiant *aures tuæ intendentes in uocem deprecationis meæ.* Si *iniquitates obſeruaueris* Domine, Domine *quis ſuſtinebit.*

Q*uia apud te propitiatio eſt, & propter legem tuam ſuſtinui te* Domine. Suſtinuit *anima mea in uerbo eius, ſperauit anima mea in* Domino. A *cuſtodia matutina uſq; ad noctem, ſperet* Iſrael *in domino.* Quia *apud* Dominum *miſericordia, & copioſa apud eum redemptio.* Et *ipſe redimet* Iſrael *ex omnibus iniquitatibus eius.*

COM-

COMMENTARIVM.

POenitens meus in bono iam poſitus præteritos clamores recolit. Audit enim ſibi uirum ſapientem dicentem: Fili peccaſti, ne adijcias iterum, ſed & pro priſtinis deprecare. Ille ſeruus utilis eſt, qui culpas ſuas ſemper recolit. Non enim bonam patientiam & miſericordiam domini ſui aliter memorabitur, niſi ſuam impatientiam & iniquitatem fuerit recordatus, illud feci, illud geßi, contra iuſſionem domini mei. Domine ſi uelles conſiderare contemptum noſtrum, olim deleſſes mundum, ſed ſatis apud te propitiatio eſt: propter legem tuam ſuſtinui te Domine. Nam receſſeram à te, non te expectaram, ſed lex tua mihi dixit de te, quia nullum perire uis, ſed oẽs homines ſaluos uis facere. Propterea ſuſtinuit anima mea uerbũ tuum, id eſt, uenientẽ filium tuum, qui promittitur ad hoc uenire, ut tollat peccata mundi. Hic ueniet à cuſtodia matutina. Cuſtodia una, quarta pars noctis eſt. Ergo prima cuſtodia à ueſpere incipit. Secũda ad mediũ noctis attingit. Tertia pullorũ cãtus trãſit. Quarta uigilia matutina, quæ in ortũ luminis adimpletur, in qua cuſtodia matutina natũ dominum noſtrũ angeli paſtoribus nunciarunt. ſed nos dicamus uigiliã matutinã luce naſcente memoratã, in qua luce uſq; ad noctẽ, id eſt, uſque cum finẽ accipiat ſeculi, uſq; tunc ſperet Iſrael in domino, uel quã diu ipſe homo eſt in corpore ſperet, quia eſt apud deũ miſericordia. Agat pœnitentiã, ceſſet à peccato uſq; ad ueſperum ſui ab hora matutina, ex quo ei illuminatio orta eſt ſaluatoris. Nullo modo periet ſi ceſſauerit à peccato & pœnituerit, quia grandis apud deum miſe-

miſericordia,& ipſe redimet Iſrael. Alium enim non redimet,niſi Iſraelē,id eſt, niſi baptiſatū non redimet. Nam ſi fortè pœniteatur in malis factis quiſpiā et in bonis operibus ſe mirificū præbeat,hic ſi Iſrael nō fuerit,ſi non baptiſatus fuerit, non redimitur ab iniquitatibus ſuis. Sunt enim quidam qui putāt ſe ſine Chriſto Chriſtianos, cū homo quod bonū fecerit ad honorem ſuū feciſſe doceatur, quod aūt bene crediderit, ad honorē pertinet dei. Magnus ille ſeruus eſt,qui de honore ſuo fortiter geſſit, et domini ſui honorē neglexit, huic præponetur peccator uiliſsimus Chriſtianus,qui ſe credit per fidē ad miſericordiam peruenire eius, qui regnat in ſecula ſeculorū, Amen.

Canticum gradum. CXXX.

DOmine non eſt, exaltatum cor meum, neq; elati ſunt oculi mei. Neq; ambulaui in magnis, neq; in mirabilibus ſuper me, Si non humiliter ſentiebam,ſed exaltaui animā meam. Sicut ablactatus eſt ſuper matrem ſuam,ita retributio in animam meā. Speret Iſrael in domino,ex hoc nunc & uſq; in ſeculum.

COMMENTARIVM.

VSitata uulgo ſententia eſt quæ dicit,iuxta mores domini familiam conſtitutā. Hæc ſententia ſicut inter dominos & ſeruos,ſic inter Chriſtum & Chriſtianos,ſi haberet effectū,iure nos Chriſti famulos diceremus. Ille cum dominus cœli & terræ eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualē deo,ſed ſemetipſum exinaniuit,& formā ſerui ſuſcipiens dixit: Domine non eſt exaltatū cor meum. Age ſeruus iuxta mores domini tui, cū ſis natura humilis,quid exaltaris? Iudex ille refertur

humilis,nos ſuperbi,ille ingloriosus,nos è contrario glo rioſi. ille in magnis non ambulat nos in magnis perſonis ambimus, & in eo quod nos adorant aut diligunt nobiles gloriamur,ſi tamen diligunt,& non ridiculo abutuntur, quaſi ignoremus illud: Os quod nos occultatum eſt *uenientes,in quantum nos laceret abſcedentes*. Nos au*tem exhonoramus pauperē, cuius in ſe perſonam* Chri*ſtus excepit,& non ambulamus in paruis,ſed in magnis & mirabilibus ſuper nos, & cantamus humiliter ſentire nos, & non exaltare animam noſtram, immemores* Apoſtoli *hortantis atque dicentis:* Tanquàm paruuli lac *concupiſcite, ut in eo creſcatis. quod ſi faceremus, eramus profectò quaſi ablactati ſuper matre ſua.* Agnoſce*bat in nobis ſua nutrimenta mater eccleſia,& quaſi ablactato eccleſiæ ſuæ, ita retribuebat nobis ſuæ* Chriſtus *charitatis effectū. in quo ſperat* Iſrael,*id eſt,mundus corde quia ipſe eſt* Iſrael, *quod interpretatur uidens deum.* Spes *enim eius alia nō eſt,niſi ut ad aſpectum diuinum attingat.* Tunc *enim ſatiabitur, cum ei apparuerit gloria eius, qui regnat in ſecula ſeculorum,*Amen.

Canticum graduum. CXXXI.

M*Emento domine Dauid,& omnis manſuetudinis eius. Sicut iurauit domino,uotum uouit deo* Iacob. *Si introiero in tabernaculum domus meæ,ſi aſcendero in lectum ſtrati mei. Si dedero ſomnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem.* Et *requiem temporibus meis donec inueniam locum domino,tabernaculum deo* Iacob. *Ecce audiuimus eam in* Effrata,*inuenimus eam in cāpis ſiluæ.* Introibimus

in

in tabernaculũ eius, adorabimus in loco ubi ſteterunt pedes eius. Surge domine in requiem tuã, tu & arca ſanctificationis tuæ. Sacerdotes tui induantur iuſtitiam, et ſancti tui exultent. Propter Dauid ſeruũ tuũ non auertas faciem Chriſti tui. Iurauit dominus Dauid ueritatẽ & non fruſtrabitur eum, de fructu uẽtris tui ponã ſuper ſedem tuã. Si cuſtodierint filij tui teſtamentũ meũ, & teſtimonia mea hæc quæ docebo eos. Et filij eorũ uſq; in ſeculum ſedebunt ſuper ſedem tuã. Quoniã elegit dominus Sion, elegit eam in habitationem ſibi. Hæc requies mea in ſeculum ſeculi, hic habitabo, quoniam elegi eam. Viduam eius benedicens benedicam, pauperes eius ſaturabo panibus. Sacerdotes eius induã ſalutari, & ſancti eius exultatiõe exultabũt. Illuc producã cornu Dauid; paraui lucernã Chriſto meo. Inimicos eius induã confuſione, ſuper ipſum autem efflorebit ſanctificatio mea.

COMMENTARIVM.

MEmento Domine Dauid, non ut ab obliuione ad memoriam redeat. Deus ab homine commonetur, ſed docetur homo qualiter diuinitas uotis delectetur humanis. Vt depoſita feritate, quæ iracundias generat, diſcordias nutrit, ſuperbiã gignit, ſub onus domini manſueſcat. Leue onus eſt, porta mãſueta: iugũ ſuaue, trahe Chriſtiane hoc. In te recordabitur dominus, quod ad portãda præcepta eius, manſuetũ pecus tuum, id eſt, corpus tuum, & non recalcitrantem exhibes Chriſto. Memor erit tui dominus, ſi mãſuetudines tuæ eius memoriam interpellatione ſancta pulſauerint, ſi profeciſti de manſuetudine, profice de deuotione: Iurauit, inquit, do-

mino, & uotũ uouit deo Iacob. Audi ſollicitudinẽ uouentis, & ita demũ te participẽ pſallentis oſtende, Poſtea. n. quã uotũ uouit deo, nõ intrauit tabernaculũ domus ſuæ, nõ aſcendit lectũ ſtratus ſui, non dedit ſomnũ oculis, non dormitationẽ palpebris ſuis, donec inueniret locũ domino, tabernaculum deo Iacob. Sollicitudo integra & perfecta tã diu eſt deo à promittẽte ſeruãda, quã diu inueniat locũ domino. Dominus æternus eſt, & locus eius temporalis non poteſt eſſe. Quid quærimus tẽporalia loca, qui æternũ habitatorem inquirimus. Si uero æternũ eſt, quod ſollicite & uigilanter inquirimus perpetuũ comprobatur, non ceſſemus ſtrenuiſsime quærere, quouſque quod quærimus inuenire mereamur. Quid tamẽ quærit Pſalmiſta ſanctiſsimus uideamus: Locũ, inquit, ubi habitet deus Iacob. Et adiecit: Hãc habitationẽ, ait, audiuimus in Ephrata. Ephrateus Helcana qui caput regaliũ uoluminũ tenet, pater eſt Samuelis, in quo audiuimus uocem domini, dicẽtis Suſcitabo mihi ſacerdotẽ fidelẽ, qui iuxta cor meũ omnia faciat, & ipſi ædificabo domũ & ambulabit corã Chriſto in æternũ. Hanc ergo uocem quam tunc in Ephrateo audiuimus, nũc inuenimus in cãpis ſiluæ, ubi paſtores ouiũ angeli allocuti ſunt, dicẽtes: Nunciamus uobis gaudiũ magnũ, quod erit omni populo, quia natus eſt uobis hodie dominus, qui eſt ſaluator omniũ, et hoc uobis ſignũ erit. Inuenietis puerum inuolutũ pannis & poſitum in præſepio. Hãc ergo habitationẽ ubi in æternum habitat deus, indicantib. angelis paſtores adepti ſunt: & non paſtores taliũ qualium pecudum, ſed ouium tantum, nec dormientium, ſed uigilantiũ: & qui non dormientes,

mientes,ſed uigilantes inuenti ſunt:neq; negligentes,ſed ſolliciti:neq; remißi,ſed timẽtes, Deniq; *inde angelus cœpit alloqui,ubi timoris agnoſcebat terrorem:* Nolite,*inquit,timere, quaſi qui dicat,quia uigilatis & eſtis ſolliciti circa gregẽ manſuetudinis, & paſcitis in cãpis pectoris ueſtri,*Ibi *ſunt.n. cãpi ſiluæ.* Quia *ergo cuſtoditis gregem uigilanter,pernoctanter,ne ouẽ manſuetam,ſiue patientiam, ſiue charitatẽ ſiue hoſpitalitatem, ſiue caſtitatem,& cæteras ſocias earũ, quas paſcitis uerbo dei,quia timetis dominũ gregis, & ſolliciti eſtis,ne quid uobis feritas luporũ inuadat,iam nolite timere, quia talis paſtor natus eſt,qui animã ſuam ponat pro ouibus ſuis.*Nũc *interrogamus uos ô paſtores,dicite nobis, ſi inueniſtis puerum ſicut uobis angeli indicarũt.*Ad *hæc illi reſpondentes dixerũt:*Introiuimus *in tabernaculum eius,adorauimus in locũ ubi ſteterũt pedes eius.Certe iacentẽ in præſepio uiſuri perrexiſtis, quõ ſtantẽ uos uidiſſe teſtamini:* Nos,*inquiunt,credentes,ſtantẽ uidimus non iacentẽ,incredulis & dubijs iacẽs & pannis inuolutus oſtenditur, credentib. rex diadematus demonſtratur.* Deniq; *tantã coruſcationẽ regiæ eius dignitatis aſpeximus,ut nõ auderemus ipſũ adorare,ſed ueſtigia illa adorauimus, in quibus ſteterunt pedes eius.* Quid *ergo terrã adoraſtis?* Ter*ram, inquiunt, ſanctã corporis* Ieſu *Chriſti,in qua terra nobis ſunt oſtenſa ueſtigia dei, dũ uirgineo fœtu æditũ uideremus infantẽ, cui angeli choros ducebant, cœlo terræq; per eũ pacẽ fore cantantes.* Huic *dicimus quotidie:* Exurge *domine in requiem tuam.*Requies *dei in* Ieſu *euidens & ſpecialis eſt,in quo eſt arca, id eſt, arcanũ ſancti*

 ficationis

ficationis eius, per quem Apoſtoli ſunt induti iuſticia, & ſancti omnes exultant propter David *ſeruum* Dei, *quia de fructu uentris eius poſuit deus ſuper ſedem ſuam, per quem cuſtodiunt filij eius teſtamentum dei, id eſt, Apoſtoli ex fœmore Iudæ ſecundum carnem uenientes, qui non ſolum cuſtodierunt teſtamentum domini noſtri* Ieſu Chriſti, *ſed & teſtimonia eius quæ docuit eos.* Nunc *filij eorũ uſq; hodie ſedent ſuper ſedem eorũ, habentes & ipſi ſoluendi, ligandi poteſtatem.* Hoc *autem eis conceſſum eſt, quia recuſauit dominus ſynagogam falſitatis, & legit* Sion *ſanctam, ſcilicet fidei rectæ eccleſiam, quam præelegit præſcius in habitationem ſibi, in qua eſt requies* Dei *in ſeculum ſeculi, in qua habitat, quoniam præelegit eã, in qua uiduæ benedicentur in caſtitate, in qua pauperes ſatiantur panibus pietatis: in qua ſacerdotes induuntur iuſticia, in qua ſancti exultatione exultant, in qua productum eſt cornu.* Ideo *ſit regnum* David. Ipſa *eſt lucerna quæ ſuper candelabro poſita, lucet omnibus qui in domo ſunt, id eſt, qui in fide ſunt* Ieſu Chriſti, *ut è contrario omnis aſſertio præter hanc, lucet quidem in uerbis, & habet materias adclamationis & admirationis humanæ, ſed ſub modio poſita non lucet, qui in domo ſunt, ſed quos inuenerit ſubtus modium.* Subtus *modium enim degunt, qui menſuram rectæ fidei utuntur inuerſam, qui ſunt inimici lucernæ, quàm ſpiritus ſanctus per Apoſtolos parauit Chriſto ſuo domino noſtro.* Inimicos *ergo eius induit confuſione anathematis, et ſuper Chriſtum florjet ſanctificatio eius, per omnia ſecula ſeculorũ,* Amen.

Canti-

Canticum graduum CXXXII.

Ecce quàm bonum & quàm iucundum, habitare fratres in unum. Sicut unguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron. Quod deſcendit in oram ueſtimenti eius, ſicut ros Hermon qui deſcendit in montem Sion. Quoniã illic mandauit dominus benedictionem, et uitam uſq; in ſeculum.

COMMENTARIVM.

IN primo cantico graduum poſiti in captiuitate clamamus tribulantes ad deum, & exaudit nos. In ſecundo gradu ad montes oculos leuauimus, unde uenit auxiliũ domini, quo cuſtodimur ab omni malo. Tertio gradu aſcendentes uenimus ad domum domini. Quartũ gradum aggreßi, oculos quos ad montes leuaueramus, tunc leuauimus ad cœlos. In quinto inuenimus perſecutiones hominum, & defenſionem dei. In ſexto hæreticos declinantes in obligatione præcipit dominus tradi. In ſeptimo gradu, facti ſumus lætãtes qui fueramus ante plorantes. In octauo gradu ædificantem domum ſanctam non habentem maculam neque rugam inuenimus Chriſtum. In nono gradu uidimus timentes dominũ, et ambulantes in uijs eius. In decimo gradu paßi ſumus pugnas, et in adiutorio dei uictoriã cepimus. In undecimo gradu tãtã miſericordiã dei inuenimus, ut per ipſam redimeremur ab omnib. iniquitatibus noſtris. In duodecimo gradu inuenimus cõtẽptũ mũdi, in quo nõ exaltatur cor noſtrũ. In tertiodecimo gradu illũ quẽ in Effrata audieramus, inuenimus in cãpis ſiluæ. Ibi inuenimus filiũ dei cũ ſanct. ſuis exultatiõe exultantẽ. Ibi paratã lucernã plenã oleo læticiæ, uincen-

uincentem obſcuritatem mundi, ut qui erant tenebris ur gentibus diſiuncti, & per ædificationem ſuperbæ turris à ſe inuicem ſeparati: nunc omnes conueniant in unum, ut illud malum conſilium, Dei conſilio probaretur eſſe correctum. Videns *ſanctus ſpiritus exclamauit:* Ecce *quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in unum.* Habent *enim unguentum chriſmatis, quod deſcendit de capite in barbam, hoc eſt, de Chriſto in uirtutibus. Sicut enim capilli capitis, & barbæ unguento infunduntur: ſic uirtutes omnes, quæ contra uitia luctantur quotidie, & uincere ualeant, Chriſti infunduntur auxilio.* Nota *tamen chriſmatis ſacramenta in unguento capitis, & ros* Hermon *deſcendentem in montem* Sion, *ad fontis undam aquæ perennis extende.* Ibi *enim mandauit dominus benedictionem, & æternam uitam uſq; in ſecula ſeculorum,* Amen.

Canticum graduum. CXXXIII.

Ecce nunc benedicite domino omnes ſerui domini, Qui ſtatis in domo domini, in atrijs domus dei noſtri. In *noctibus extollite manus ueſtras in ſancta, & benedicite domino.* Benedicat *dominus te ex Sion, qui fecit cœlum & terram.*

COMMENTARIVM.

Peruenit gradus ad charitatem, & ubi ſuperius iret non inuenit. Nam *quicquid egit quartuſdecimus gradus, in quintodecimo proficit aſcēdentib.* Ad *charitatem enim à diſcordia fraternitas diuiſa reuertitur, & fiunt oēs boni qui fuerant oēs mali.* Modo *dicite mihi, quid cōueniſtis oēs in unū uos, qui fratres nominamini,*

mini,aut unde eſtis omnes fratres oſtēdite.De uno,inquit patre Chriſto, & de una matre eccleſia.Ideo ergo conuenimus in unum,quia nos ſeruos agnouimus domini.Datur nobis reſponſum, & dicitur: Nunc ergo quia in unū cōueniſtis omnes, benedicite dominū, omnes, inquit,ſerui domini.Et quia poteſt dici,omnes homines ſerui domini ſunt,reſpōdit:Ego uobis ſeruis dico,qui ſtatis in domo domini, qui meruiſtis ingredi domum, in qua requieſcit deus cū amicis ſuis,& epulatur cū Apoſtolis ſuis. Soli ergo hij benedicent dominum,qui intus in domo ſunt?Non inquit,ſoli ipſi, ſed & hij,qui adhuc in atrijs domus conſiſtunt.Et uos ò catechumeni,& uos,inquit, qui in atrijs domus dei noſtri ſtatis,& intus ingredi non audetis, & uos ſimul extollite manus ueſtras intus in ſancta ſanctorum,& ſimul benedicite dominum, in uexillo crucis leuantes ſanctas manus, ſine ira & diſceptatione in nocte huius ſeculi,tanquam luminaria lucentes,ut per uos benedicatur dominus ex Syon, qui fecit cœlum & terram, qui regnat in ſecula ſeculorum Amen.

Alleluia. CXXXIIII.

LAudate nomen domini, laudate ſerui dominū. Qui ſtatis in domo domini,in atrijs domus dei noſtri. Laudate dominū quia bonus dominus,pſallite nomini eius quoniā ſuaue. Quoniā Iacob elegit ſibi dominus, Iſrael in poſſeßionē ſibi. Quia ego cognoui quod magnus eſt dominus,et deus noſter præ omnib.dijs. Omnia quæcūq; uoluit dominus fecit in cœlo & in terra,in mari & in omnib. abyßis. Educēs nubes ab extremo terræ,fulgura in pluuiā fecit. Qui produxit uētos

de theſauris ſuis, qui percuſſit primogenita Aegypti, ab homine uſq; ad pecus. Emiſit ſigna & prodigia in medio tui Aegypte, in Pharaonē & in omnes ſeruos eius. Qui percuſſit gentes multas, & occidit reges fortes. Seon regem Amorreorū, & Og regem Baſan, & omnia regna Chanaan. Et dedit terrā eorum hæreditatem, hæreditatem Iſrael populo ſuo. Domine nomē tuū in æternum, domine memoriale tuum in generationem & generationem. Quia iudicabit dominus populū ſuum, & in ſeruis ſuis deprecabitur. Simulachra gentiū argentum & aurū, opera manuū hominum. Os habent & nō loquentur, oculos habent & non uidebunt. Aures habēt & non audient, neq; enim eſt ſpiritus in ore ipſorum. Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis. Domus Iſrael benedicite domino, domus Aaron benedicite domino. Domus Leui benedicite domino, qui timetis dominum, benedicite domino. Benedictus dominus ex Syon, qui habitat in Hieruſalem.

COMMENTARIVM.

Scala iſta cuius caput pertingit in cœlū quindecim gradus habet in quinq; libris Moyſi, & in decem præceptis legis: ibi lapis ad caput Iacob unctus eſt, hic ipſum caput unctum ad ros Hermon deſtinatū eſt, nō ad omne ros Hermon. Ros enim montis per circuitū habet deſcenſus, nos ad illud ros attingimus, quod deſcēdit in montem Syon, ſolū huius roris fontem poſt unguētum Chriſmatis requirentes, qui in montē Syon, id eſt, in altitudinē ſitus eccleſiæ profluit uenis, & ita trinitatem in una dietate coniungit, ut & tres uerè dicā eſſe perſonas,

& unam

& unã uere dicã eſſe ſubſtantiã. Sic enim laudatur à ſeruis dominus. Sic nomen eius uerè laudabile prædicatur, cũ in trinitate unitas, & in unitate trinitas ore dicitur, et pectore cõtinetur: tunc aſſerimus, quoniã bonus & benignus eſt dominus. nam ſi ſibi maiorem partem deitatis dicatur pater aſſumere, aut gradũ ſibi ſupra filiũ hominis uindicare, nõ ut bonus laudatur, ſed ut æmulus blaſphematur. Nihil ergo in deo maius eſt, quia nunquã ſeneſcit pater. Nihil minus in filio, q̃a nunq̃ creſcit. Vbi enim maius aliquid & minus eſt, & maiori defectũ minatur grandeuitas, & pollicetur ætas minori profectũ. His gradib. diuinitas caret, quia nõ eſt deus temporũ poſterior. Si enim tempora aliqua ante deũ fuerunt, faciũt eum maiorẽ qui pater eſt, & minorẽ eũ qui filius. Si uero ante omnia genitus, tẽpus illi nequaquã potuit neceßitatẽ imponere, quia ut eſſet tempus ab eo ſumpſit exordiũ. Sic ergo laus domini celebratur, in qua laude canendũ eſt. Quoniã Iacob elegit ſibi dominus, Hũc, inquit, elegit, q̃ ſupplantat uoluptuoſum conſilium, & hũc habet in poſſeßionẽ, qui mundo corde ſtudet deũ uidere. Sicut enim Iacob ſupplãtator dicitur, ſic Iſrael uidẽs deũ. Tũc cognoſcit quod magnus eſt dominus, cũ habuerit mundißimũ pectus. Quod ſi mundũ non fuerit, magnũ illi uidetur hoc ſeculũ, et aut perſonas mirabitur, aut pulchritudines illicitas ſtupebit. Cũ uero mundus fuerit animus, nihil iudicat admirandũ, niſi ſolũ deũ, et hunc præ omnibus dijs admirabitur deũ. Quomodo præ omnib. dijs? Cautus cãtator auſculta. Dij gentiũ dæmonia, hi mirari nos uolũt pulchritudines periturас uerbi cauſa in mœnijs, in perſonis, in glorijs mũdi,

in

in cõcupiſcentijs fugitiuis. Cũ ergo præ omnib. hunc deũ noſtrũ æterna nobis oſtendentẽ amplectimur, tunc eum præ omnib. dijs honoramus, illorũ ſcilicet cõſilia reſpuẽtes, et dei cõſilia amplectẽtes. Ipſe *enim omnia quæcunq; uoluit fecit in cœlo & in terra, in mari & in abyſsis.* Ipſe *nobis produxit nubes ab extremis terræ, id eſt, finẽ facientes terrenis occupationibus, hos ueluti nubes exhibet mundo, propter quod & fulgura in pluuiã fecit, id eſt, ut in igne fulgureo interficiat inimicũ, & unda pluuiæ abluat peccatorẽ.* Et *quis hoc facit?* Ille *ſine dubio, qui producit uentos de theſauris ſuis, id eſt* Apoſtolos *de ſenſibus ſuis. Sicut enim uenti nauibus, ita* Apoſtoli *animabus.* Vẽ*tis flantibus, naues ad deſiderata pertingũt: &* Apoſtolis *prædicãtibus, animæ ad* Chriſtũ *qui eſt uere portus, perueniunt.* Qui *percuſſit primogenita in cruce poſitus, & ita percuſſit, ut nõ homini, nõ pecudi crederet eſſe parcẽdũ.* Quicquid *enim* Aegyptiũ *eſt, ſimul cũ principe* Aegypti *fluctib. mergitur, pereat cũ* Pharaone, *& cũ omnibus ſeruis eius. Cum ergo uentũ eſſet ad aquã, quæ nobis ſalutis uiã aperuit, & omnes qui nos perſequebãtur operuit, tunc cõfeſſi ſumus nomen domini in æternũ, & ſuſcipimus memoriale eius, ut ſit in nobis in ſeculũ ſeculi, credentes uenturũ iudicium, in quo cũ iudicauerit uiuos & mortuos, in ſolis ſuis cõſolabitur ſeruis.* Melior *enim ibi inuenietur fornicator* Chriſtianus, *quã caſtiſſmus idololatra.* Simulachra *enim in quibus ſpẽ habuit, habẽtia mem bra omnia ſine ſenſu, & capſum ſine ſpiritu.* Similes *illis erunt cõfidentes in eis, id eſt, ſimili incẽdio conflabũtur, non ut in aliquibus formis deducantur, ſed ut æterno con*

ſumantur

ſumantur, incendio. Sola domus Iſrael in his qui mundo corde uident deũ, id eſt, in Apoſtolis fundata ipſa liberabitur, in qua domo benedicit Aaron in ſacerdotibus, & Leui in miniſtris cũ his qui timent dominũ, id eſt, cũ omni populo Chriſtiano, qui in canticis Dauidicis pſallit alleluia, benedicens dominũ ex Syon, qui habitat in Hieruſalem. Illam uenturam de cœlis, prophetis & Apoſtolis concionantibus credimus, in qua regnat pater cum filio & ſpiritu ſancto per uniuerſa ſecula ſeculorum Amen.

Alleluia alleluia. CXXXV.

Confitemini domino quoniã bonus, quoniã in æternũ miſericordia eius. Confitemini deo deorum, quoniã. Confitemini domino dominorũ, quoniam. Qui facit mirabilia magna ſolus, quoniam. Qui fecit cœlos in intellectu, quoniam. Qui firmauit terrã ſuper aquas, quoniam. Qui fecit luminaria magna, quoniam. Solem in poteſtate diei, quoniã. Lunã & ſtellas in poteſtatem noctis, quoniam. Qui percuſſit Aegyptũ cum primogenitis eorũ, quoniam. Qui eduxit Iſrael de medio eorũ, quoniam. In manu potenti & brachio excelſo, quoniam. Qui diuiſit mare rubrũ in diuiſiones, quoniam. Et eduxit Iſrael per medium eius, quoniam. Et excuſſit Pharaonẽ & uirtutẽ eius in mari rubro, quoniam. Qui traduxit populũ ſuum per deſertum, quoniam. Qui percuſſit reges magnos, quoniam. Et occidit reges fortes, quoniam. Seon regem Amorræorũ, quoniam. Et Og regẽ Baſan, quoniam. Et dedit terrã eorum hæreditatẽ, quoniam. Hæreditatẽ Iſrael ſeruo ſuo, quoniam. Quia in humilitate noſtra memor

fuit

fuit noſtri, quoniã. Et redemit nos ab inimicis noſtris; quoniam. Qui dat eſcam omni carni, quoniam. Conſitemini deo cœli, quoniam. Confitemini domino domi norum, quoniam in æternum miſericordia eius.

COMMENTARIVM.

V*Enimus ad alleluia quod duplex ſcribitur, in quo illud conſidero, quod nec caro ſine anima, nec anima ſine carne poterit domino cõfiteri. Duo ergo in unum duo alleluia decantẽt, ut dum ſunt in uno uitæ huius tranſitu, confitendi ordinẽ teneant, dicat caro alleluia ſuũ, dicat anima ſuũ. Duplex homo eſt, duplex alleluia eſt. Vterq; cõfitemini domino, primo quoniam bonus et poſtea bona fuerit cõfeßio fidei noſtræ. Tũc dicamus, in ſeculũ miſericordia eius. Non poteſt perire cõfeßio eius, qui in iſto ſeculo ſua delicta accuſat. Inuenit ſine dubio pietatẽ dei, qui ſuã ei confeßionẽ obtulerit: ſi quotidie accipiat confeßionẽ noſtram, quotidie ſuã nobis bonitatẽ impartit. Et ſi nos in confitendo non deficiamus, quomodo ille in miſerendo ceſſabit? Peccauimus, negare nõ poſſumus, habemus multa peccata. Aliter ea nõ carebimus, niſi quotidie ut nobis dimittãtur dominũ exoremus. Siquidẽ eius doctrina ſit. Dimitte nobis debita noſtra. cõfiteamur nos debitores debitori, nã et nos debitores ſumus deo, & deus eſt nobis debitor. Rogemus ne exigamur quod debemus, Rogemus ne reddat quod debet. Væ ergo nobis, ſi quod debemus exegerit. Nihil dicis, quaſi nõ deus omnipotens & regna cœlorum debeat quæ promiſit. Væ nobis, ſi quod debet reddiderit. Verũ quia pius eſt, & deus deorũ eſt, et dominus dominorum,*

quaſi

quaſi qui nihil indiget, rogandus eſt ut dimittat. Sane tu qui miſericordiã flagitas, ſcias quia nõ eam inuenies, niſi rectæ fidei fueris confeſſione decoratus. Cõfitere ergo hunc eſſe deũ tuũ, qui fecit cœlos, in intellectu noſtro ut ipſorũ nobis ſolus pulchreſcat aſpectus: qui fundauit terram ſuper aquas, ut corpus noſtrũ unda ſacri baptiſmatis abluatur: qui fecit luminaria duo magna ſolus, unũ in die noui teſtamẽti, quod ſicut ſol radiat in lumine agentibus, aliud in nocte Iudaica conuerſantibus. In nouo enim aperte quod legitur, ſicut in die in ipſa litera perluſtratur à Chriſto, qui eſt ſol uerus iuſtitiæ. In ueteri autem ſub literæ tegmine, quaſi in nocte poſitũ, à luna, id eſt, ab eccleſia manifeſtatur. Ipſa enim eſt luna quæ creſcit in ſanctis, decreſcit in peccatoribus, lucet in tenebris ignorantiæ poſitis, habet & ſtellas in gradibus ſuis. Aliter enim lucet in epiſcopo aliter in preſbytero, aliter in diacono, & in cæteris clericis, in quibus prædicatur dominus, qui percuſſit Aegyptum cum primitiuis eorum, terram ſcilicet ſuperſtitionibus plenam cum dæmonijs, qui in ea degunt: qui ideo primogeniti dicuntur, quia nullus uetuſtior aut prior in peccato dæmonijs. Quibus percuſſis, educitur Iſrael de medio eorum. Quicunq; enim uiderit deũ in Chriſto mundum conciliantem ſibi, Iſrael factus, utpote deum uidens, educitur de terra Aegypti quam percuſſit dominus. & quomodo eijcitur? In manu, inquit, forti & brachio excelſo. Vtique in altitudine crucis eleuato brachio, quo excuſſit Pharaonem & exercitum eius, id eſt, in abyſſo, ubi æternæ tenebræ commorantur in ſinu. Et tranſducit populum ſuum in deſertum, uidelicet ad

conſilium

conſiliũ ab omnibus curis ſecularibus alienũ: ibi & educit aquã de petra rupis, & percutit aduerſus eũ armatas gentes multas, id eſt, cogitationes iniquas, et reges fortes id eſt, principes aeris huius mundi. Et Seon *regem* Amor*ræorum.* Amorreos Hebraico *ſermone extraneos interpretãtur.* Regem *ergo Amorræorũ, id eſt, extraneorum interficit dominus.* Et *regem* Baſan. Baſan *profundũ* He*bræi dicũt.* Et *regẽ ergo profundi, qui nos de ſuperiorib. ad inferiora uult ducere, & hunc interficit* Chriſtus *& omnia regna eius, qui eſt irriſor, interficit* Cham *enim irriſor exponitur.* Ergo *cum hos omnes interfecerit nobis dominus, tunc dat terrã eorum, id eſt, corpora noſtra, in quibus illi regnabant, dat eam nobis in hæreditatẽ, ſi tamen facti* Iſrael *deũ fidere per fidẽ, & non per ſpeciẽ cupiamus.* Videat *poſt hæc humilitatẽ noſtram, & liberat nos de manu omniũ inimicorũ noſtrorum.* Sic *enim et in alio pſalmo ait, qui liberatũ ſe eſſe cantauit:* Humiliatus *ſum, inquit, & liberauit me.* Videamus *iſti duo uerſiculi qui ſuperſunt, quo intendãt.* Qui *dat eſcam omni carni.* Et *confitemini deo cœli, quaſi qui dicat, cœli teſtes eſtis quia omnis caro alituũ, hominum, pecudũ atq; repentiũ a deo paſcitur: hoc confitemini uos, ò cœli, dominũ dare eſcam omni carni: aut uos homines, deũ cœli credite creaſſe uniuerſa & paſcere omnia, quod anathemabilis* Manichæus *denegãs, carnẽ omnẽ diabolo dicit auctore conſtare, & eius miniſterio ad pinguedinẽ ſaginari.* Nos *aũt confiteamur hunc deũ eſſe cœli, qui dat eſcam omni carni, & ſicut iſte pſalmus fecit, ita faciamus, ut per ſingula uerba confeßionis noſtræ cantemus.* Quoniam *in ſeculũ*

miſericordia eius,id eſt, dei noſtri patris,& filij,qui regnat in unitate deitatis,ante omnia,& nunc & ſemper,et per omnia ſecula ſeculorum Amen.

Alleluia pſalmus Dauid. CXXXVI.

SVper flumina Babylonis illic ſedimus & fleuimus; dum recordaremur tui Syon. In ſalicib.in medio eius,ſuſpendimus organa noſtra. Quia illic interrogauerunt nos qui captiuos duxerũt nos, uerba cantionum. Et qui abduxerũt nos, hymnum cantate nobis de canticis Syon. Quomodo cãtabimus canticum domini in terra aliena? Si oblitus fuero tui Hieruſalem,obliuioni detur dextera mea. Adhæreat lingua mea faucibus meis,ſi non meminero tui. Si non propoſuero Hieruſalem,in principio lætitiæ meæ. Memor eſto domine filiorum Edom,in die Hieruſalẽ. Qui dicunt exinanite exinanite,uſq; ad fundamentum in ea. Filia Babylonis miſera,beatus qui retribuet tibi retributionem tuam,quam retribuiſti nobis. Beatus qui tenebit & allidet paruulos ſuos ad petram.

COMMENTARIVM.

BAbylon confuſio interpretatur,& prima cõfuſio non fuit,niſi in parentibus noſtris ſecundũ carnẽ, id eſt,in Adam & in muliere eius.In ipſis nos ſedimus & fleuimus, quouſq; ueniret qui nos de captiuitate diaboli & miniſtrorũ eius auferret. Hæc quidem cũ dicimus nõ facimus præiudiciũ prophetæ prædicenti Aſſyriorũ rabiem et barbaricam feritatẽ, qua captiui ducendi erant. Factũ eſt & ducti in Babyloniã, & omnia quæ Hieremias uir ſanctus ſcripſit.Nobis tamẽ quando capti

uitas euenit peccatorũ, ceſſamus ab omni uſu illo pſallendi. Confuſi enim ſumus, & Babylonia obſidet nos & nõ eſt nobis fiducia aperiendi os in laudibus dei. Ibi ſuſpendimus organa noſtra ſuper flumina Babylonis, ſuper affluentias facinorũ. Ibi ſunt ſalices in medio fluminũ, uirgulta quæ ad ligandũ faciunt, unde ligantur uites fructiferæ. O domine, diſrumpe uincula noſtra, ut poßimus hoſtiã tibi laudis offerre, quia illic interrogauerũt nos, qui captiuos duxerũt nos uerba cantionũ, Et qui abduxerũt nos hymnũ. Aperiamus oculos mentis, et uidemus nobis dæmones inſultantes poſt peccatũ, & quaſi in his uerbis inſultationũ ſuarum uoces adhibere: Cãtate ſicut ſolebatis, pſallite ſicut ſolitũ uobis erat. His nos miſeri uel ſi nobis dolet flentes oculos oſtendamus, ſi uoces proferre nõ poſſumus. Videant nos plorantes, ſi non poſſunt nos audire cãtantes: Illic inquit, ſedimus & fleuimus. Ploremus quantũ poſſumus, ut fluminibus lachrymarũ noſtrarũm flumina Babylonia ſuperemus. Suſpenſa ſunt enim organa noſtra, defecit uox gaudij, & nõ poſſumus cantare cãticum domino in terra aliena poſiti. Aliena enim à deo facta ſunt corpora noſtra, per eos qui captiuos duxerũt nos. Veniat nobis in mentẽ mater noſtra Hieruſalem, dulcis in caſtitate, pura in ſimplicitate, lenis in correptione, munda in conuerſatione. Videamus animo quid perdidimus quid inuenimus, & inter lachrymas exclamemus, dicentes. Si oblitus fuero tui Hieruſalem, obliuioni detur dextera mea. Adhæreat lingua mea gutturi meo, ſi non meminero tui. Non habebit principium læticia mea, niſi ad te rediero. Et his dictis, mugitũ imi cordis, gemitumq́; reddentes:

reddentes, clamemus ad deũ dicentes: Memento domine filiorum Edom, *id eſt, filiorum* Eſau. *Inimici tui ſunt qui inſurrerunt ſuper nos.* Hæc *res nobis conſolationẽ præbet, quia qui nos captiuos duxerunt, tu eos nunquã dilexiſti.* Iacob *ſemper dilexiſti & Eſau odio habuiſti: id eſt, ſeruos tuos diligis in ſpecie* Iacob *quẽ dilexiſti, & filios* Edõ *exhorres in ſpecie* Eſau *quẽ horruiſti.* Ecce *hij quos odiſti & odis, ſuper eos quos dilexiſti & diligis regnant.* Exurge *domine, memor eſto impietatis eorũ, quibus dicunt ſibi inuicẽ de* Hieruſalẽ *tua, quæ in nobis ſuam charitatẽ infuderat, hij inuicẽ ſecum agunt, dicentes:* Exinanite, *exinanite uſq; ad fundamentũ, id eſt, uſq; ad fidẽ eorum pertingite, ne iterũ ædificent turres fortitudines à facie inimici.* Veni *beate, ueni domine* Ieſu Chriſte, *ueni inuiſibiliter contra inuiſibiles, & retribue eis retributionem, quã retribuerunt nobis, & tene & allide, non ſolũ ipſos bellatores gigantes, ſed & paruulos eorum ad petram tuã, ſupra quam fundaſti eccleſiam: ita ut non ſolũ crimina illa ingentia, ſed etiam paruulũ, & quod minus omnibus peccatis eſſe uidetur, etiã hoc mortifices in nobis: dans nobis cõſilia, ut peccata ſtatim ubi nata fuerint, allidamus ad petrã, & eadem creſcere non ſinamus, ne dum creuerint, iterato nobis barbaricum generẽt.* Faciemus *hæc, ſi ipſe qui eſt uirtus noſtra, ſuis ita ueris mentes figet definitionibus noſtris, cuſpidem crucis ſuæ, ut quotiens ad nos peruenerint ſuggerentes, confundentes abſcedant.* Si *enim ad ſtatuas regum æreas confugiẽtes perſequentes euadunt, quanto magis ad crucem confugientes domini* Ieſu Chriſti, *à ſuis aduerſarijs teneri non poſ-*

uincentem obſcuritatem mundi,ut qui erant tenebris ut gentibus diſiuncti, & per ædificationem ſuperbæ turris à ſe inuicem ſeparati: nunc omnes conueniant in unum,ut illud malum conſilium,Dei conſilio probaretur eſſe correctum.Videns ſanctus ſpiritus exclamauit: Ecce quam bonum,& quam iucundum habitare fratres in unum. Habent enim unguentum chriſmatis, quod deſcendit de capite in barbam,hoc eſt,de Chriſto in uirtutibus.Sicut enim capilli capitis,& barbæ unguento infunduntur: ſic uirtutes omnes, quæ contra uitia luctantur quotidie, & uincere ualeant,Chriſti infunduntur auxilio.Nota tamen chriſmatis ſacramenta in unguento capitis, & ros Hermon deſcendentem in montem Sion,ad fontis undam aquæ perennis extende. Ibi enim mandauit dominus benedictionem,& æternam uitam uſq; in ſecula ſeculorum, Amen.

Canticum graduum. CXXXIII.

ECce nunc benedicite domino omnes ſerui domini, Qui ſtatis in domo domini,in atrijs domus dei noſtri. In noctibus extollite manus ueſtras in ſancta, & benedicite domino. Benedicat dominus te ex Sion,qui fecit cœlum & terram.

COMMENTARIVM.

PEruenit gradus ad charitatem, & ubi ſuperius iret non inuenit. Nam quicquid egit quartuſdecimus gradus,in quintodecimo proficit aſcẽdentib. Ad charitatem enim à diſcordia fraternitas diuiſa reuertitur,& fiunt oẽs boni qui fuerant oẽs mali.Modo dicite mihi,quid cõueniſtis oẽs in unũ uos,qui fratres nomina-

mini,

*mini,aut unde eſtis omnes fratres oſtēdite.*De uno,*inquit patre Chriſto, & de una matre eccleſia.*Ideo *ergo conuenimus in unum,quia nos ſeruos agnouimus domini.*Datur *nobis reſponſum, & dicitur:* Nunc ergo *quia in unū cōueniſtis omnes, benedicite dominū, omnes, inquit,ſerui domini.*Et *quia poteſt dici,omnes homines ſerui domini ſunt,reſpōdit:*Ego *uobis ſeruis dico,qui ſtatis in domo domini, qui meruiſtis ingredi domum, in qua requieſcit deus cū amicis ſuis,& epulatur cū* Apoſtolis *ſuis.* Soli *ergo hij benedicent dominum,qui intus in domo ſunt?*Non *inquit,ſoli ipſi, ſed & hij,qui adhuc in atrijs domus conſiſtunt.*Et *uos ò catechumeni,& uos,inquit, qui in atrijs domus dei noſtri ſtatis,& intus ingredi non audetis, & uos ſimul extollite manus ueſtras intus in ſancta ſanctorum,& ſimul benedicite dominum, in uexillo crucis leuantes ſanctas manus, ſine ira & diſceptatione in nocte huius ſeculi,tanquam luminaria lucentes,ut per uos benedicatur dominus ex Syon, qui fecit cœlum & terram, qui regnat in ſecula ſeculorum Amen.*

Alleluia. CXXXIIII.

L*Audate nomen domini, laudate ſerui dominū. Qui ſtatis in domo domini,in atrijs domus dei noſtri. Laudate dominū quia bonus dominus,pſallite nomini eius quoniā ſuaue. Quoniā Iacob elegit ſibi dominus, Iſrael in poſſeßionē ſibi. Quia ego cognoui quod magnus eſt dominus,et deus noſter præ omnib.dijs. Omnia quæcūq; uoluit dominus fecit in cœlo & in terra,in mari & in omnib. abyßis. Educēs nubes ab extremo terræ,fulgura in pluuiā fecit. Qui produxit uētos*

de theſauris ſuis, qui percußit primogenita Aegypti, ab homine uſq; ad pecus. Emiſit ſigna & prodigia in medio tui Aegypte, in Pharaonẽ & in omnes ſeruos eius. Qui percußit gentes multas, & occidit reges fortes. Seon regem Amorreorũ, & Og regem Baſan, & omnia regna Chanaan. Et dedit terrã eorum hæreditatem, hæreditatem Iſrael populo ſuo. Domine nomẽ tuũ in æternum, domine memoriale tuum in generationem & generationem. Quia iudicabit dominus populũ ſuum, & in ſeruis ſuis deprecabitur. Simulachra gentiũ argentum & aurũ, opera manuũ hominum. Os habent & nõ loquentur, oculos habent & non uidebunt. Aures habẽt & non audient, neq; enim eſt ſpiritus in ore ipſorum. Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis. Domus Iſrael benedicite domino, domus Aaron benedicite domino. Domus Leui benedicite domino, qui timetis dominum, benedicite domino. Benedictus dominus ex Syon, qui habitat in Hieruſalem.

COMMENTARIVM.

Scala iſta cuius caput pertingit in cœlũ quindecim gradus habet in quinq; libris Moyſi, & in decem præceptis legis: ibi lapis ad caput Iacob unctus eſt, hic ipſum caput unctum ad ros Hermon deſtinatũ eſt, nõ ad omne ros Hermon. Ros enim montis per circuitũ habet deſcenſus, nos ad illud ros attingimus, quod deſcẽdit in montem Syon, ſolũ huius roris fontem poſt unguẽtum Chriſmatis requirentes, qui in montẽ Syon, id eſt, in altitudinẽ ſitus eccleſiæ profluit uenis, & ita trinitatem in una deitate coniungit, ut & tres uerè dicã eſſe perſonas,

& unam

& unã uere dicã eſſe ſubſtantiã. Sic enim laudatur à ſeruis dominus. Sic nomen eius uerè laudabile prædicatur, cũ in trinitate unitas, & in unitate trinitas ore dicitur, et pectore cõtinetur: tunc aſſerimus, quoniã bonus & benignus eſt dominus. nam ſi ſibi maiorem partem deitatis dicatur pater aſſumere, aut gradũ ſibi ſupra filiũ hominis uindicare, nõ ut bonus laudatur, ſed ut æmulus blaſphematur. Nihil *ergo in deo maius eſt, quia nunquã ſeneſcit pater.* Nihil *minus in filio, qa nunq̃ creſcit.* Vbi *enim maius aliquid & minus eſt, & maiori defectũ minatur grandeuitas, & pollicetur ætas minori profectũ.* His *gradib. diuinitas caret, quia nõ eſt deus temporũ poſterior. Si enim tempora aliqua ante deũ fuerunt, faciũt eum maiorẽ qui pater eſt, & minorẽ eũ qui filius. Si uero ante omnia genitus, tẽpus illi nequaquã potuit neceßitatẽ imponere, quia ut eſſet tempus ab eo ſumpſit exordiũ. Sic ergo laus domini celebratur, in qua laude canendũ eſt.* Q*uoniã* I*acob elegit ſibi dominus,* H*ũc, inquit, elegit, q̨ ſupplantat uoluptuoſum conſilium, & hũc habet in poſſeßionẽ, qui mundo corde ſtudet deũ uidere. Sicut enim* I*acob ſupplãtator dicitur, ſic* I*ſrael uidẽs deũ.* T*ũc cognoſcit quod magnus eſt dominus, cũ habuerit mundißimũ pectus.* Q*uod ſi mundũ non fuerit, magnũ illi uidetur hoc ſeculũ, et aut perſonas mirabitur, aut pulchritudines illicitas ſtupebit.* C*ũ uero mundus fuerit animus, nihil iudicat admirandũ, niſi ſolũ deũ, et hunc præ omnibus dijs admirabitur deũ.* Q*uomodo præ omnib. dijs? Cautus cãtator auſculta.* D*ij gentiũ dæmonia, hi mirari nos uolũt pulchritudines picturas uerbi cauſa in mœnijs, in perſonis, in glorijs mũdi,*

in

in cõcupiſcentijs fugitiuis. Cũ ergo præ omnib. hunc deũ noſtrũ æterna nobis oſtendentẽ amplectimur, tunc eum præ omnib. dijs honoramus, illorũ ſcilicet cõſilia reſpuẽtes, et dei cõſilia amplectẽtes. Ipſe enim omnia quæcunq; uoluit fecit in cœlo & in terra, in mari & in abyſſis. Ipſe nobis produxit nubes ab extremis terræ, id eſt, finẽ facientes terrenis occupationibus, hos ueluti nubes exhibet mundo, propter quod & fulgura in pluuiã fecit, id eſt, ut in igne fulgureo interficiat inimicũ, & unda pluuiæ abluat peccatorẽ. Et quis hoc facit? Ille ſine dubio, qui producit uentos de theſauris ſuis, id eſt Apoſtolos de ſenſibus ſuis. Sicut enim uenti nauibus, ita Apoſtoli animabus. Vẽtis flantibus, naues ad deſiderata pertingũt: & Apoſtolis prædicãtibus, animæ ad Chriſtũ qui eſt uere portus, perueniunt. Qui percuſſit primogenita in cruce poſitus, & ita percuſſit, ut nõ homini, nõ pecudi crederet eſſe parcẽdũ. Quicquid enim Aegyptiũ eſt, ſimul cũ principe Aegypti fluctib. mergitur, pereat cũ Pharaone, & cũ omnibus ſeruis eius. Cum ergo uentũ eſſet ad aquã, quæ nobis ſalutis uiã aperuit, & omnes qui nos perſequebãtur operuit, tunc cõfeſſi ſumus nomen domini in æternũ, & ſuſcipimus memoriale eius, ut ſit in nobis in ſeculũ ſeculi, credentes uenturũ iudicium, in quo cũ iudicauerit uiuos & mortuos, in ſolis ſuis cõſolabitur ſeruis. Melior enim ibi inuenietur fornicator Chriſtianus, quã caſtiſſimus idololatra. Simulachra enim in quibus ſpẽ habuit, habẽtia membra omnia ſine ſenſu, & capſum ſine ſpiritu. Similes illis erunt cõfidentes in eis, id eſt, ſimili incẽdio conflabũtur, non ut in aliquibus formis deducantur, ſed ut æterno conſumantur

ſumantur

ſumantur,incendio. Sola domus Iſrael in his qui mundo corde uident deũ,id eſt, in Apoſtolis fundata ipſa liberabitur, in qua domo benedicit Aaron in ſacerdotibus, & Leui in miniſtris cũ his qui timent dominũ,id eſt,cũ omni populo Chriſtiano, qui in canticis Dauidicis pſallit alleluia,benedicens dominũ ex Syon, qui habitat in Hieruſalem. Illam uenturam de cœlis, prophetis & Apoſtolis concionantibus credimus, in qua regnat pater cum filio & ſpiritu ſancto per uniuerſa ſecula ſeculorum Amen.

Alleluia alleluia. CXXXV.

Confitemini domino quoniã bonus, quoniã in æternũ miſericordia eius. Confitemini deo deorum,quoniã. Confitemini domino dominorũ, quoniam. Qui facit mirabilia magna ſolus,quoniam. Qui fecit cœlos in intellectu,quoniam. Qui firmauit terrã ſuper aquas,quoniam. Qui fecit luminaria magna,quoniam. Solem in poteſtate diei,quoniã. Lunã & ſtellas in poteſtatem noctis,quoniam. Qui percuſſit Aegyptũ cum primogenitis eorũ, quoniam. Qui eduxit Iſrael de medio eorũ, quoniam. In manu potenti & brachio excelſo, quoniam. Qui diuiſit mare rubrũ in diuiſiones,quoniam. Et eduxit Iſrael per medium eius, quoniam. Et excuſſit Pharaonẽ & uirtutẽ eius in mari rubro,quoniam. Qui traduxit populũ ſuum per deſertum,quoniam. Qui percuſſit reges magnos, quoniam. Et occidit reges fortes,quoniam. Seon regem Amorræorũ,quoniam. Et Og regẽ Baſan, quoniam. Et dedit terrã eorum hæreditatẽ,quoniam. Hæreditatẽ Iſrael ſeruo ſuo,quoniam. Quia in humilitate noſtra memor

fuit

ſuit noſtri, quoniã. Et redemit nos ab inimicis noſtris; quoniam. Qui dat eſcam omni carni, quoniam. Confitemini deo cœli, quoniam. Confitemini domino domi norum, quoniam in æternum miſericordia eius.

COMMENTARIVM.

Venimus ad alleluia quod duplex ſcribitur, in quo illud conſidero, quod nec caro ſine anima, nec anima ſine carne poterit domino cõfiteri. Duo ergo in unum duo alleluia decantẽt, ut dum ſunt in uno uitæ huius tranſitu, confitendi ordinẽ teneant, dicat caro alleluia ſuũ, dicat anima ſuũ. Duplex homo eſt, duplex alleluia eſt. Vterq; cõfitemini domino, primo quoniam bonus et poſtea bona fuerit cõfeßio fidei noſtræ. Tũc dicamus, in ſeculũ miſericordia eius. Non poteſt perire cõfeßio eius, qui in iſto ſeculo ſua delicta accuſat. Inuenitet ſine dubio pietatẽ dei, qui ſuã ei confeßionẽ obtulerit: ſi quotidie accipiat confeßionẽ noſtram, quotidie ſuã nobis bonitatẽ impartit. Et ſi nos in confitendo non deficiamus, quomodo ille in miſerendo ceſſabit? Peccauimus, negare nõ poſſumus, habemus multa peccata. Aliter ea nõ carebimus, niſi quotidie ut nobis dimittãtur dominũ exoremus. Siquidẽ eius doctrina ſit. Dimitte nobis debita noſtra. cõfiteamur nos debitores debitori, nã et nos debitores ſumus deo, & deus eſt nobis debitor. Rogemus ne exigamur quod debemus, Rogemus ne reddat quod debet. Væ ergo nobis, ſi quod debemus exegerit. Nihil dicis, quaſi nõ deus omnipotens & regna cœlorum debeat quæ promiſit. Væ nobis, ſi quod debet reddiderit. Verũ quia pius eſt, & deus deorũ eſt, et dominus dominorum, quaſi

quaſi qui nihil indiget, rogandus eſt ut dimittat. Sane tu qui miſericordiã flagitas, ſcias quia nõ eam inuenies, ni ſi rectæ fidei fueris confeßione decoratus. Cõfitere ergo hunc eſſe deũ tuũ, qui fecit cœlos, in intellectu noſtro ut ipſorũ nobis ſolus pulchreſcat aſpectus: qui fundauit ter ram ſuper aquas, ut corpus noſtrũ unda ſacri baptiſma- tis abluatur: qui fecit luminaria duo magna ſolus, unũ in die noui teſtamẽti, quod ſicut ſol radiat in lumine agenti bus, aliud in nocte Iudaica conuerſantibus. In nouo enim aperte quod legitur, ſicut in die in ipſa litera perluſtra- tur à Chriſto, qui eſt ſol uerus iuſtitiæ. In ueteri autem ſub literæ tegmine, quaſi in nocte poſitũ, à luna, id eſt, ab ec- cleſia manifeſtatur. Ipſa enim eſt luna quæ creſcit in ſan- ctis, decreſcit in peccatoribus, lucet in tenebris ignoran- tiæ poſitis, habet & ſtellas in gradibus ſuis. Aliter enim lucet in epiſcopo aliter in preſbytero, aliter in diacono, & in cæteris clericis, in quibus prædicatur dominus, qui percußit Aegyptum cum primitiuis eorum, terram ſcili cet ſuperſtitionibus plenam cum dæmonijs, qui in ea de- gunt: qui ideo primogeniti dicuntur, quia nullus uetuſti- or aut prior in peccato dæmonijs. Quibus percußis, edu citur Iſrael de medio eorum. Quicunq; enim uiderit deũ in Chriſto mundum conciliantem ſibi, Iſrael factus, utpo te deum uidens, educitur de terra Aegypti quam percuſ- ſit dominus. & quomodo eijcitur? In manu, inquit, forti & brachio excelſo. Vtique in altitudine crucis eleuato brachio, quo excußit Pharaonem & exercitum eius, id eſt, in abyſſo, ubi æternæ tenebræ commorantur in ſinu. Et tranſducit populum ſuum in deſertum, uidelicet ad

conſiliū ab omnibus curis ſecularibus alienū:ibi & educit aquā de petra rupis,& percutit aduerſus eū armatas gentes multas, id eſt,cogitationes iniquas,et reges fortes id eſt,principes aeris huius mundi.Et Seon regem Amorræorum. Amorreos Hebraico ſermone extraneos interpretātur.Regem ergo Amorræorū, id eſt, extraneorum interficit dominus. Et regem Baſan. Baſan profundū Hebræi dicūt.Et regē ergo profundi,qui nos de ſuperiorib. ad inferiora uult ducere, & hunc interficit Chriſtus & omnia regna eius, qui eſt irriſor,interficit Cham enim irriſor exponitur.Ergo cum hos omnes interfecerit nobis dominus, tunc dat terrā eorum,id eſt,corpora noſtra,in quibus illi regnabant, dat eam nobis in hæreditatē,ſi tamen facti Iſrael deū fidere per fidē, & non per ſpeciē cupiamus. Videat poſt hæc humilitatē noſtram,& liberat nos de manu omniū inimicorū noſtrorum. Sic enim et in alio pſalmo ait, qui liberatū ſe eſſe cantauit: Humiliatus ſum,inquit,& liberauit me. Videamus iſti duo uerſiculi qui ſuperſunt,quo intendāt. Qui dat eſcam omni carni. Et confitemini deo cœli, quaſi qui dicat, cœli teſtes eſtis quia omnis caro alituū, hominum, pecudū atq; repentiū à deo paſcitur: hoc confitemini uos,ò cœli,dominū dare eſcam omni carni:aut uos homines,deū cœli credite creaſſe uniuerſa & paſcere omnia,quod anathemabilis Manichæus denegās, carnē omnē diabolo dicit auctore conſtare, & eius miniſterio ad pinguedinē ſaginari.Nos aūt confiteamur hunc deū eſſe cœli,qui dat eſcam omni carni, & ſicut iſte pſalmus fecit,ita faciamus, ut per ſingula uerba confeßionis noſtræ cantemus. Quoniam in ſeculū

miſericordia

miſericordia eius,id eſt, dei noſtri patris,& filij,qui regnat in unitate deitatis,ante omnia,& nunc & ſemper,et per omnia ſecula ſeculorum Amen.

Alleluia pſalmus Dauid. CXXXVI.

SVper flumina Babylonis illic ſedimus & fleuimus; dum recordaremur tui Syon. In ſalicib.in medio eius,ſuſpendimus organa noſtra. Quia illic interrogauerunt nos qui captiuos duxerũt nos, uerba cantionum. Et qui abduxerũt nos, hymnum cantate nobis de canticis Syon. Quomodo cãtabimus canticum domini in terra aliena? Si oblitus fuero tui Hieruſalem,obliuioni detur dextera mea. Adhæreat lingua mea faucibus meis,ſi non meminero tui. Si non propoſuero Hieruſalem,in principio lætitiæ meæ. Memor eſto domine filiorum Edom,in die Hieruſalẽ. Qui dicunt exinanite exinanite,uſq; ad fundamentum in ea. Filia Babylonis miſera,beatus qui retribuet tibi retributionem tuam,quam retribuiſti nobis. Beatus qui tenebit & allidet paruulos ſuos ad petram.

COMMENTARIVM.

BAbylon confuſio interpretatur,& prima cõfuſio non fuit,niſi in parentibus noſtris ſecundũ carnẽ, id eſt,in Adam & in muliere eius.In ipſis nos ſedimus & fleuimus, quouſq; ueniret qui nos de captiuitate diaboli & miniſtrorũ eius auferret. Hæc quidem cũ dicimus nõ facimus præiudiciũ prophetæ prædicenti Aſſyriorũ rabiem et barbaricam feritatẽ, qua captiui ducendi erant. Factũ eſt & ducti in Babyloniã, & omnia quæ Hieremias uir ſanctus ſcripſit.Nobis tamẽ quando capti

reddentes, clamemus ad deũ dicentes: Memento domine filiorum Edom, *id eſt, filiorum* Eſau. *Inimici tui ſunt qui inſurrerunt ſuper nos.* H*æc res nobis conſolationẽ præbet, quia qui nos captiuos duxerunt, tu eos nunquã dilexiſti.* Iacob *ſemper dilexiſti & Eſau odio habuiſti: id eſt, ſeruos tuos diligis in ſpecie* Iacob *quẽ dilexiſti, & filios* Edõ *exhorres in ſpecie* Eſau *quẽ horruiſti. Ecce hij quos odiſti & odis, ſuper eos quos dilexiſti & diligis regnant. Exurge domine, memor eſto impietatis eorũ, quibus dicunt ſibi inuicẽ de* Hieruſalẽ *tua, quæ in nobis ſuam charitatẽ infuderat, hij inuicẽ ſecum agunt, dicentes:* Exinanite, *exinanite uſq; ad fundamentũ, id eſt, uſq; ad fidẽ eorum pertingite, ne iterũ ædificent turres fortitudines à facie inimici. Veni beate, ueni domine* Ieſu *Chriſte, ueni inuiſibiliter contra inuiſibiles, & retribue eis retributionem, quã retribuerunt nobis, & tene & allide, non ſolũ ipſos bellatores gigantes, ſed & paruulos eorum ad petram tuã, ſupra quam fundaſti eccleſiam: ita ut non ſolũ crimina illa ingentia, ſed etiam paruulũ, & quod minus omnibus peccatis eſſe uidetur, etiã hoc mortifices in nobis: dans nobis cõſilia, ut peccata ſtatim ubi nata fuerint, allidamus ad petrã, & eadem creſcere non ſinamus, ne dum creuerint, iterato nobis barbaricum generẽt. Faciemus hæc, ſi ipſe qui eſt uirtus noſtra, ſuis ita ueris mentes figet definitionibus noſtris, cuſpidem crucis ſuæ, ut quotiens ad nos peruenerint ſuggerentes, confundentes abſcedant. Si enim ad ſtatuas regum æreas confugiẽtes perſequentes euadunt, quanto magis ad crucem confugientes domini* Ieſu *Chriſti, à ſuis aduerſarijs teneri non poſ-*

ſunt,ſed per ipſum magis,qui uicit in cruce,& ipſi uicto res exiſtunt,ipſi gloria in ſecula ſeculorum Amen.

Pſalmus ipſi Dauid. CXXXVII.

Confitebor tibi domine in toto corde meo, quoniam audiſti omnia uerba oris mei. In conſpectu angelorum pſallam tibi, adorabo ad templũ ſanctum tuum, et confitebor nomini tuo. Super miſericordia tua, & ueritate tua, quoniam magnificaſti ſuper omne nomen ſanctum tuum. In quacunque die inuocauero te uelociter exaudi me, multiplicabis in anima mea uirtutẽ. Confiteantur tibi domine omnes reges terræ, quia audierunt omnia uerba oris tui. Et cantent in uijs domini, quoniam magna eſt gloria domini. Quoniam excelſus dominus & humilia reſpicit, & alta à longe cognoſcit. Si ambulauero in medio tribulationis uiuificabis me, & ſuper iram inimicorum meorũ extendiſti manum tuam, & ſaluum me fecit dextera tua. Dominus retribuet pro me, domine miſericordia tua in ſeculum, opera manuum tuarum ne deſpicias.

COMMENTARIVM.

Confiteri in toto corde ille ſe comprobat Chriſto, qui totas duodecim uncias cordis ſui ipſi tradiderit, & ſuperfluis ac labentibus rebus nullam ſuæ mentis cõceſſerit partem, Huius confeſſio peruenit ad diuinum auditum. Et qui pure in conſpectu hominum deo laudes obtulerat, incipit poſt depoſitionem corporis in conſpectu pſallere angelorum, & adorare templum ſanctum, id eſt, dominum Ieſum Chriſtum, in quo plenitudo deitatis inhabitat. Confitetur nomini eius, quia in nomine

mine Ieſu omne genu flectitur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. Quid confitetur nomini ſancto? Miſericordiam, inquit, tuam & ueritatem tuam. Nihil aliud confitetur anima deo in conſpectu angelorum, niſi miſericordiam qua redemptus eſt, & qua eruditus eſt, ueritatem. Quam ueritatem? Hãc ſine dubio, in qua magnificatum eſt ſuper omnia nomẽ eius ſanctum. Nomen enim eſt hoc quod eſt ſuper omne nomen. Videamus nunc quo ordine ad hoc poßit attingi: In quacunq;, inquit, die inuocauero te, uelociter exaudi me. Et quia per infirmitatem ſuam diminuta eſt anima mea, tu multiplica eam in uirtute tua. Non.n. poterit ſeipſa eruere anima de muſcipulis occultatis, & de foueis cæcis, in quibus regnãt uitia ſuper eos, qui inciderũt in eis. Vt ergo domino uitiorũ eripiamur, in uirtute domini confidamus, ut ipſe multiplicet animã noſtrã in uirtute ſua. Confiteantur tibi domine omnes reges terræ, id eſt, omnes Apoſtoli, quia terrenis uoluptatibus imperãt. Reges terræ hoc loco dicti ſunt ipſi, qui audierunt uerba ex ore tuo domine Ieſu Chriſte. Ipſi etiam cantant in canticis domino canticum. Duas res canit, unius partis uictoriã, alterius perditionem. Cantent ergo, quia magna eſt gloria domini, quando in altis crucis habitans, reſpexit humilia inferorum, & alta de longe cognouit. Poſtea enim uidit inferos et longe factus eſt, non ſolum à cœlis, ſed & ab ipſa terra: abyßi profunda deſcendens ſcidit, & quia inde reuerteretur ad ſuperos, & quia à ſuperis remearet ad cœlos. Sic ergo alta de longe cognouit, quando ambulãtes nos in medio tribulationis uiuificare dignatus eſt uiſitando, & ſuper iras inimi

 corum

corũ noſtrorũ extẽdit manus ſuas, crucis patibulũ perfe rendo, quando ſaluauit nos dextera eius, Ipſi dicimus, domine retribue propter me. Propter me enim & natus & paſſus es, domine miſericordia tua in æternũ. Non enim tẽporali nos beneficio redemiſti, ſed æterno auxilio tuæ miſericordiæ liberaſti. Opera manuũ tuarũ non omittas. Opera manuũ tuarum ſumus, quia factura tua ſumus: et quia opera manuũ tuarum per opera manuũ noſtrarum fuerãt interempta, manus tuæ pro peccatis noſtris cruci affixæ ſunt, ut opera ſua quæ per lignũ cõcupiſcentiæ perierant, ipſæ manus quæ tunc creauerant, ipſæ nunc per crucis lignum iterum repararent in paßione domini noſtri Ieſu Chriſti, qui regnat cum patre & ſpiritu ſancto per omnia ſecula ſeculorum Amen.

In finem pſalmus Dauid. CXXXVIII.

DOmine probaſti me & cognouiſti me, tu cognouiſti ſeßionem meã & reſurrectionem meam. Intellexiſti cogitationes meas de longe, ſemitam meam & funiculum meum inueſtigaſti. Et omnes uias meas præuidiſti, quia non eſt ſermo in lingu mea. Ecce domine tu cognoiſti omnia nouißima & antiqua, tu formaſti me et poſuiſti ſuper me manũ tuam Mirabilis facta eſt ſciẽtia tua ex me, confortata eſt & nõ potero ad eam. Quo ibo à ſpiritu tuo, & quo à facie tua fugiam. Si aſcẽdero in cœlũ tu illic es, ſi deſcendero in infernũ ades. Si ſumpſero pẽnas meas diluculo, et habitauero in extremis maris. Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Et dixi forſitan tenebræ conculcabunt me, & nox illuminatio mea in delitijs meis.

Quia

Quia tenebræ non obſcurabuntur à te,& nox ſicut dies illuminabitur,ſicut tenebræ eius ita et lumẽ eius. Quia tu poſſediſti renes meos, ſuſcepiſti me de utero matris meæ. Confitebor tibi quoniã terribiliter magnificatus es,mirabilia opera tua & anima mea cognoſcet nimis. Non eſt occultatũ os meum à te quod feciſti in occulto,et ſubſtantia mea in inferioribus terræ. Inperfectum meũ uiderunt oculi tui,& in libro tuo omnes ſcribentur,dies formabuntur & nemo in eis. Mihi autem nimis honorificati ſunt amici tui deus, nimis confortatus eſt principatus eorum. Dinumerabo eos & ſuper arenam multiplicabũtur, exurrexi & adhuc ſum tecũ. Si occideris deus peccatores,uiri ſanguinũ declinate à me. Quia dicitis in cogitatione,accipiant in uanitate ciuitates ſuas.

Nonne qui oderunt te domine oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam. Perfecto odio oderam illos,inimici facti ſunt mihi. Proba me deus et ſcito cor meum,interroga me & cognoſce ſemitas meas. Et uide ſi uia iniquitatis in me eſt,& deduc me in uia æterna.

COMMENTARIVM.

Domine probaſti me,quando ad militiam tuam acceßi:& cognouiſti me militem tuum eſſe, quando pugnaui. Quis autẽ ſit miles dei indicat beatißimus Paulus *cũ illum approbat dei eſſe militẽ, qui ſe à negocijs ſecularibus tollit.* Verũ *quoniam de moralib. penè omnib. pſalmis inſtituimus myſticũ:nunc in* Petro Apoſtolo *declaremus affectũ.* Domine *probaſti me:me quãdo uocaſti cognouiſti: cognouiſti quãdo præſumpſi et auſus fui dicere:* Etiã *ſi me oportet mori tecũ nõ te negabo. Tu*

autem cognouiſti omnes cogitationes meas longe ante-quam eas cogitarem. Semitam meam et directionem meã inueſtigaſti, & omnes uias meas præuidiſti & probaſti, & quia non erat dolus in lingua mea cum dicerem: Etiamſi me oportet mori tecum non te negabo. Tu autem firmaſti me & poſuiſti ſuper me manũ tuam. Firmaſti me de tua præſcientia quod eſſem negaturus, & poſuiſti ma num tuam ſuper me, ut peccatum lachrymæ ſequerẽtur. mirabilis facta eſt præſcientia tua, ex me confortata eſt, non potero ad eam, conatus ſum non negare, promiſi me etiam mori magis eligere, quam negantis crimen incurrere, ſed præſcientia tua ita confortata eſt, ut non potuiſſem ad eam. Quid nunc faciã? Negaui dominũ & *magiſtrum: nec, ut quidã opinantur, hominẽ negaui: ego illum negaui, cui dixi,* Tu es Chriſtus *filius dei: illũ negaui quẽ pedibus ambulantẽ ſuper undas expertus ſum, illum quẽ uoce uidi ſola uocantẽ mortuos de ſepulchro, illũ quẽ cœ lis patentibus uidi cum* Moyſe & Helia, & *uocem ſuper eum patris de cœlo:* Hic *eſt filius meus, ipſum audite: illũ qui cœcos tactu ſuo illuminauit, qui uerbo leproſos mun dauit, qui iuſſu dæmonia expulit, & multas uirtutes ſuæ deitatis oſtendit. Quid nunc facimus* Nouatiane, *perdimus* Apoſtolum Petrum, *an recipimus reuertentem ad* Chriſtum? Ecce Chriſtus *eum recepit, tu eijcis. Sed clamat contra te* Paulus: *Si deus iuſtificat, tu quare condem nas?*Dicis *certe baptiſatis non debere pœnitentibus ſubueniri.* Ecce Apoſtolo *pœnitenti ſuccurritur, qui eſt epiſcoporum epiſcopus, et maior gradus redditur ploranti quã ſublatus eſt deneganti. Quod ut doceã illud oſtendo,*

quod

quod nullus Apoſtolorum *nomen paſtoris accepit. Solus enim dominus* Ieſus Chriſtus *dicebat:* Ego *ſum paſtor bo nus,& iterum:*Me,*inquit,ſequuntur oues meæ.* Hoc *ergo nomen ſanctum,& ipſius nominis poteſtatem poſt re ſurrectionẽ ſuam* Petro *pœnitenti conceſſit,& ter nega tus negatori ſuo hanc quã ſolus habuit,tribuit poteſtatẽ: ut non ſolum recuperaſſe quod amiſerat,probaretur,ue rumetiam & multo amplius pœnitendo quam negando perdiderat,acquiſiſſe.*Hoc *magiſter bonus in electo.* Diſcipulus *Chriſti ſicut integro animo peccet oportet ut re nuat, ita integro animo pœniteat ſi euenerit ut delinquat.* Nec *ſibi noxiam permittere debet, ut creſcat, & quæ tanto citius uincitur quanto & citius repugnatur. Certe omnis ſanctitas ad* Deum *ducit, & omne peccatũ ad diabolũ,& ſub domino bono poſiti,quomodo credimus nobis poſſibilitatem ad diabolum eundi conceſſam, & reuertendi ad* Dominum *denegatam:*Addo *aliud.Cer te hominem per peccatum à ſe recedere* Deus *non uult, & peccatorem ad ſe uenire* Deus *uult. Si illud potuit fie ri quod* Deus *non uult, quanto magis hoc poterit fieri, quod* Deus *uult.* Ideo *deniq; cogitatio peccati non eſt à deo prohibita per naturam, ſed per imperium præceptorum,ut laboris ei pugna incumbente, præmiũ de certamine proueniret.* Voluit *enim deus homini operis fati gationẽ relinquere,ne in aliqua detrimenti parte præmi um impediret.* Duos *certe bonorum & malorum popu los eſſe nemo eſt qui neſciat.*Bonos *dicimus credentes, et peſſimos non credentes.* Non *credentes eſſe ſub diabolo, & credentes eſſe ſub deo.*Magna *prædicatio tua* O No-

E 5 *uatiane,*

uatiane, qui ſeruum diaboli ad te uocas, & ſeruum Dei *à te repellis: quaſi qui uelis* Deum lucrari *quod non habet, & perdere quod habet.* Huc *adijcias & illud, quod poßit* Deus *mortuos ſuſcitare, & infirmos ſaluare non poßit.*Nam *increduli mortui ſunt,et credentes, licet peccatores ſint,uiuunt in infirmitate ſua. & ſi ſaluator noſter habet, imò quia habet peritiam mortuos ſuſcitandi, quomodo non habet quæcunq; fuerint infirmitates curandi.*Ex *utroq; latere blaſphematur uobis, qui pœnitẽtibus negatis effectum.*Si *enim poſſe eum docetis infirmitates animæ curare,ſed nolle,impium arguitis: ſi uelle et non poſſe eum forſitan dixeritis,à deitate excluditis: & manet uobis ex utroq; latere condemnatio,cum negatis familiæ dei pereunti poſſe ſuccurri.*Hactenus *cum* Nouatiano *ſim locutus.* Reuertamur *ad* Apoſtolum *pœnitentem,& flentem amarißime atq; dicentem.*Quo *ibo à ſpiritu tuo,& quò à facie tua fugiam.* Scio *quia tu es* Chriſtus *filius dei,quam ſcientiam non mihi reuelauit caro et ſanguis,ſed pater tuus qui in cœlis eſt.* Quò *fugiam, qui te deum noui & omnipotentẽ agnoui, ſi in cœlos aſcendero tu illic es, ſi deſcendero in infernum ades.* Ibi *enim per paßionem ſpecialiter deſcendiſti, ubi per potentiam tuam, ſicut ubiq; generaliter præſto es.* Si *ſumpſero pennas meas ante lucem.* Pennas *hoc loco pro cogitationib. poſuit,quæ repentino uolatu ubiq; ſunt, in cœlo, in terra,in abyſſo,& ubicunq; finiunt maria.* Si *ergo, inquit, & ibi ante lucem reſurrectionis tuæ uadam ubicunq; inacceßibilitas ſolet fugitiuum abſcondere: ut illuc ire poſſim, manus tua deducet me, & quaſi fugitiuum tenebit*

me

me dextera tua. Ante lucem hic ante reſurrectionem po ſuit ſaluatoris. Quia in tenebris fuit omne ſeculum iacen te domino in ſepulchro, in quo tempore pœnitẽtia Petri Apoſtoli agebatur, in qua etiã dixi, *forſitan tenebræ con culcabunt me.* Et tribus negationibus ſuis tres fugarum partes clauſas eſſe, ſi ibi fugeret memorabat, in cœlo, in inferno et in poſtremis maris. Ergo tenebræ negare ſunt & fugere conculcatio tenebrarum. Hoc timens ne ab eis cõprehenſus, ab ipſis tenebris calcaretur, quaſi tenebris ſubiectus, operibus eſſet deditus tenebrarũ, habens rea‑tum perẽne, iuges lachrymas, dolores æternos. Hoc enim modo conculcabunt tenebræ mortis huius, qua corpora liter morimur: Si uero moriens, inquit, non conculcabor à tenebris, ſed ad delicias ſanctorũ attingo, nox ipſa mor tis illuminatio mea erit in delitijs meis. Ibi enim habebo lucem meam Chriſtum meum, qui non patitur obſcurita tem tenebrarum, in cuius conſpectu nox ſicut dies illumi nabitur. *Sicut tenebræ eius, ita & lumen eius.* Hoc con‑tra Manicheũ qui dicit, alterius principis ſunt tenebræ, alterius principis lux eſt. De noſtro aũt deo et cantamus & credimus, quia ſicut tenebræ eius ſunt, ita & lumen eius eſt. Tenebræ enim non omnibus creaturis obſcurũ faciunt. Siquidem & feræ penè omnes, ſed & cattæ no‑ctium nullum patiuntur obſcurũ, ſed et aues multæ ſunt, quæ in noctibus uolant. Vnde docemur naturam oculos noſtros à creatore hanc eſſe ſortitos, ut in tenebris uide‑re non poßint. Deus enim ad requiẽ hominũ noctes inſti tuit, ut generationis humanæ quieti poßit eſſe conſultũ. Ipſius ergo ſunt tenebræ, cuius eſt lux, quod Manichæus negat.

negat. Ipſe eſt etiam creator corporū noſtrorum, contra quod ſuſcipit, cui in præſenti pœnitens Petrus *dicit*: Tu *poſſediſti renes meos, qui ſuſcepiſti me ex utero matris meæ. Sicut in ore dum loquimur, & in opere aliquo dū operamur, cordis noſtri cogitata oſtendimus: ita quod in corde cogitamus, antequā dicendo uel operando pan datur, à renibus gignitur: ſecundum illud, quod in alio pſalmo dicimus deo, quod non ſolum corda ſed & renes ſcrutetur. Cum ergo dicit pœnitens deo:* Q*uoniā tu poſ-ſediſti renes meos* Dicit ei, Q*uia ita tibi in me nihil occul tum eſt, ut non ſolum cogitata quæ ſunt in corde conſide res, ſed & cogitanda quæ ſunt in renibus cernas tu* Do-*mine, qui ſuſcepiſti me ex utero matris meæ, ita ut quic-quid ab ortu meo ſemiſonis balbutientis infantiæ uerbis aliquid forte peccaui cognoſcas.* Etiam *in hoc confiteor, quia terribiliter mihi mirificatus es, mira opera tua quæ oculis meis uidi, & te exercente domine* Ieſu Chriſte *co-gnoui, et anima mea nouit nimis. Intus in me eſt quod cre didi, non in ſuperficie uerborum, ſed intus in uiſceribus animæ, quod ita eſſe tibi non eſt occultum. Siquidem tibi occultum nō eſt, nec os meum, id eſt, oſſum meum, quod feciſti in occulto. Si ergo nec os meum tibi occultum eſt quod eſſe naturaliter uoluiſti, quid erit ante te occultum in corde quod manifeſtari iuſsiſti? Ad altiora ducimur cū de oſsibus & ſubſtantia quæ in inferioribus eſt terræ tra ctamus. Agitur enim hoc loco quod dies reſurrectionis aduenerit:* Vbicunq;, *inquit, fuerit os meum, et ubicunq; in inferiorib. terræ fuerit ſubſtantia mea, imperfectū me um uidebunt oculi tui. Imperfectum meū carens neruos,*

carens

carens cutem,ſpiritũ non habens,hoc uidebunt oculi tui, quia ſolo aſpectu tuorum oculorum exurget. In libro enim reſurrectionis omnes homines qui nati ſunt omnes ſcribuntur,quotquot ad diẽ formabuntur,et nemo in eis qui ibi ſcriptus non ſit.In quo libro mihi non ſunt in amore & in honore, niſi amici tui deus. Nimis enim *confortati ſunt principatus eorũ. Siquidẽ participes eos tui eſſe æterni imperij repromittis,nec ut hæretici dicunt, nõ debuit mundus ſubſiſtere per eum,qui præſcius erat homines,per peccata ſua & ſcelera ad æternam gehennæ incendium deſtinandos. Si ita putatis debuiſſe fieri, conſultum magis reis iudicatis eſſe quàm ſanctis.Si enim mundus à ſuo fuiſſet tranſitu reuocatus, nullus fuiſſet ſanctorum particeps regni. Et dum prouidebatur malis, ne ad interitum deuenirent,impediebatur bonis, ne ad gloriã peruenirẽt:& ut non perirent pro merito ſuo mali,hãc boni accipiebant ſententiam,ne uel temporalem uitã ſuſciperent,quibus debebatur æterna.* Nos *autem cũ propheta gaudeamus in ſanctis dei,& cum* Apoſtolo *dignis honoribus amicos domini recordemur, quorum tantus eſt numerus,ut ſuper harenam multiplicati eſſe noſcantur.* Quid *nunc ſi occidit dominus peccatores,* Occidat Neronẽ,*& poſt eum omnes uiros ſanguinarios, qui ſanctos domini occiderunt. Si ueſtrum* O *hæretici,deus ſecutus eſſet conſilium,ne perirent* Nero *aut* Diocletianus *uel cæteri interfectores ſanctorum, non feciſſet nec* Apo*ſtolos,nec martyres naſci, eſſetq́; par iudicium in iniuſtis & iuſtis, & omnes una præueniens ſententia, per quam ſimul omnes uiderentur ante puniti quàm nati.Sed uos ô uiri*

uiri ſanguinum declinate à nobis qui dicitis, Quia in uanum acceperint homines ciuitates ſuas: hoc eſt, ſine cauſa ſunt mortales effecti, & omnia cum mundo pereunt, et ipſa perditio. Non ita eſt, *oēs in libro ſcripti ſunt. Oēs reſurgūt, ſed alijs dabitur odor uitæ in uitā æternā, alijs odor mortis in mortē perpetuā, ubi deueniūt ij de quib. dicitur:* Nōne *qui te oderūt deus odiohabui, et ſuper inimicos tuos tabeſcebā?* Hæc Petrus *in eccleſia loquitur, et eccleſia in* Petro *pronūciat:* Perfecto, *inquit, odio oderā illos, inimici facti ſunt mihi, et ideo his anathematizatis:* Proba *me, inquit,* Domine, *& ſcito cor meum, quid de te ſentiam, quid de te credam interroga me, & ſcito ſemitas meas, ſit tibi ſollicitudo de eccleſia tua, & de ouibus tuis, & uide ſi uia iniquitatis diabolus eſt, qui ſe ad ambulandum in ea in incredulis & hæreticis præbet:* Vide, *inquit, in populum tuum, ne ſit aliquis in quo uia iniquitatis iter erroribus præbeat, & excludens uiam iniquitatis. deduc me in uiam æternam, ut portæ mortis & inferi non præualeant mihi, ſecundum uerbum tuū domine* Ieſu *Chriſte, qui regnas cum patre & ſpiritu ſancto in ſecula ſeculorum,* Amen.

In *finem pſalmus* Dauid. CXXXIX.

E*Ripe me domine ab homine malo, à uiro iniquo eripe me. Qui cogitauerunt iniquitates in corde, tota die conſtituebant prælia.* Acuerunt *linguas ſuas ſicut ſerpentes, uenenum aſpidum ſub labijs eorum.* Cuſtodi *me* Domine *de manu peccatoris, & ab hominibus iniquis eripe me.* Qui *cogitauerunt ſupplantare greſſus meos, abſconderunt ſuperbi laqueū mihi.*

bi. Et funes extenderunt in laqueũ, iuxta iter ſcanda-
lum poſuerunt mihi. Dixi domino deus meus es tu, ex
audi domine uocẽ deprecationis meæ. Domine domi-
ne uirtus ſalutis meæ, obumbraſti ſuper caput meũ in die
belli. Non tradas me domine à deſiderio meo peccato
ri: cogitauerũt contra me, ne derelinquas me ne forte ex
altentur. Caput circuitus eorũ, labor labiorum ipſo-
rum operiet eos. Cadent ſuper eos carbones, in ignẽ
deijcies eos, in miſerijs non ſubſiſtent. Vir linguoſus nõ
dirigitur in terra, uirũ iniuſtũ mala capiant in interitu.
Cognoui quia faciet dominus iudicium inopis, & uindi
ctam pauperum. Verumtamen iuſti confitebuntur no
mini tuo, & habitabunt recti cum uultu tuo.

COMMENTARIVM.

CAuendum eſt, ne quando ſenſus noſter illuc ua-
dat, ubi genuino motu laus creaturæ conſiſtit.
Malus enim per creaturam, nec ipſe eſt diabo-
lus. Quod ſi per naturam, nec diabolus malus eſt, quan-
to magis homo malus agendo non naſcendo probabi-
tur. Nam omnis natura opus eſt Dei. Omne autem pec-
catum opus eſt contemptoris, quod & ipſum peccatum
non ſui natura malum eſt. Malum enim illud non facit
ſola operatio, ſed præuaricatio. Quoniã prohibita dum
geruntur, & eius qui prohibuit iudicio deſtinantur iræ,
increpata damnantur. Denique & ipſa prohibita & in
bonis, & in malis rebus reum faciunt perpetrantẽ. Nam
homicidium ſummum malum in hominibus, & miſeri-
cordia ſummũ bonum obtinet locũ, quod utrũq; uocatur
in crimen. Nam et Cain cur occiderit à facie dei proijci-
tur.

tur.Et Saul, cur non occiderit à regno eijcitur. Iſta fortè apud ueteres dicas potuiſſe conſtare,Nunc uero in quauis perſona miſericordia probatur eſſe uirtutis, cũ econtrà doceamus grauius puniri ſpiritali nunc iudicio, quã antea puniti ſunt ferro, Nam ferro tollitur uita ut multum quinquaginta annorum. Anathematis autem cædè & uita æterna eripitur, & mors perpetua irrogatur. Eum autem, qui pepercerit hæreſiarchis aut prædicatoribus falſitatis, & non eos gladio fidei ſuæ iugulauerit, hoc ei euenire quod euenit Sauli quis ambigat? Aut qui miſericordiam ſuam putauerit ſe in hæreſi permanentibus exhibere,quis neget ſimili modo à regno dei excludi,ſicut Saul à regno humano probatur excluſus? Quis autem dubitet Cain eſſe participem, qui iuſtum per inuidiam auſus fuerit condemnare. Siquidem auctoritas Apoſtolici ſermonis affirmet,quod omnis qui odit fratrem ſuum homicida ſit. Libra ergo iuſti iudicij æquali lance perpenſa, & nocentem dum interficit, & liberat innocentem,oſtendit & miſericordiam iniuſtam in impio,& pio cædem crudeliter irrogatam. Cum ergo arguitur factum in impio, Deus contemptus oſtenditur, in quo non pro qualitate humani operis, ſed pro autoritate diuini imperij,quæ ſunt perpetrata, ſi ſunt prohibita iure damnantur,Si iuſſa ſunt iure laudantur.Nam homicidium in Abel malum,in Goliad bonum eſt,Et mendacium in Iudith bonum,contra Suſannam malum eſt,Et uſus coniugij in coniugibus bonus eſt,in adulteris malus eſt,Et aſtutia ſerpentina contra malos bona eſt, contra bonos mala eſt, Et omne opus etiam ſanctum præſumptio crimen

eſt,

eſt,etiam ſi myſterijs ipſis uideatur aptatum. Quid enim tam ſanctũ quàm cõmunionem Chriſti percipere, Et quid tam iniquũ quàm ſi nõ baptiſatus eadem ſumat, Aut quid tã magnificum quã ſacramenta diuina conficere, Et quid tam pernicioſum quam ſi ea is cõficiat, qui nullum ſacerdotij gradum accepit. Data *ergo occaſione ſapienti, fecimus ex omni parte manifeſtum omne malum non eſſe, niſi quod fieri prohibet deus, nec bonũ, niſi quod fieri præcepit deus. Cum ergo uel prohibita perpetrauerit homo uel iuſſa contẽpſerit, actio eum efficit malum.* Et ideo *cũ dixiſſet:* Eripe me domine ab homine malo, *actiones eius malitiæ expoſuit, ut malos homines nõ naturæ qualitas, ſed operationũ nequitia manifeſtet.* Aitenim: *domine libera me ab his, qui cogitauerũt malitias in corde. Ceſſat generationis accuſatio, ubi cogitationis prauitas increpatur:* Tota, *inquit, die conſtituerunt prælium.* Cum *audis prælium pugnantes caue, ſiue quos uides, ſiue quos nõ uides.* Nam *& iſtos quos uides per illos ſcias, quos non uides excitatos.* Quos *enim uides, homines ſunt.* Quos *aũt non uides, ſpiritus nequã ſunt.* Age *ergo & pugnantibus pugna.* Et *ſi auxilium poſcis à rege, te repugnantẽ oſtende.* Linguæ *contra te pugnant, quas acuunt hæretici, ſicut ſerpentes.* His *& tu eſto ſicut ſerpẽs aſtutus, & te ſimplicem, ut columbam eſſe ciuibus tuis, id eſt, catholicis ſolis oſtende.* Cæterum *hæreticis & cunctis contra ueritatem uenientibus, ipſis ſerpentibus eſto aſtutior.* Noli *timere, iuſſum tibi eſt à domino tuo: tam bona eſt aſtucia contra malitiam, quam benigna ſimplicitas circa iuſticiã.* Occide *hæreticos, et domini tui ſpiritali gladio interfice inimicos.*

micos. Quid enim faciunt inimici dei .i. immundi ſpiritus? Volunt excludere de templo ſuo dominũ, id eſt, ſpiritum ſanctum. Et ipſi ibi uolunt habitare, id eſt, in te. Templum dei tu es. Et quid conantur hæretici? Volunt excludere à te ueritatem, & in te intus fallaciam claudere. Occide utroſq;, & aſſertiones falſas, aſſertionibus ueris exupera, atq; ſuggeſtiones dæmonum diuinæ legis ſententijs uince. Verum quia dæmonia ieiunijs & orationibus ſuperari poſſe didiciſti, tene ordinẽ belli, & ſicut te præſens pſalmus edocet, Abſconderunt enim ſuperbi laqueos mihi. Quare ſuperbi? Quia contẽptores dei. Quomodo abſconderunt? Faciunt dulce uideri quod amarũ eſt, & æſtimari bonum quod malum eſt. Et funes tetenderũt in muſcipula pedibus meis. De pedibus mentis euidenter inſtrueris, quibus funes ſunt tenſæ aſſertiones hæreticorum, cum ſyllogiſmis uincula conantur innectere greßibus ſanctis, ut uideantur tibi uera eſſe quæ falſa ſunt. Funes etiam ſunt ſuggeſtiones dæmonũ quibus qui conſenſerit, ligabitur ab eis: Iuxta ſemitam, inquit ſcãdalum poſuerunt mihi. Semitã ambulanti caſtitatis, occurrit fornicationis ſtimulus. Semitam ueritatis eunti, occurrit aſſertio falſitatis. Quid ad hæc? Clama: Obumbra domine ſuper caput meum in die belli, tu mihi eſto galea tegens caput, ut nõ tradar in deſiderio peccatorũ. Cogitauerũt enim aduerſum me. Non tradas me, ne unquam exaltẽtur. Caput circuitus eorũ, ſed labor labiorũ eorum operiat eos, ut de ſuis ſibimet aſſertionib. cõuincantur, Verbi gratia dicunt dæmonia ſuggeſtionibus ſuis: Dulcis amplexus, ſuaue oſculum, delectabilis fornicatio. Ego dicã eis:

Nunc putant Syllogiſmis defendi fidẽ.

Vnius

*Vnius horæ,imò unius puncti delectamentum eſt ſed & æternæ mortis interitus.*Dicunt *uerbi cauſa,hæretici aſſertionibus ſuis:*Pater *maior eſt,filius minor.*Ego *reſpondeam.*Qui *maior eſt ſeneſcit & deficit,qui minor eſt iuueneſcit,& ſimiliter grandeſcit:ut deſinat.*Deus *aũt,nec minor nec maior eſt,quia ſicut finem non habet,nec initium habuit. Semper fuit immutabilis pater, & ſemper fuit cuius eſſet pater,nec unquam fuit ſine ſpiritu ſancto.* Ac *per hoc pater nunquam fuit ſine bonitate,quæ eſt filius:nunquàm fuit ſine ſanctitate, quæ eſt ſpiritus ſanctus:* His *itaq; aſſertionibus tuis, labor labiorum eorum operiet eos,& cadent ſuper eos carbones ignis,in ſpiritibus immundis,ut exurantur in hæreticis & ſciſmaticis,ut ad ſuum dominum reuertantur.* Quod *ſi permanſerit in aſſertionibus ſuis peruerſus aſſertor,& uir linguoſus non directus fuerit ſuper terrã,id eſt,dum eſt in corpore non direxerit uir linguoſus ab aſſertionibus prauis linguam ſuam,iniuſtus effectus iniuſticiæ ſuæ eum ſententia comitabitur talis,ut eum mala cooperiant ad interitum ſempiternum.*Cognoui *enim quoniam faciet dominus iudicium inopum,eorum ſine dubio qui ſimpliciter incurrũt, qui inopia ſenſus fatigati uenenoſos cibos hæreſeos in eſca percipiunt.*Quid *ergo putamus,quod iudicium futurum iſtos ſolos percutiat,qui uenenoſas eſcas eſurientibus tradunt?* Ego *æſtimo quod ad illos magis attẽdat ſententia,qui eos cibo ſalubri non reficiunt.* Si *enim catholici doctores reficerent, hæretici ſubripere non ualerent.* Vnde *iſte ſermo cõminantis iudicium plus ad nos quam ad illos attendit.* Nos *enim,nos in quam, iſto cõminatio-* Audi Epiſcope.

nis ſtimulo excitamur, quo facturus legitur deus iudiciũ inopis, & uindictam pauperis. Siquidem ut propheta te ſtatur, dicturus eſt: Ecce lac comediſtis, & lanis cooperie bamini, & oues meæ à lupis inuaſæ ſunt, & dum nõ pro curaſtis paſcua ſalubria, ab inimicis meis eis ſunt herbæ morbidæ procuratæ. Caueant ergo omnes, qui poſſunt eſcas utiles eſurientibus dare. Caueant inquam, quia ſi ab ipſis uitales non acceperint cibos, ab hoſtibus mortales accipient, & iudicabimur in iudicio, quo erit iudicium inopum, & uindicta pauperum. Tunc ſine dubio, quando iuſti confitebuntur nomini ſancto, & habitabunt recti cum Chriſto, qui regnat cum patre & ſpiritu ſancto per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Pſalmus Dauid. CXL.

Domine clamaui ad te exaudi me, intende uoci meæ cum clamauero ad te. Dirigatur oratio *mea ſicut incenſum in conſpectu tuo, eleuatio manuum mearum ſacrificium ueſpertinum.* Pone domine cu*ſtodiam ori meo, & oſtiũ circunſtantiæ labijs meis.* Nõ *declines cor meum in uerba maliciæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis.* Cum hominibus operantibus *iniquitatem, & non cõmunicabo cum electis eorũ.* Cor *ripiet me iuſtus in miſericordia & increpabit me, oleũ autem peccatoris non impinguet caput meũ.* Quoni*am adhuc et oratio mea in beneplacitis eorum, abſorpti ſunt iuncti petræ iudices eorum.* Audient uerba mea *quoniam potuerunt, ſicut craßitudo terræ erupta eſt ſuper terram.* Diſsipata *ſunt oſſa noſtra ſecus infernũ, quia ad te domine oculi mei, in te ſperaui, nõ auferas ani*

mam

mam meam. Cuſtodi me à laqueo quem abſconderunt mihi, & à ſcan dalis operant ium iniquitatem. Cadent in retiaculo ei us peccatores, ſingulariter ſum ego donec tráſeá.

COMMENTARIVM.

ORdo pſalmi qui fidem accepit, in præſentis pſalmi extenditur textum. Ibi enim dixit: Eripe me domine ab homine malo, &c. Hic. Domine clamaui ad te, exaudi me. Et ut oſtenderet ſe de hæreticis dixiſſe, qui cogitant malitias in corde, Hic dicit: Non declines cor meũ in uerba malitiæ, ſed pone cuſtodiã ori meo, et oſtiũ circumſtantiæ labijs meis: ne forte dum ſtudio defendendæ ueritatis conor multos proferre ſermones, offendam, & habeam partem cum hominibus operantibus niquitatem. Sed quia hoc rogo, ut non cõmunicer cum electis eorum, Præſta mihi correptionẽ tuam, ut ſit iuſtus mihi imperans, cuius meus error corrigatur exẽplo. Incomparabile donũ dei eſt, quando nobis quicunq; ſuper faciem terræ, iuſtus oſtenditur. Habet deus diues in omnibus, habet inquã, habet ſeruos & benignos & iuſtos, ſed non ſumus digni noticiæ eorũ. Beatus cui conceditur dei famulũ noſſe, qui corripiat in miſericordia, & increpet in amore dei. Væ aũt mihi & meis ſimilibus, quia inuicẽ nobis oleo capita inpinguamus, & adulantes nobis inuicẽ in præſenti poſiti, ſanctos nos uocamus et nõnos. Abſentes uero nos ita mordemus, atq; percutimus, ut recte canibus cõparemur Horũ, inquit, oleũ, id eſt, horum adulatio non impinguet caput meũ. At magis oratio mea in beneplacitis eorũ, id eſt, oro ne placeãt mihi, quæ beneplacita ſunt eis, qui abſorpti ſunt iuncti petræ. Iudices eo-

rum, id eſt, oro ne placeant mihi, quæ beneplacita ſunt eis, qui abſorpti ſunt iuncti petræ. Iudices eorũ iuxta petram *ſunt hæretici, non ſuper petram.* Nam *ſi ſuper petram erant abſorberi non poterant.* Nunc aũt *fundamentũ petræ ſolidæ relinquentes, iuxta ipſam petrã fabricãt in arena, ubi nidos ſuos cõſtruentes cũ ſuis paruulis abſorbẽtur:* Non *ſe inquit excuſent ſermo propheticus, ſed audiant uerba mea, quoniã potuerũt, habent ſenſum, ingeniũ, intelligentiã.* Audiant *uerba mea, tollãt ſua uerba.* Audiãt, *aperiant auditũ ſuũ uerbis meis.* Sicut *craßitudo terræ eructuat ſuper terrã, ubicunq; macra terra eſt, & ſabolo, harenæq; permixta nõ excrepit.* Pinguis *aũt terra ita ſe aperit, ut quaſi os ſuũ cœlo apertum oſtẽdat, ut quicquid è cœlis fuerit miſſum, ſitienter excipiat: ita, inquit, iſti audiãt uerba mea, ſicut craßitudo terræ eructuat in fruge, frumẽti, uini & olei, & quã pinguis ſit infra ſe, ſuper ſe eructuat.* Dißipata *ſunt oſſa noſtra ſecus infernũ.* Græcus *dicit, oſſa eorũ. Siue ergo noſtra, ſiue eorum oſſa ſecus infernũ poſita dißipantur.* Sicut *cera ſecus focum poſita molleſcit, in foco aũt maſſa liqueſcit, & deperit: ita oſſa noſtra ſecus infernũ poſita molleſcũt, in inferno aũt maſſæ liqueſcũt.* Nam *iuxta infernũ ſunt, quando iuxta illos ſumus, qui nobis fomitẽ tribuunt delinquendi, ſiue quãdo illis cogitationibus nõ reſiſtimus quæ ſe ingerunt turpiter mẽti: ſiue quando ſocietatẽ noſtrã diuerſitas ſexus inquietat: ſiue quãdo talibus iungimur, quibus Chriſtianæ regulæ nõ placet curſus, ſiue quãdo iũgimur hæreticis, & quaſi ſub ſpecie amicitiæ, cum his uidemur inire conflictũ, & non aperta fronte, ut* Romani *contra* Barba-

Barbaros repugnamus. Ibi diſsipantur oſſa noſtra iuxta poſita, & ſecus ipſum infernum collocata. Si uero uni horum per ipſam uicinitatem fuerimus adiuncti, nō ſolum oſſa, ſed & ipſa anima diſsipatur. Dicamus ergo cū clamore: Ad te domine domine oculi mei, in te ſperaui, non auferas animā meā, nō eā auferas de libro uitæ, ubi ſunt catholici, & in libro mortis inſeras, ubi hæreticorū conuenticula condemnantur, ſed cuſtodi me à laqueo quē ſtatuerunt mihi, & ab ſcandalis operantiū iniquitatem. Ibi enim retiaculum tetenderūt, ut in uno de quib. ſupra diximus capiant ibi, ubi cadunt peccatores, à quibus his alienus effectus, ſingulariter uiuā donec exeam, ſiue tranſeam. Melius eſt enim mihi ſolitaria conuerſatio habens uitam, quam ut in multitudine conuerſatus, mortem incurram. Singulariter uiuēdum eſt, ubi ſocietas uitæ præſentis æternæ uitæ commodis aduerſatur, cuius retiaculo oremus inſtanter, ut dirigatur oratio noſtra in conſpectu dei, ſicut thymiamatis incenſum. Sic enim in Græco pſallitur: Dirigatur oratio noſtra in conſpectu dei ſicut thymiama, id eſt, ut in odorem ſuauitatis ſacrificium noſtræ orationis accipiat. Sacrificium noſtrum ueſpertinū ſit, id eſt, iuxta finem lucis huius, qua hora ab hac luce migramus. Tunc enim in ſacrificio ueſpertino ſumus, ibi eſt tota noſtræ cogitationis ponenda intentio, ut leuantes manus noſtras in ſigno crucis, dum ad dominum pergimus, gratulemur in Chriſto Ieſu Domino noſtro, qui in unitate deitatis uiuit & regnat cum patre & ſpiritu ſancto per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Intellectus David *cum eſſet in ſpelunca*
Oratio. CXLI.

VOce mea ad dominum clamaui, uoce mea ad dominum deprecatus ſum. Effundo in conſpectu eius orationem meam & tribulationem meam ante ipſum pronuntio. In deficiendo ex me ſpiritum meũ & tu cognouiſti ſemitas meas. In uia hac qua ambulabam, abſconderunt ſuperbi laqueũ mihi. Conſiderabam ad dexteram & uidebã, et non erat qui cognoſceret me. Perijt fuga à me, et nõ eſt qui requirat animã meam. Clamaui ad te domine, dixi tu es ſpes mea, portio mea in terra uiuentium. Intende ad deprecationem meam, quia humiliatus ſum nimis. Libera me à perſequentibus me quoniam confortati ſunt ſuper me. Educ de cuſtodia animam meam ad confitendum nomini tuo, me expectant iuſti donec retribuas mihi.

COMMENTARIVM.

CVm à facie Saulis lateret in ſpelunca David profugus, Iſtum pſalmum legitur ceciniſſe. Voce, inquit, mea ad dominum clamaui, & uoce mea dominum deprecatus ſum. Effundo in conſpectu eius orationem meam, & tribulationem meam ante ipſum pronuncio: In defectu.n. ait, ſpiritus mei, ibi cognouiſti ſemitas meas. Ibi clama ò Chriſtiane, ibi effunde in conſpectu dei orationẽ tuam, ibi tribulationẽ tuã pronũtia, nõ perditis rebus, nõ facultatibus, non agrorum finibus, uel his quæ nobis depoſito corpore neceſſaria penitus nõ ſunt, ſed in defectu ſpiritus tui, ibi eſto ſollicitus. Ibi.n. cognoſcũtur ſemitæ tuæ. Defectus ſpiritus noſtri eſt, quãdo nos carna-

carnalium rerum neceſsitates aut delectationes inuadũt. Ibi enim abſconditi ſunt laquei nobis à diabolo, & mini ſtris eius. Tunc conſideramus ad dexteram, id eſt, ad le-ctionem, ad orationem, ad pſalmum, & nõ delectamur, ſed ſic redimus mœſti, ut nec noſipſos agnoſcere ualea-mus. Extranei nobis fiunt ipſi apices ſancti, & quaſi in extero poſiti, noſmetipſos agnoſcere non ualemus. Tunc perijt fuga à nobis, & illud quod nobis clamat Apoſto-lus: Fugite fornicationem, nos ſurda aure tranſimus. In-tus eſt enim malum, intus eſt hoſtis. Tunc quando perit iſta fuga à nobis, & nõ eſt cogitatus, non compunctio ex affectu aliquo qui requirat animam, nec redit ad ſenſum meum, ut requiram animam meam, & dicam illi: Age a-ctus meos noli perdere quod tanto tempore laboraſti. Hæc nunc dico. Quare? Quia defecit in me ſpiritus me-us, tempore quando in uia qua ambulabam, abſconde-rũt laqueos mihi. Et quia perijt fuga à me, aliud quo poſ-ſim euadere penitus non habebo, niſi totis uiribus clamẽ ad te domine: Pereant omnia quæ in mundo ſunt, tu ſpes mea, tu portio mea in terra uiuentium. Intende in oratio nem meam, quoniam humiliatus ſum nimis. Tenent me peccata mea, & iugum ſuum poſuerũt ſuper me, per pec cata mea principes uitiorum et criminum. Tu libera me à perſequentibus me, quoniam confortati ſunt ſuper me, & educ de carcere animã meam. Tũc enim carcerem pa titur anima noſtra, dum hinc inde nobis clauſum ad le-ctionem, uel orationem, uel ad bonũ curſum, ſiue mundi ocupationes, ſiue corporeæ delectatiões efficiũt. Nec, ut quidam putant corpus humanũ carcerem audemus dice

 re, quod

re, quod templum dei Paulus Apoſtolus eſſe teſtatur: ſed carcerem patimur, quando orare non delectat, quando faſtidimur in ſpiritalibus cibis, & nunc neceßitatum ter renarum clauſtris, nunc delectationum oſtijs concluſi de ficimus. Verus carcer animæ in te eſt, pro quo totis ui ribus eſt clamandum ad Chriſtum, ut educat de carcere hoc animas noſtras ad confitendum nomini ſuo, ut inci piat eam delectatio confeßionis excolere, quæ deſerta fa cta eſt orationis & lectionis, & ſpiritalis exercitij cultu ra ceſſante. Cum ergo ex hoc carcere eduxeris animam meam, & cœpero recto tenore confiteri nomini tuo, tūc me expectant iuſti, donec retribuas mihi in Chriſto Ieſu domino noſtro, qui regnat cum patre & ſpiritu ſancto in ſecula ſeculorum Amen.

Pſalmus Dauid quando perſequebatur eum filius ſuus Abſalon. CXLII.

DOmine exaudi orationem meam, auribus perci pe obſecrationem meam in ueritate tua, exaudi me in tua iuſtitia. Et non intres in iudiciū cū ſer uo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis ui uens. Quia perſecutus eſt inimicus animam meam, hu miliauit in terra uitam meam. Collocauit me in obſcu ris ſicut mortuos ſeculi, & anxiatus eſt ſuper me ſpiritus meus, in me turbatū eſt cor meum. Memor fui dierum antiquorum, meditatus ſum in omnibus operibus tuis, in factis manuū tuarum meditabar. Expandi manus meas ad te, anima mea ſicut terra ſine aqua tibi. Velociter ex audi me domine, defecit ſpiritus meus. Non auertas fa ciem tuam à me, & ſimilis ero deſcendentibus in lacum.

Auditam

Auditã fac mihi mane miſericordiã tuam,quia in te ſpe rau. Notam fac mihi uiam in qua ambulem,quia ad te leuaui animam meam. Eripe me de inimicis meis domine,quia ad te confugi:doce me facere uoluntatem tuã, quia deus meus es tu. Spiritus tuus bonus deducet me in terrã rectam, propter nomen tuum domine uiuificabis me in æquitate tua. Educes de tribulatione animã meã, & in miſericordia tua diſperdes omnes inimicos meos.

Et perdes omnes qui tribulãt animam meam,quoniam ego ſeruus tuus ſum.

COMMENTARIVM.

SIc inchoauit pſalmiſta, ut in terrorem mitteret omne humanum genus.Quis enim audeat deo dicere, exaudi me in ueritate tua,& in tua iuſticia? Verum enim & iuſtum eſt,ut qui peccauerit puniatur acerrime. Cœpiſti propheta, principio tali aliquid iungendo ſubſequere, ut pſallentes reſpirare poßimus: Non intres, in*quit,in iudicio cum ſeruo tuo.*Hoc *ergo uoluiſti dicere iuſtitia tua eſt,ut dominus in iudicio intrare cũ ſeruo contemnas .Quis enim ad comparationem tuam iuſtificabitur homo,quemuis ſanctum electum,& mundum & laudabilem in conſpectu tuo,id eſt, ad comparationem tuã, ſiue diuina iudicia, ſiue humana probare non poſſunt. Omnis enim pulchritudo te præſente deformis eſt. Omnis fortitudo te præſente infirma.Omnes diuitiæ te præſente mendicitas.Omnis iuſtitia humana te præſente iniuſtitia. Et ut uicinam iuſtitiæ tuæ iuſtitiam humanam exquirere deſinas quæſo, quoniam perſecutus eſt inimicus animam meã, humiliauit in terra, id eſt, in corpore uitã*

meam,

meam, collocauit me in obſcuro ſicut mortuũ ſeculi. Tan*ta me obſcuritatte ſuæ circumdedit fraudis, ut mortuum me apud deum credens, putarem me nullum recuperatiõnis apud iuſtitiam tuam auditum inuenire: ideo anxiatus eſt in me ſpiritus meus, & in me turbatum eſt cor meum,* Cœpi recordari dierum antiquorum, *quantis pro miſericordia ſubuenire dignatus es.* Et meditatus ſum in omnibus operibus, *quibus didici omnibus te deprecantib. ſubuenire.* Et ideo ego expãdi manus meas ad te, *quia anima mea ſicut terra ſine aqua, ſic in peccatis ſicca facta eſt, quaſi quæ non habeat aquã baptiſmatis.* Velociter exaudi me domine, deficit ſpiritus meus, *id eſt ſpiritalis, in me uita deficit.* Non auertas faciem tuam à me, & ero ſimilis deſcendentibus in lacum, *id eſt, ſimilis ero in morte damnatis.* Non tamẽ particeps, *ſed ſimilis: ſimilis, quia peccaui: & non particeps, quia ad tuam miſericordiam conuolaui,* Fac ergo auditam mihi mane miſericordiam tuam, quoniam in te ſperaui domine, *Ideo mane poſuit, quia tamdiu noctẽ & tenebras patimur, quamdiu pietas diuina cõpungat, clemẽtia pietatis indulgeat.* At ubi uox cœperit pœnitentis audiri, & lux indulgentis oſtendi, *nox omnis abſcedit, et initiũ lucis accedit, in qua luce nõ eramus, ſed quaſi in die poſiti, honeſti ambulamus.* Notã *enim faciet nobis uiam quam ambulemus in lucem, ſi ad ipſum leuauerimus animas noſtras.* Sicut enim in tenebris *poſiti, lucem indigent, ita in luce poſiti, ducem qui liberet ab errore.* Et ideo dicendum eſt ab his, *qui in luce ſunt,* Notam fac mihi uiam in qua ambulem, quoniam ad te leuaui animam meam. Eripe me de inimicis meis quo-

niam

niam ad te confugi. Qui *ad patronum uadet:ſic ſe ab eo, liberari poſtulat, ſi ut eius agnoſcat uoluntatem exorat.* Dubius *eſt enim de patrono ſuſceptus, ſi non et ſuam indicauerit uoluntatem*. Et *ideo poſtea quam dixit deo:* Ad *te confugi.* Adiecit:Doce *me facere uolũtatem tuam.* Vis *ergo ô homo, habere patronũ dominũ, diſce uoluntatẽ eius.* Fac *quod uult, & faciet quod uis.* Diximus *ergo patrono:* Eripe *me de inimicis meis:*Inimici *nobis ſunt ſpiritus immundi.* Qui *tunc à nobis fugiunt, quando in nobis ſentiunt ſpiritum ſanctum.* Et *ideo rogandus eſt ſpiritus ſanctus, ut ipſe deducat nos in terrã.* Terra *enim corporis noſtri tunc recta eſt, cum in ea eſt ſpiritus ſanctus.* Et *quotienſcunque ſuam uiam nobis ſpiritus nequam ad ambulandum ingeſſerit, totiens ſpiritus ſanctus deducet nos in terram rectã. & ſi noſtra merita deſunt, imò quia deſunt,* Ipſe *tamen propter nomen ſuum uiuificat nos in æquitate ſua* Hoc *æquitatis ſuæ iudicio ſtatuẽs, ut perdat omnes inimicos noſtros, qui ideo nobis inimici ſunt, quia nos ſerui eſſe domini ſtudemus:* Hanc, *inquit, ob cauſam perdes omnes inimicos meos.* Quoniã *ſeruus tuus ſum.* Non *ergo aliunde inimicos habentes, nec pro quibuſcunque terrenis actibus aduerſarios, ſed ideo inimicitijs dæmonum aut hominum laboramus, quoniam ſerui eſſe domini ſtudemus.* Non *timeamus inimicitias eorum, quia illis pereuntibus nos liberabimur à Chriſto domino noſtro, qui regnat cum patre & ſpiritu ſancto nunc & ſemper, & in omnia ſecula ſeculorum Amen.*

Pſalmus

Pſalmus Dauid *aduerſus* Goliad. CXLIIII.

B*Enedictus dominus deus meus qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum. Miſericordia mea & refugium meum, ſuſceptor meus & liberator meus. Protector meus & in ipſo ſperaui, qui ſubdit populum meum ſub me. Domine quid eſt homo, quia innotuiſti ei, aut filius hominis quia reputas eum? Homo uanitati ſimilis factus eſt, dies eius ſicut umbra prætereunt. Domine inclina cœlos tuos & deſcende, tange montes & fumigabunt. Fulgura choruſcationem & diſsipabis eos, emitte ſagittas tuas & conturbabis eos: Emitte manum tuam de alto eripe me et libera me de aquis multis, et de manu filiorũ alienorum. Quorum os locutum eſt uanitatem, & dextera eorum dextera iniquitatis. Deus canticũ nouũ cantabo tibi, in pſalterio decachordo pſallam tibi. Qui das ſalutem regibus, qui redemiſti Dauid ſeruũ tuum, de gladio maligno eripe me, & eruet me de manu filiorum alienorum quorũ os locutum eſt uanitatẽ, & dextera eorum dextera iniquitatis. Quorum filij ſicut nouellæ plantationes in iuuentute ſua. Filiæ eorum compoſitæ, circumornatæ ut ſimilitudo templi. Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud. Oues eorum fœtoſæ abundantes in egreſsibus ſuis, boues eorum craſſæ. Non eſt ruina maceriæ, neq; tranſitus, neq; clamor in plateis eorum. Beatum dixerunt populum cui hæc ſunt, beatus populus cuius dominus deus eius.*

COMMENTARIVM.

Benedictus dominus deus meus qui docuit manus meas in prælio. Tempore quo Moyſes leuabat manus ad deum, & uincebatur Allophylorũ turba pugnantium, cunq; eas depoſuiſſet, uicti uincebant. Docuit ergo manus noſtras in prælio, nõ armis ſed precibus pugnaturas. Docuit etiam digitos noſtros ad bellũ, ut dũ bellum ſiue uiſibiliũ, ſiue inuiſibilium ſenſerimus hoſtiũ, nos digitis armemus frontem triumpho crucis, & ſecuri animo dimicemus, dicẽtes domino: Tu miſericordia mea tu refugiũ meum, tu ſuſceptor meus, tu liberator meus, tu enim ſubdes populos ſubtus me. Infeſtũ populum cogitationum malarum inſurgentẽ ſuper me, ſubdes ſubtus me. Vt quid aũt memoratur pugnã? quid prælium? quid bellum? quid aũt deus æternus innoteſcere uoluerit homini, ſi homo uanitati ſimilis factus eſt? Moritur enim, & dies eius ſicut umbra prætereunt. Quid ergo lex? quid comminatio peccatoribus? quid terror incredulis? ſi paucorum dierum uita finem accipiens, effectum ſui ulterius non habebit? Hæc audiens Apoſtolus Paulus increpat dicens: Si in hac uita tantũ ſperantes ſumus, miſeratiores ſumus omnibus hominibus. Et ideo pſalmus præſens audi quid ſentiat. Quaſi qui dicat: Quoniam uitam æternam eſſe homines prophetis tuis prædicatoribusq; non credunt, tu ipſe per te inclina cœlos tuos, & deſcende. Inclinauit enim cœlos, quando? cum in forma dei eſſet, eſſetq; æqualis deo patri, exinaniuit ſeipſum, formam ſerui ſuſcipiens: inclinauit cœlos, ut ſi dicas, uerbi cauſa, Imperatori, dum te tu humilias inclinãs omne palatium. Inclinauit

ergo

ergo cœlos, & deſcendit ut tangeret montes, ut fumigarent. Montium fumus nubes creat, quas producens deus de theſauris ſuis fundit in terram, ut terra proferat omne fructuum genus, quo eſurientium corpora nutriãtur. Cum deſcenderet deus in Chriſto, ut mundum conciliaret ſibi, tetigit montes & fumigati ſunt, id eſt, tetigit Apoſtolos ſuos, & fumum nubium reddiderunt, quorum tanta fuit imbrium pluuia, ut in toto orbe terrarum uenæ fontium replerentur, quibus omne ablueretur facinus, & lauaretur omne peccatum. Verum quia ad eum peruenire nos prohibet princeps huius mundi, cum ſpiritib. ſuis & hominibus qui colunt eum, tu mitte ſagittas tuas contra eum, & libera me de aquis multis, ut uno fonte tui baptiſmatis fruar. Libera me de manu Allophylorum, quorum os loquitur uanitatem, & dextera eorum non eſt dextera pietatis, quæ ueſtitũ expoliat, & ſiue temporalibus, ſiue, quod eſt acerbius, æternis opibus nudant: Quibus dñi me liberaueris, inquit, domine, in cantico nouo cantabo tibi, id eſt, in nouitate uitæ ambulans. In pſalterio decem chordarũ pſallã tibi, decẽ præcepta legis ſuſcipiẽs, & decem plagis Aegyptum percuſſam fugiens, pſallam tibi, tibi pſallam, qui das ſalutem regibus, id eſt, qui das æternã uitam uictoribus uiciorum. Quia hij uere reges ſunt, qui participes regni dei eſſe credũtur. Quis autem eos alius liberat, niſi idem deus, qui liberauit Dauid ſeruum ſuũ. Hunc enim eundemq; deum Marcion negat, ſimiliter Apelles & Valentinus & Manichæus, Infideles & miſeri, dum nolunt ab ipſo domino liberari, in æternum damnari non metuũt, à quibus nos ipſe qui liberauit Dauid ipſe liberet.

*liberet.Quia os eorũ loquitur uanitatẽ,& ,ut ſupra dixi mus,dextera eorũ dextera iniquitatis.*Hos ſanè aſſerit lo *qui uanitatẽ in hoc loco,qui ſeruientiũ deo paupertatem ridicule abutũtur,dicentes.*Vt *quid inedia laborãt colen tes dominũ?* Et *quid opibus affluunt contemnentes?* Ig*norant medicum his parſimoniam imperare,& continẽ tiam præcipere, in quibus ſalutem uenarum motibus de prehendunt. Quos uero morituros agnoſcant,ſinũt ſuis omnibus delectationibus conſentire. Quale eſt,ut de hijs dicas, quia læti ſunt in filijs fortibus, & filiabus ornatis, ac de prõptuarijs plenis,de fœtoſis ouibus,de bubus craſ ſis. Qui cum omnia temporalia habeant, dominũ tamen qui eſt æternus nõ mereantur habere propicium. Quiq; cum acceperint finẽ temporalis læticiæ, æternæ triſtitiæ pœnas aſſumũtur.*Econtra *hij quos uides lugẽtes & flen tes,et in dei timore conſtitutos egentes, cũ finem fecerint flendi,æterni eos gaudij ſuſcipit fructus.*Dicant ergo *in credulí beatum populum habentem copioſe quæ mundi ſunt,nos autem hũc ſolum populum beatum dicamus,cu ius eſt dominus deus eius in ſecula ſeculorum* Amen.

Laudatio ipſi Dauid. CXLIIII.

EXaltabo te deus meus rex, & benedicam nomini tuo in ſeculum,& in ſeculum ſeculi. Per ſingu los dies benedicam tibi, & laudabo nomen tuum in ſeculum & in ſeculum ſeculi. Magnus dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non eſt finis.

Generatio & generatio laudabit opera tua, & po tentiam tuã pronunciabunt. Magnificentiã gloriæ ſan ctitatis tuæ loquentur, & mirabilia tua narrabunt.

Et uirtutem terribilium tuorum dicent. & magnitudinem tuam narrabunt. Memoriam abundantiæ ſuauitatis tuæ eructabũt, & iudicia tua exultabunt. Miſerator & miſericors dominns, patiẽs & multũ miſericors.

Suauis dominus uniuerſis, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius. Confiteantur tibi domine omnia opera tua, & ſancti tui benedicant tibi. Gloriam regni tui dicent, & potentiã tuam loquentur. Vt notam faciant filijs hominum potentiam tuam, & gloriam magnificentiæ regni tui. Regnum tuum regnum omnium ſeculorum, & dominatio tua in omni generatione & generatione. Fidelis dominus in omnibus uerbis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis. Alleuat dominus omnes qui corruunt, & erigit omnes eliſos. Oculi omnium in te ſperãt domine, & tu das eſcam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. Iuſtus dominus in omnibus uijs ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis.

Propè eſt dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in ueritate. Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet & ſaluos faciet eos. Cuſtodit dominus omnes diligentes ſe, et omnes peccatores diſperdet. Laudationem domini loquetur os meum, et benedicat omnis caro nomini ſancto eius in ſeculum & in ſeculum ſeculi.

COMMENTARIVM.

EXaltatur deus ab homine, quando ſpiritum ſanctum, quẽ in ſe per conſecrationẽ baptiſmatis ſacri ſuſcepit, nõ terrenis & humillimis cogitationibus

hibus humiliat. Sed eum cœleſtibus deſiderijs & excelſis exaltat, ita ut per ſingulos dies benedicat dominũ, et quaſi qui nuper inchoauerit, ſine faſtidio ſeruiat illi, cui generatio & generatio confitetur, generatio Iudæorũ & generatio gentiũ. In lege Moyſi et prophetarum illa, iſta in euangeliorũ & Apoſtolorũ doctrina uirtutem terribiliũ tuorũ dicẽt: ut notã faciant filijs hominũ potentiam tuã. Oſtendentes quia regnũ tuum domine regnũ ſit omnium ſeculorum. Et ita ſit dominatio in omni generatione & progenie, ut non ſit gens neq; regnum, in quo non tuus filius prædicetur. Fidelis es enim domine in uerbis tuis quibus promiſiſti daturum te nobis, qui alleuaret omnes qui ruũt in hoc mũdo, et qui erigeret omnes quos alliſerat inimicus. Oculi enim omniũ credentiũ ſperãt in te domine. Spe enim ſalui facti ſunt, quibus dediſti eſcam in tempore oportuno, quãdo aperuiſti manus tuas in cruce. Tu ſuſcepiſti maledictiones noſtras, & nobis dediſti benedictiones tuas, proximus es enim omnibus. Omnibus, inquam, te inuocantibus in ueritate, id eſt, qui te in domino noſtro Ieſu Chriſto inuocant. Ipſe eſt enim ueritas, & uoluntatem nõ contemnentium te facies, & orationem eorum exaudies, in quibus te pro rebus æternis exorant: Cuſtodit dominus, inquit, omnes qui diligunt eum. Videamus qui ſunt qui diligũt eum, ipſum interrogemus, ipſe dicat qui ſint diligentes eũ. Audiamus eum dicentem: Qui audit uerba mea, et facit ea, hic eſt qui diligit me: qui aũt nõ faciunt ea, oẽs peccatores hos à ſe reijciet atq; diſperdet: Laudẽ ergo domini loquatur os noſtrũ, diſcedãt ab eo uniuerſæ detractiões. Ea quæ nouimus in fratrib. laudãdã

 memoremus:

memoremus. Alios ſibi teſtes inueniant aliena peccata, nos noſtri accuſatores, noſtriq; tantũ uituperatores effe cti, ſemper in dei laudibus atq; in dei benedictionibus occupemur, agentes ei gratias in ſecula ſeculorum Amen.

Alleluia. CXLV.

L*Auda anima mea dominum, laudabo dominum in uita mea, pſallam deo meo quam diu fuero. Nolite confidere in principibus, neque in filijs hominum in quibus non eſt ſalus. Exibit ſpiritus eius & reuertetur in terram ſuam, in illa die peribunt omnes cogitationes eorum. Beatus cuius deus Iacob adiutor eius, ſpes eius in domino deo ipſius, qui fecit cœlum & terrã, mare & omnia quæ in eis ſunt. Qui cuſtodit ueritatem in ſeculum, facit iudicium iniuriam patientibus, dat eſcam eſurientibus. Dominus ſoluit compeditos, dominus illuminat cæcos. Dominus erigit eliſos, dominus diligit iuſtos. Dominus cuſtodit aduenas, pupillũ & uiduã ſuſcipiet, et uias peccatorũ diſperdet. Regnabit dominus in ſecula, deus tuus Syon in generatione et generationẽ.*

COMMENTARIVM.

L*Audat anima noſtra dominum, quando opera noſtra in dei laudibus exercẽtur. Et laudamus dominum in uita noſtra, id eſt, in moribus noſtris. Pſallamus ergo deo noſtro quãdiu in iſto corpore ſumus non cõfidentes in hominibus qui hodie dominantur, & cras ſepeliuntur, quia exiet ab eis ſpiritus, & hij reuertentur in terrã de qua aſſumpti ſunt, ex ipſa die pereunt cogitationes eorũ. Illæ uiq;, quæ eos non ſinebãt quieſcere, emamus, uendamus, fabricemus, pugnemus. Hæc & his ſimi*

lia

lia cogitationū genera, ſubito momēto uno pereunt. Bea*tus ergo eſt, qui ſibi ſpem ponit in domino deo qui fecit cœlū & terrā, mare & omnia quæ in eis ſunt. Cuſtodit enim ueritatē in ſecula, tēpore quo ſe putāt fallaces uincere per mendaciū, ille ueritatē cuſtodit, ut faciat iudicium quibus nō in iſto ſeculo nec in futuro perit ueritas à deo.* Ideo *enim & iudicē eū credimus eſſe uenturū, quia cuſtodit ueritatē, ut faciat tūc iudiciū iniuriā patientibus.* Qui *nūc dat eſcā eſurientibus, ipſe erigit per ſe eliſos per* Adā, *& per eundē cōpeditos exoluit.* Ipſe *cæcos illuminat, ipſe dirigit iuſtos, ipſe cuſtodit aduenas.* Hos *utiq;, qui ſe peregrinos in hoc exhibent mundo, & propter quā ſunt renati patriā concupiſcunt.* Orphanum *enim cuſtodiet, qui pro nomine dei parētes ſuæ deſerit carnis.* Et *ipſum diabolū qui eſt uia peccatorū, exterminabit ipſe qui eſt deus tuus Syō.* Deus *utiq; eccleſiæ catholicæ, unus in trinitate, trinus in unitate qui regnat in ſecula ſeculorum.* Amen.

Alleluia. CXLVI.

L*Audate dominum quoniā bonus eſt pſalmus, deo noſtro ſit iocunda decoraq; laudatio. Aedificās Hieruſalem dominus, diſperſiones Iſrael cōgregabit. Qui ſanat contritos corde, & alligat contritiones eorū. Qui numerat multitudinē ſtellarū, & omnib. eis nomina uocās. Magnus dominus noſter, & magna uirtus eius, & ſapientiæ eius non eſt numerus. Suſcipiēs manſuetos dominus, humilians autem peccatores uſque ad terrā. Præcinite domino in confeſſione, pſallite deo noſtro in cithara. Qui operit cœlum nubibus & parat terræ pluuiam. Qui producit in montibus fœnum, et*

herbam ſeruituti hominum. Qui dat iumentis eſcã ipſorum & pullis coruorum inuocantibus eum. Non in fortitudine equi uoluntatẽ habebit, neq; in tibijs uiri beneplacitum erit ei. Beneplacitum eſt domino ſuper timentes eum, & in eis qui ſperant ſuper miſericodia eius.

COMMENTARIVM.

Laudemus dominum quoniam bonus eſt pſalmus. Pſalmus bonus eſt in quo deo noſtro ſit iocundatio. Aedificat enim Hieruſalẽ dominus, & diſperſiones Iſrael congregat. Cottidie eam ædificat dominus, cottidie eccleſiam ſuam per credẽtes ædificat: & eos qui ab ea diſperſi ſunt, ad eam reuocãs, iterũ congregationi aſſociat. Sanat pœnitentes contritos corde et alligat contritiones eorũ, qui numerat multitudinẽ ſtellarũ & omniũ earum nomina uocat. Licet poteſtas uirtutis eius his uirtutibus ſit parata, & hoc eum poſſe facere non ambigat, niſi qui omnipotentẽ eſſe nõ credit: tamen numerare multitudinẽ ſtellarũ eum credamus in ſanctis, his qui in tenebris mundi poſiti, per cœlũ ſuos dirigũt curſus, dantes ſolatium luminoſi aſpectus ſui, his qui cœlũ aſpiciũt: quæ ſtellæ pro merito actuum ſuorũ amplius minusúe reſplendent, in quibus magnus dominus noſter, & magna eius oſtenditur uirtus. Per hominẽ enim magnificatur ab hominibus, per hominẽ ab hominibus blaſphematur. Et ſicut his uæ per quos nomẽ domini blaſphematur: ita hij benedicti ſunt, per quos magna eius uirtus oſtenditur, & innumerabilis eius ſapiẽtia declaratur, per quã ſuperbos proijcit, & mãſuetos ſuſcipit, & humiliat peccatores ad terrã, ut à terra eos exaltet ad cœlos. Omnis enim qui ſe

humiliat

humiliat exaltabitur, id eſt, qui agẽs pœnitentiã, ſua pec cata domino cõfitetur. Incipe ergo in confeßionib. domi no, et pſallite ei in cithara. cithara habet lignũ crucis, ha bet chordas ex interioribus ouiũ, habet ex euãgelijs ple ctrũ, ſonet iſta cithara & imbrẽ de cœlo uenientẽ annun ciet. Operuit enim cœlos nubib. id eſt, Apoſtolis ſuis tra didit faciẽ cœlorũ ſuorum, & præcepit eis, ut dent terræ pluuiã, & omnes gẽtes terrenas, in nomine patris & fi lij et ſpiritus ſancti, cœleſti nimbo perfundãt. Hæc pluuia producit in montib. fœnũ quo alãtur ſimpliciores quiq;, ex quibus pars maxima in dei populo cõprobatur. Non enim poſſunt ſpiritualiũ cibo refici hij, qui terrenis acti bus occupati, membra tamen uidentur eccleſiæ. Hij mon tes, id eſt, Apoſtoli, non ut ipſi uerticibus mentiũ ſuarum altitudines rerum cœleſtium in cibo offerunt. Perfectorũ enim eſt ſolidus cibus. Quis enim cum eis diſputet de ie iuniorum perſeuerantia, de diurna & nocturna occupa tione, eruditione diuinæ coniuncta? Quis de minutis ſug geſtionũ? Quis de contemptu omniũ rerum labentium? Quis de contemptu omniũ uiciorum? Quis cum eis agat de inuiſibilibus profectibus, ut ſit quis epiſcopus deo, ſit quis pontifex Chriſto, per inuiſibiles conatus, & gradus quos in corde ſuo diſpoſuit, ut quãdiu de iſto corpore ex eat aſcendat & nunquã deſcendat, offerens corpus ſuum deo hoſtiã uiuã. Cottidie ſeipſum ita corpori Chriſti aſſo cians, ut corpus eius corpori Chriſti admixtũ, unum cor pus ſecundum Apoſtolum fiat. Hæc & his ſimilia dantur in cibo, qui cũ Paulo poſſunt dicere: Mihi mundus cruci fixus eſt & ego mũdo. Sicut ergo oſtendimus ſpiritualiũ

cibum ſolidum uirorum perfectorum, oſtendamus nunc iumentorum fœnum, quod producunt hij, quos ſupra diximus montes: Omne, *inquit, quod in macello uenundatur emite, nihil interrogantes.* Item Tu *quis es, qui cõtriſtas fratrẽ tuum in manducando? Item.* Qui *ſe non continet, nubat. Item.* Qui *dat nuptũ filiam, benefacit. Itẽ.* Volo *adoleſcentulas uiduas nubere.* Hoc *fœnum montes uicini cœlis, qui in terra poſiti dicũt, noſtra aũt conuerſatio in cœlis eſt: iumentis producũt, quibus conſuetudo carnalis imperat ſola, et ipſi conſuetudini carnali lex ponitur: quã ſequens coniunx coniugi placeat, ſeruus domino, filij carnales parẽtibus carnalibus, parẽtes carnales, filijs carnalibus.* Hijs *herba ſeruitute offertur, datur ut iumentis eſca, & ut pullis coruorũ inuocantibus eum.* Corui *enim fuerũt patres noſtri, qui in nigredine idolatriæ permanẽtes, ad arcã nunquã reuerſi ſunt.* Nos *uero pulli eorũ ſumus, qui inuocamus dominũ.* Qui *nõ in uirib. equi uoluntatẽ habebit.* Nõ *enim uirtute terrena uinci poteſt, qui cõtra nos terrena uirtute non pugnat.* Vires *ergo equi, terrenæ uires ſunt. quas deus non in ſua uoluit extollẽtia gloriari, ſed de ſua pietate ſperare permiſit:* Nec *in uiribus, inquit, equi, nec in tabernaculis uiri beneplacitum eſt ei, id eſt, in confidentia habitationis ſuæ.* Vnde & Græcus *nõ dicit in tabernaculis, ſed in tibijs.* Siue *ergo, inquit, in curſu equi cõfidentẽ, ſiue in ſuis tibijs præſumẽtẽ contẽnet dominus.* Quod *nos latius dicimus, q cõfidit in libertate arbitrij ſui, quod p hãc fugiat, perſequentem incurrit.* Qui *cõfidit in uirtute curſus ſui ſpiritalis, quod poßit in tibijs ſuis ſtãs immobilis pmanere, non pmanet.*

Nec

Nec iſta dicens excludo,ne coneris ſtare, ſed moneo ne te putes per liberum ſolum arbitriũ fugere. Currat equus tuus, ſit paratus ad bellum Sic enim ſcriptum eſt: Equus *paratur ad diem belli,dominus autẽ ſalutem tribuit.*Ta*men dum curris dicito:deus uirtutum tribuit equo meo, ut curreret.*Deus *dedit tibijs meis perſeuerantiam, ut ſtarem .* Non *ergo putes quod te libertas arbitrij tui ita habeat,quaſi nauem per quam uis euadere* Barbaros *de littore,per quam uis euadere fluctibus pelagi, per quã uis ad patriam,quam deſideras peruenire:ſed ſi dominus imperauerit uentis proſperis, & aduerſis flatibus ſilentiumdederit, ſi latentes uadus demonſtrauerit, & ſomnum tulerit gubernantibus nautis, & abſque læſione portum ingredi fecerit,* Ages *poſt hæc gratias* Deo, *non naui, gratias* Deo, *non nautis .* Nec *iſta dicentes excludimus nauem & nautas, ſed magis & nauem ornamus & nautas, quibus* Deum *præſulem confitemur.* Si *enim nauis non fuiſſet, utique quod dominus gubernaret non eſſet,* Si *nautæ non eſſent, quos* Dominus *excitaret non eſſent.*Si *uela non eſſent,non eſſent quibus daret proſpera flabra uentorum.* Ita *ergo dicamus, ſi arbitrium in te non fuerit bonæ uoluntatis,non erit tecum pax dei.*In *terra enim pax dei cum hominibus bonæ uoluntatis.*Obijci*tur huic loco .* Nos *hoc ita dicere, ut uideamur hominis uoluntatem oſtendere,quod dei gratiam antecedat.* Vigi*lanter age & non calumnioſe,& uides gratiam dei generalem ſuper omne hominum effuſam genus.*Omnes *ante cedit gratia multiplici largitate diffuſa.*Deſcendit *de cœlo deus,homine non uolente,*Docuit *exemplo & uerbo,*

homine non rogante, Signa multa & uirtutes ad ſe manifeſtandum exercuit, homine etiam prohibente, Mortalitatem noſtram ſuſcepit, homine ignorante, irriſus, crucifixus, inter homicidas mortuus, ſepultus, reſurrexit, & in cœlos aſcendit. Hæc omnia ad hominis ſalutem, ad hominis liberationem, ad hominis redemptionem, ad hominis coronam ad hominis gloriam exercuit Chriſtus. Nota tibi calumnioſe, quod dico ad hominis ſalutem, non uolentis neque currentis. Quid eſt ergo quod legimus? Oſtendimus tibi antecedentem gratiam Dei generalem omnium hominum bonam uoluntatem. Nota tibi prædeſtinate quod loquor, omnium generaliter bonam uoluntatem Chriſti gratia hoc ordine quo diximus antecedit, ſi tamen pro omnibus natus, ſi tamen pro omnibus paſſus. Si non negas pro omnibus mortuum, ſi cum Apoſtolo aſſeris, quod omnes homines uult ſaluos fieri: age nūc tolle te à generali gratia, ad ſpecialem accede, & ſimiliter cum Apoſtolo clama: Nō omnis generaliter homo ſaluus erit, ſed omnis homo, quicunque inuocauerit nomen Domini, hic ſaluus erit. Vade ergo ad officinam medici, qui ultro uenit ad ciuitatem noſtram. Non utiq; nobis rogantibus, omnibus nobis medicus ſuperuenit, officinam aperuit & uocem emiſit, qua ac ſi præco exclamans dixit: Venite ad me omnes. Iam modo poſt hanc uocem antecedit uoluntas gratiam. Si enim uolueritis, inquit, & audieritis me, quæ bona ſunt terræ edetis. Si autem nolueritis, gladius uos comedet. Sicut ergo anteceſſit gratia uoluntatem hominis, in oſtenſione ſui, & in adapertione ueritatis, ita antecedit uoluntas hominis gratiam dei,

dei. Non enim prius baptizaris, & ſic uelle incipis cre=dere: ſed prius uoluntatem tuam perfectam exhibes ſa=cerdoti, & confeßionem tuam tuis labijs pandis, & ita demum ad Dei *gratiam ut conſequaris, attinges. Quam conſequutus confiteberis, quia omnia* Dei *dona cre=dendo, & deſiderando conſecutus es.* Et *ita demum ulti=mum huius pſalmi cantabis: Quia beneplacitum eſt do=mino ſuper timentes eum, & in eos, qui ſperant in miſe=ricordia eius. excludere uolens extollentiam humanita=tis, uoluntatem diuinitatis expreßit. Scit enim deus, ho=ſtem noſtrum tunc nobis poſſe ſubrepere, cum nos ſine ti more diuino reppererit.* Et *ideo ad remedium noſtrum pronunciauit hoc dictum, quaſi qui diceret:* Beneplaci=*tum eſt* Deo *ſuper eos, qui à diabolo liberantur.* Non *e=nim* Deus *affectu ducitur, ut ab hominibus timeatur, ſed miſericordia totus miſereri dum ſtudet homini, uult ex imperio timoris fieri, quod profuturum ipſi homini pro certo cognoſcit. Sicut qui literas docent, timorem diſcen tibus & terrorem inducunt, non utiq; neceſſarium ma=giſtris, ſed ualde diſcipulis profuturum.* Et *ſicut illos ex=horrent qui ſine timore & ſine ſpe ſunt: ſciunt enim eos ad eruditionem peruenire non poſſe: ita in eos dilectio=nem ſe habere cõmemorant, qui timent eos, & in eos qui ſperant in eruditione eorum,* Et *hoc de hominibus tantũ longe eſt à comparatione dei, quantum longe eſt à diuini tate humanitas. Humana enim natura imbecilla cum ſit minime ſanè abſq; diuini nutus ſubſidio præſtare quic=quã boni poteſt. Sed comparatio ad apertionem rei di=ctæ, ad ſpẽ nos & miſericordiã diuinã impellat, ut eorũ*

participes.

participes faciat, ſuper quos eſt beneplacitum Domino, *qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.*

Alleluia Aggæi & Zachariæ. CXLVII.

L*Auda Hieruſalem dominum, lauda deum tuum Sion.* Q*uoniam confortauit ſeras portarum tuarum, benedixit filijs tuis in te.* Q*ui poſuit fines tuos pacem, & adipe frumenti ſatiat te.* Q*ui emittit eloquium ſuum terræ, uelociter currit ſermo eius.*

Q*ui dat niuem ſicut lanam, nebulam ſicut cinerem ſpargit.* M*itit cryſtallum ſuum ſicut buccellas, ante faciem frigoris eius quis ſuſtinebit.* E*mittet uerbum ſuum & liquefaciet ea, flauit ſpiritus eius & fluent aquæ.*

Q*ui annunciat uerbum ſuum Iacob, iuſticias & iudicia ſua Iſrael.* N*on fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis.*

COMMENTARIVM.

L*Auda* Hieruſalem Dominum. Non *pro una re laudatur à ciuitate ſancta dominus. Cauſas ergo laudis eius, ac ſi interrogaret ipſa ciuitas eum qui eã hortaretur ad laudes, audit ſibi ab exhortante expoſitas.* Inquit, *eum lauda, quia confortabit ſeras portarum tuarum.* Vides *ergo, quia ut ſupra diximus, noſtrum eſt ſerare portas, hoſtibus impetum facientibus, ſed* Domini *eſt confortare ſeras portarum* Hieruſalem. *ergo eſt* Ciuitas Hieruſalem *in qua prophetæ habitant in qua Chriſtus prædicat & uirtutes diuerſas exercet, in qua patitur crucem, in qua omnium ſunt genera peracta uirtutum.* Q*ui ergo hæc omnia intus in anima ſua die noctuq; meditatur, habens intra ſe prophetas, Chriſtum & apo-*

ſtolos,

ſtolos, Ciuitas Hieruſalem factus, claudit portas inimico & angelis eius, & neceſſe eſt ut ſeras fidei clauſis ingreſſibus mittat. Nam fides, ſpes charitas tres ſeræ ſunt miſſæ contra diabolum, ſed & fides deficit, & ſpes molleſcit, & charitas refrigeſcit, niſi dono fuerint ſancti ſpiritus confortatæ. Cum ergo confortatæ fuerint ſeræ portarum tuarum, benedicentur filij tui in te. Filij tui ſunt, qui tuo informantur exemplo, ſiue in bono ſiue in malo: Hij ergo, inquit, in te benedicentur, ſi ſeræ portarum tuarum in te fuerint confortatæ: ponitur finis tuus in pace dum dies aduenerit ut exeas de mundo, & actibus tuis omnibus finem imponas. Pax erit cum Deo finis tuus, in quo cum exire cœperis, adipe frumenti ſatiat te. Ipſe hoc facit qui emittit eloquium ſuum terræ, id eſt, qui uerbum ſuum miſit in Mariam. Et tam uelociter currit ſermo eius, ut cum per tot milia annorũ in ſola Iudæa notus fuerit Deus, nunc intra paucos annos, nec ipſos Indos lateat à parte orientis, nec ipſos Brittones à parte occidentis, ubique cucurrit uelociter ſermo eius, qui dat niuem ſicut lanam. Lanam uoluit pro tegmine memorare. Si fuerint, inquit, peccata ueſtra ſicut coccinum, uelut lanam efficiam. Docens ergo eos qui adipe frumenti ſatiantur, quod candidi una die in albis ueſtibus per totum orbem procedant: his Dominus, nebulam ſicut cinerem ſpargit. Nebula quæ ſicut cinis ſpargitur, pruina quæ fruges uniuerſas intra terræ uiſcera, clauſas, impinguat, quæ quanto plus incubuerit ſatis, tanto uberius proficit in æriſtis. Pruinam ergo nos in iſtis quos adipe frumenti ſatiat dominus, ponimus tentationum afflictiones, quibus

eo

eo amplius proficiunt in futuro, quanto plus fuerint in preſenti perpeßi. De hinc mittitur cryſtallum tanquam fruſta panis. Cryſtallum hoc grandinis memorat dei lapidationem, quam panibus fractis & buccellis aßimulat. Cæduntur enim credentes ut metalli cuiuſcunq; materia, non ut moriantur, ſed ut ad ſtatum à quo ceciderãt reuocentur. Additur quod ante faciem frigoris eius nullus ſubſiſtat. Verum quia fidelis eſt, & non patietur eos tentari ſupra quam poſſunt, mittit uerbum ſuum & liquefaciet ea: id eſt, renatis flauit ſpiritus ſanctus, & fluunt aquæ ex oculis, ut iſtæ aquæ lauent ſordes omnes, & maculas abluant peccatorum. Et quis eſt qui hæc facit: Quis utiq; alius niſi is qui pronunciat uerbum ſuum Iacob, iuſtitias & iudicia ſua Iſrael. Vbicunq; Iſrael eſt qui uidet deum ibi iuſtitiam Deus oſtendet ſuam. Deus enim ſicut ad indulgendum flentibus et pœnitentibus pius eſt, ita ad reddendum pro iuſtitia laborantibus iuſtus. Non fecit taliter omni nationi ſicut iſti, utiq; nationi quæ die noctuq; ſpem ſuam deo & charitatem oſtendit. Et nulli iudicia ſua manifeſtat, niſi his qui domini mandata reſpiciunt, credentes quod ipſe nos in ſuo iudicio cenſeat adiuuandos, cui gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

Alleluia Aggæi & Zachariæ. CXLVII.

LAudate dominum de cœlis, laudate eum in excelſis. Laudate eum omnes angeli eius, laudate eũ omnes uirtutes eius. Laudate eum ſol & luna, laudate eum omnes ſtellæ & lumen: Laudate eum cœli cœlorum, & aquæ quæ ſuper cœlos ſunt laudent nomen domini. Quia ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandauit

dauit & creata ſunt. Statuit ea in ſeculum & in ſecu lum ſeculi, præceptum poſuit & non præteribit. Lau date dominum de terra, dracones & omnes abyßi. Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, quæ faci unt uerbum eius. Montes & omnes colles, ligna fru ctifera, & omnes cedri. Beſtiæ & uniuerſa pecora, ſerpentes & uolucres pennatæ. Reges terræ & om nes populi, principes & omnes iudices terræ. Iuuenes & uirgines, ſenes cum iunioribus laudent nomen domi mini, quia exaltatum eſt nomen eius ſolius. Confeßio eius ſuper cœlum & terram, & exaltauit cornu populi ſui. Hymnus omnibus ſanctis eius, filijs Iſrael populo appropinquanti ſibi.

COMMENTARIVM.

Conſuetudo imò uis quædã naturaliter imperat pullis, ut ſuo cãtu à nocte diuidãt noctẽ. Qui cla mant quidẽ ut alios excitẽt, ipſi uero cũctis uigi lantibus dormiũt. Quod ego ad ruborẽ dixerim noſtrũ, qui excitemus ad laudẽ dei eos, qui in cœlo ſunt, dicẽtes: Laudate dominum uos qui eſtis in cœlis, laudate eum & uos qui eſtis in excelſis. Sed & ſoli & lunæ & ſtellis & lumini, & cœlis cœlorum, & aquis quæ ſunt ſuper cœ lis, ut laudent Dominum imperamus. Ipſi uero dormi mus, cum talia opera non facimus, in quibus laudetur Deus & benedicatur nomen eius. Sed quod peius eſt, quod ſine gemitu dicendum non eſt, per nos nomẽ domi ni blaſphematur, cũ in iudicio perſonas accipimus, cũ ad ueſtimentũ, & ad annulos & ad glorias hominum atten dentes, perſonas pauperum refutamus. Ille quẽ tu tacere putas,

putas, gemet contemptus, abiectus & pro nihilo habitus, nomen beatum laceſsit blaſphemijs. quid ergo ad laudes Dei, *& de cœlis angelos, & omnia quæ in eis ſunt excitamus.* Et *de terra etiam ipſos dracones, & ſerpentes, & uolucres, & ignem & grandinem, & ſpiritum tempeſtatis uocamus,* Inuitamus *montes & colles, ligna fructifera uniuerſa, reges ipſos & principes & omnes iudices, omnem iuuentutem & omnem ſenectutem, uirgines, iuuenes & omnia quæ ſub cœlo ſunt.* Omnes *ad laudem* Domini *excitamus, prouocamus, hortamur & infœlices ipſi dormimus.* At *utinam dormiremus ſomno carnis, et non inconſiderationis noſtræ ſoporemur grauedine.* Ecce *omnia in unum quæ excitauimus conuenerunt, ipſi dracones nos & ſerpentes & beſtiæ & uniuerſa pecora increpabunt, dicentes: quid nos excitatis ad laudes* Dei, *conuenimus ut uobiſcum deum laudaremus, & inuenimus ueſtro uicio uiduas blaſphemantes nomen ſanctum.* Pauperes, *orphanos, & omnes qui ſibi adeſſe contra potentes non poterant, quorum uos perſonis deſpicientes, diuitum iniuſticijs fauebatis, erectisq́; oculis ad ſublimitates mundi, his tantum ueſtros hilares atq; affabiles tradentes aſpectus, pauperes quaſi quoſdam quos deus abuti præceperit, renuiſtis.* Hæc *ad nos omnium uerba ſunt* Ad *nos, inquam, qui cottidie huius pſalmi tuba, per totum mũdum mox ut cœperit aurora diei inchoare principium, uniuerſa quæ in cœlo et quæ in terra ſunt ad laudandum & benedicendum deum prouocamus.* Verum *ſicut medicinam euacuat medici incontinentia ægrotantis, & non permittit profectum eius oſtendere medicinæ,*

næ, ſuæ defectum ingerens continentiæ: Ita nos *iſta omnia utimur, quæ etiam ſi placeant nobis dum leguntur, dum contemnuntur non placere oſtendimus.* Neſcio *quo enim modo non poteſt nobis omnino ſuaderi, ne perſonam cuiuſuis peccatoris, etiam ſi iuſtus ſit, negligentiſſime abutamur, quod uicium ut amputetur à nobis dominum exoremus.* Ipſe *enim correctionem morum poſtulantibus annuit, qui in tantum liberalitatibus his affluit, ut ipſe imperet quod petatur:* Petite, *inquit, & dabitur uobis, quærite & inuenietis, pulſate & aperietur uobis. antecedit gratia* Dei *uoluntatem hominis, & uult ut uoluntas hominis dei gratiam antecedat petitura.* Cum *autem petenti donat, ſequitur uoluntatem: omnis enim, inquit, qui petierit accipit.* Petamus *ergo, ut & nos cum angelis omnibus, & cum uniuerſis uirtutibus eius in diuinis laudibus participiũ capiamus, & ſicut de illis dicitur:* Præceptum *poſuit quod non præteribit, ita & nos præceptum domini conſeruemus.* De *omni uero creatura dicitur, quia ipſe dixit & facta ſunt, hoc eſt, per uerbum* Dei *facta ſunt, patre loquente, filio creante, ſancto ſpiritu animante, ſtatuta ſunt in æternum, & in ſeculum ſeculi, id eſt, quamdiu eſt hoc ſeculum, in ſeculum ſeculi manent, in quo ſunt omnia iſta quæ faciunt uerbum eius, id eſt, elementa, ignis, grandinis, niuis & ſpiritus tempeſtatis.* Hæc *omnia ſeruiunt uoluntati dei, & hæc faciunt quod uerbum eius præceperit.* Denique *imperauit procellis & quieuerunt: imperauit uentis flantibus & ſiluerunt, oſtendentes hunc eſſe, cuius nomen ſolius ita exaltatum eſt, ut ſit confeßio ſeius uper cœlum, & terram, &*

in nomine eius omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium & infernorum. Et *ipſe exaltauit cornu populi ſui, ita ut hymni canantur in toto orbe terrarum omnibus ſanctis eius, & filijs* Iſrael *populo appropinquanti ei.* Filij *ſiue in bono exemplo, ſiue in malo, imitatores in ſacris uoluminibus appellantur. Deniq; dum conſtat quod filij* Abrahæ *eſſent hi, qui* Dominũ *noſtrum* Ieſum Chriſtum *arte ſe putabant, & dolo circumuenire, dicit eis:* Vos *ex patre diabolo eſtis. Cumq; illis dicerent ſe patrem* Abraham *habere, ille reſpondit:* Si *filij* Abrahæ *eſſetis, opera* Abrahæ *faceretis.* Ergo *hij nunc filij hymnum accipiunt, qui* Iſraelis *ſectantur exemplum.* Et *ſicut ille patientia & fide proficiens, meruit facie ad faciẽ dominum deum uidere, unde* Iſrael *appellatus eſt, id eſt, uidens deum:* Deum *autem deſiderantes audiunt ſibi monita dari:* Beati *mundo corde, quia ipſi* Deum *uidebunt:* Ita *his qui filij eius per imitationẽ eius facti ſunt, hymnũ præcipit cani, quia per mundiciam cordis merentur, ut uideant deum appropinquantem ei, qui regnat in ſecula ſeculorum,* Amen.

Alleluia. CXLIX.

C*Antate* Domino *canticum nouum, laus eius in ecclesia ſanctorum.* Lætetur Iſrael *in eo qui fecit eum, & filiæ* Sion *exultent in rege ſuo.* Laudent *nomen eius in choro, in tympano & pſalterio pſallant ei.* Quia *beneplacitum eſt* Domino *in populo ſuo, & exaltabit manſuetos in ſalutem.* Exultabunt *ſancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis.* Exultationes

tiones Dei in gutture eorum.& gladij ancipites in manibus eorum. Ad faciendam uindictam in nationibus,in crepationes in populis. Ad alligandos reges eorum in compedibus,& nobiles eorum in manicis ferreis. Vt faciant in eis iudicium conſcriptum, gloria hæc eſt omnibus ſanctis eius.

COMMENTARIVM.

CAnticum nouum cantamus domino, quando in nouitate uitæ ambulamus in Eccleſia ſanctorum & exemplo uitæ ac morum noſtrorum ædificationem dominicæ congregationi exhibemus Lætantes non in gloria mundi, neq; in diuitijs ſeculi, ſed in eo qui nos fecit,dum naſceremur,quia in eo apparet filios Sion eſſe, id eſt, eccleſiæ, ſi in rege noſtro & domino exultemus,laudantes nomen eius in choro,id eſt,cum omni populo,in tympano,id eſt,in extenſione follis noſtri corporei.Bene enim ſonat, cum eſt ſobrium,mundum & caſtum.Nec ſolum in tympano, ſed & in pſalterio pſallamus ei. Non enim caſtitas & abſtinentia nos perducunt ad deum, ſi nos deſeruerit integritas fidei, quæ in decem chordis pſalterij declaratur. Tunc enim cognoſcimus, quia beneplacitum eſt Domino in populum ſuum, cum ſuperbos humiliauerit in condemnationem, & exaltauerit manſuetos in ſalutem. Tunc, inquam, agnoſcimus quod nunc credimus, cum exultant ſancti in gloria, qui nunc lætantur in cubilibus ſuis, expectantes diem retributionis. Nam qui habuerunt nunc exaltationes Dei in faucibus ſuis, tempore quo confeſſi ſunt gloriam Chriſti,

qui eſt exaltatus in cruce, qui eſt exaltatus in reſurrectio
Videtur ali= *ne, qui eſt exaltatus in cœlo*: Has *qui habuerunt* exalta=
quid deeſſe. *tiones* Dei *in faucibus ſuis, quicunque habuit interibit perfidia hominum impiorum.* Hij *ergo non metu carnificis, non uerberum terrore perculſi, has exaltationes* Domini *ſiluerunt.* Quin *imò, quanto plus paßi fuerint affligentes, tanto plus confitentes exiſtunt.* Hij *habebunt gladios ancipites in manibus ſuis, id eſt, ſententias mortis æternæ & pœnæ perpetuæ, ad faciendam uindictam in gentibus, & increpationes in populis, ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in uinculis ferreis.* Quibus *nunc dicitur à* Domino: *Sedebitis ſuper duodecim thronos, iudicantes duodecim tribus* Iſrael. Hij *ergo faciunt in eis iudicium conſcriptum.* Ipſi *enim iudicabunt mundum pro operibus impijs, qui ſunt à mundo afflicti pro operibus ſuis.* Cumq; *iudicauerint ſancti eos reges, à quibus iudicati ſunt, tunc erit gloria omnibus ſanctis eius.* Modo *unicuique dicitur: Si credis uidere bona domini in terra uiuentium, expecta dominum & age uiriliter, ſi credis, non deſinas ſpectare & ſi te pro certo quod credis deſiderare cognoſcis.* Hanc *enim gloriam omnibus ſanctis tunc gratulabimur eueniſſe, ſi in quacunque neceßitate poſiti, animum penitus non mutemus, ſed expectantes* Dominum *cotidie, ipſi per patientiam gratias referamus, qui regnat in ſecula ſecul.* Amē.

Alleluia

Alleluia. C L.

LAudate Dominum in ſanctis eius, laudate eum in firmamento uirtutis eius. Laudate eum in uirtutibus eius, laudate eum ſecundum multitudinem magnitudinis eius. Laudate eum in ſono tubæ, laudate eum in Pſalterio & cithara. Laudate eum in tympano & choro, laudate eum in chordis & organo. Laudate eum in cymbalis bene ſonantibus, laudate eum in cymbalis iubilationis: omnis ſpiritus laudet dominũ.

COMMENTARIVM.

LAudamus Dominum in ſanctis ſuis, quando eorũ imitamur exempla, ſequimur monita, regulam obtinemus. Laudamus eum in firmamento uirtutis eius cum firmum fidei noſtræ agonem oſtendimus. & ſicut ſancti contempſerunt pœnas, hoſtes uiſibiles, ita nos inuiſibilis hoſtis delectationes ingeſtas abijcimus. Laudamus eum in ſono tubæ, cum quod in aure audiuimus, ſi tempus exegerit ſuper tecta poſiti exclamemus, non timentes eos qui occidunt corpus. Laudamus eum in pſalterio & cithara, ſi in cithara lignum crucis amplectamur, et in pſalterio confeſſionem catholicam teneamus. Raucum enim ſonat quod catholicum nõ probatur. Laudamus eum in tympano & choro, quando in conuerſatione reddendi poſiti, tympanũ corporis noſtri optimis decoramus exemplis. Laudamus eum in chordis & organo, quando chordarum quæ ſunt in cithara noſtra, fila integra exercemus. Etiam pudicitiam quam continentiæ calamellis ab omni rubigine peccati mundantes, deo ſonos mellifluos exhibemus. Laudamus eũ in cymbalis

bene ſonantibus, & bene tinnientibus, quando labia noſtra ad bonam perſuaſionem, & ſpiritalem explanationem aptamus. Inuitamus *autem ut omnis ſpiritus laudet dominum, quando ſpiritalia ſpiritalibus comparantes, nihil concedimus carni, ſed omne quicquid ei libuerit, totum ſpiritui mancipātes, ſpiritalium imitamur exempla, per quorum euntes ueſtigia, credamus nos ad domini miſericordiam peruenire, cui gloria & imperium per omnia ſecula ſeculorum, Amen.*

FINIS.

D. HIERONYMVS DE VIRIS illuſtribus eccleſiaſticis.

ARNOBIVS ſub Diocletiano principe, Siccæ apud Africam florentiſſime rhetoricam docuit: ſcripſitq; aduerſum gentes, quæ uulgo extant, uolumina.

ORNATISS. VIRO D. GILBER-
*to Cognato canonico Nazoretenſi, Sigiſ-
mundus Gelenius.* S. P. D.

LIBRVM *hunc* ARNOBII, *quo nõ ali us negocij plus mihi exhibuit, tibi potißimum Gilberte doctißime nuncupandũ exiſtimaui: nõ quo coniunctior per hoc noſtra amicitia fiat, ſed quo teſtatior. quid.n. illuſtrius, quid amicitiæ cõuenientius, quã eos per lõginquas regiones, per innumeros mortaliũ oculos ſimul uolitare, quos mutua beneuolentia bonis artib. quæſita cõciliauit? Quid me tibi cõmendet, tu uideris: ego certe nihil mihi uẽdico præter animũ memorẽ et gratũ. In te uero quis inter alias dotes ac uirtutes nõ admiretur omnigenã primũ eruditionem Magno illo* ERASMO *præceptore dignam, qui te ob tuam erga ſe pietatem præ omnibus domeſticis ſemper complexus eſt: quis nõ amet aliam pietatem, qua parentes ætate feſſos ſolus è tot fratribus ſuſtines ac refoues, atq; ipſorum etiam fratrum cõmoda promoues: tum aliam rurſus, qua nobilem iuuentutẽ tuæ fidei commiſſam omnibus neceſſarijs ad uitã recte agẽdam diſciplinis inſtituis. Quid de pietate erga deũ dicam, qua prudens tuum pectus et in hoc præceptorẽ refrẽs, ita omnes actiones dubijs in reb. moderatur, ut quantũ quidem in te eſt nemini offendiculo eſſe ſtudeas. Iam amicos eo proſequeris affectu, ut cum eis facultates omnes communes habere uidearis, dignus qui tantum prodeſſe omnibus ualeas quantũ cupis: et auguratur mens hoc quoq; affore, quan*

doquidem ea præditus es dexteritate, ut ſolus ratione͂ in ueneris, quæ rei domeſticæ cura, itemq́; literarũ, ſic apud te conſpirant, ut altera alterã adiuuet etiam, quamuis apud alios cõtrarium uſu uenire ſoleat. Iamdudum(*ſcio) mußitas, conuenientius eſſe hoc loco* ARNOBIVM *laudari.* Dabis *ueniam affectui noſtro, ſi prolixius q̃ tua frõs patitur excurrat. nã ille maior eſt quàm qui noſtris præconijs egeat, nec pro merito ab alio quàm ſui ſimili laudari poteſt. unum ſileri non debet, quòd quãtopere te preceptor* Eraſ. *cõmendat ac ornat, tãtopere illũ* Lactãtius *diſcipulus,* Lactantius *inquã ille, qui ſolus eo tempore dignus uiſus eſt qui* Cæſares *haberet diſcipulos.* Vterque *ide͂ argumentũ tractauit, ſed hic noſter uehemẽtiore ſtilo utitur.* Hoc enim ſolum telum tunc reliquũ erat, *ſub* Imperatorib. *ethnicis, atq; adeo ſub* Diocletiano, *omniũ qui ante ſe regnauerũt in* Chriſtianos *ſæuißimo.* Succeſſere *deinde feliciores anni ſub* Conſtantino, *cum iam tutum eſſet gentilium religiones uel inſectari uel cõtemnere: quo tempore* Lactantius, *magiſtri ſui rece͂ti exemplo excitatus, in reliquias ethnicæ ſuperſtitionis ita depugnauit, ut dubiũ ſit utrum alteri præferas.* Difficiliore͂ *certe prouinciã* ARNOBIVS *ſortitus eſt, ut qui tũ* Chriſtianæ *religionis patrociniũ ſuſcepit, cũ apud maiore͂ mortalium parte͂ pro delirame͂to haberetur, cumq́; ſuis tantum ipſorum armis aduerſarij conficiendi eſſent.* Videntur *tamen in ſumma pares, tametſi ſuis uterq; uirtutibus præcellat.* Sed *hanc cenſuram criticis relinquimus, nobis nihil ſumpſimus niſi caſtigationis laborem. nam* Romani *ut candoris in cõmunicando, in tranſcribe͂do fidei laudem*

dem promerentur: ita negari non poteſt, nullum eos adhibuiſſe in legendis priſcis characteribus exercitatum: quo ſæpiſsime factum eſt, ut nõ tam ſinceram lectionem, quàm eius ueſtigia prodiderint, per quæ uix pedetentim ad ueritatem euadere potuimus. Fateberis nos non uana iactare, ſi in uno quouis ternione periculum facere libuerit, noſtra hæc æditio planior ſit, an illa altera. eſt enim ingens diſcrimen, & quantum non facile credas, niſi illa prægustata. Nec alium iudicem libentius capio quàm te, qui pro tua eruditione potes rem totam eſtimare, pro amicitia uero noſtra etiam libenter meis laboribus patrocinaberis: quos tibi commendare ſuperfluum ſit, cum ultro ſoleas quicquid à nobis uenit obuijs ulnis excipere. Bene uale, Baſileæ Calend. Ianuarij, Anno ſalutis M. D. XLVI.

ARNOBII DISPVTATIONVM ADVERSVS Gentes. Libri octo à Sigiſmundo Gelenio accurate recogniti & emendati.

LIBER PRIMVS.

QVONIAM *comperi nõnullos, qui ſe plurimum ſapere ſuis perſuaſionib. credunt, inſanire, bacchari, & uelut quiddam promptum ex oraculo dicere: poſtquã eſſe in mũdo Chriſtiana gẽs cœpit, terrarum orbem perijſſe, multiformibus malis affectum eſſe genus humanum: ipſos etiam Cœlites derelictis curis ſolennibus, quibus quondam ſolebant inuiſere res noſtras, terrarum ab regionibus exterminatos: ſtatui pro captu, ac mediocritatę ſermonis contraire inuidiæ, & calumnioſas diſſoluere criminationes, ne, aut illi ſibi uideantur, popularia dum uerba depromunt, magnum aliquid dicere, aut, ſi nos talibus continuerimus à litibus, obtinuiſſe ſe cauſam putent, uictam ſui uitio, non aſſertorum ſilentio deſtitutam. Neq; enim negauerim ualidiſſimam eſſe accuſationẽ iſtam, hoſtilibusq; condignos odijs nos eſſe, ſi apud nos eſſe conſtiterit cauſas, per quas*

ſuis

ſuis mundus aberrauit ab legibus.Exterminandi ſumus, ſi per nos examina tanta mœrorum mortalium importata ſunt ſeculis.Inſpiciamus igitur opinionis iſtius mentem,& hoc quod dicitur,quale ſit: ſummotisq; omnibus contentionum ſtudijs, quibus obſcurari & contegi contemplatio rerum ſolet, an ſit iſtud quod dicitur uerum, momentorum parium examinatione pendamus.Efficietur enim profecto rationum conſequentium copulatu, ut non impij nos magis,ſed illi ipſi reperiantur criminis iſtius rei,qui ſe numinum profitentur eſſe cultores,atque inueteratis religionibus deditos. Ac *primum ab his illud familiari & placida oratione perquirimus: poſtquam eſſe nomen in terris* Chriſtianæ Religionis *occœpit,quid nam inuſitatum,quid incognitum, quid cõtra leges principaliter inſtitutas, aut ſenſit aut paſſa eſt rerũ ipſa,quæ dicitur appellaturq; natura?* Nunquid *in contrarias qualitates prima illa elementa mutata ſunt, ex quibus res omnes conſenſum eſt eſſe concretas?* Nunquid *machinæ huius,& molis,qua uniuerſi tegimur,et continemur incluſi, parte eſt in aliqua relaxata,aut diſſoluta conſtructio?*Nunquid *uertigo hæc mundi,primigenij motus moderamen excedens,aut tardius repere,aut præcipiti cœpit uolubilitate raptari?* Nunquid *ab occiduis partibus attollere ſe aſtra,atque in ortus fieri ſignorum cœpta eſt inclinatio?*Nunquid *ipſe ſyderum* Sol *princeps,cuius omnia luce ueſtiuntur atq; animantur, calore exarſit, intepuit, atque in contrarios habitus moderaminis ſoliti temperamenta corrupit?* Nunquid Luna *deſiuit redintegrare ſe ipſam,atq; in ueteres formas nouellarum ſem-*

per

per reſtitutione traducere? Nunquid *frigora, nunquid ca lores, nunquid tepores medij inæqualium temporum confuſionibus occiderunt?* Nunquid longos habere dies *bruma, & reuocare tardiſſimas luces nox cœpit æſtatis?* Nunquid *ſuas animas expirauerunt uenti? emortuiſq; flaminibus neque cœlum coarctatur in nubila, nec madi data imbribus arua ſucceſcunt?* Commendata *ſemina tel lus recuſat accipere? aut frondeſcere arbores nolunt? ſa= por frugibus, eſulentis, exuſtis liquoribus mutatus eſt? olearum ex bacculis cruor teter exprimitur? nec lumini ſubminiſtratur extincto?* Animalia *terris ſueta, atq; in a= quis degentia non eſuriunt, nec concipiunt? fœtus non in uteris ſumptos ſuis moribus, & ſua lege cuſtodiunt ipſi homines?* Deniq; *quos per inhabitabiles oras terræ ſpar ſit prima incipienſq; natiuitas, non matrimonia copu= lant nuptiarum ſolennibus iuſtis? non dulciſſimas pro= creant liberorum ſtirpes? non negocia publica, non pri= uata, & familiares res agunt? non (ut cuique libitum eſt) per diuerſas artium, diſciplinarumq; rationes ingenia di rigunt, & ſtudioſe referunt natiuitatis uſuras?* Non *re= gnant? non imperāt quibus ſors rerum attributa eſt?* Ta= *libus non auctiores quotidie dignitatibus, & poteſtati= bus fiunt? iudiciorum diſceptationibus præſunt? leges in terpretantur, & iura?* Nonne *omnia cætera, quibus uita ſuccingitur & continetur humana, ſuis omnes in gen= tibus patriorum celebrant inſtitutionibus morum? Cum igitur hæc ita ſint, neque ulla irruperit nouitas, quæ teno rem perpetuum rerum diſſociata continuatione diduxe xit: quid eſt iſtud, quod dicitur inuectam eſſe labem ter= ris*

ris,poſtquam religio Chriſtiana intulit ſe mundo.& ueritatis abſconditæ ſacramenta patefecit? Sed peſtilentias, inquiunt, & ſiccitates,bella,frugum inopiam, locuſtas, mures,& grandines, resq; alias noxias, quibus negocia incurſantur humana,dij nobis important iniurijs ueſtris atque offenſionibus exaſperati.Si in rebus perſpicuis,& nullam deſiderantibus defenſionem, non ſtoliditatis eſſet diutius immorari oſtenderem profecto replicatis prioribus ſeculis, mala iſta quæ dicitis, non eſſe incognita, non repentina:nec poſtquā gens noſtra felicitate donare huius uocaminis meruit, irrupiſſe has labes,& infeſtari cœpiſſe diſcriminum uarietate mortalia.Si enim nos ſumus in cauſa, & in noſtri criminis meritum excogitatæ ſunt hæ peſtes, unde nouit antiquitas miſeriarum hæc nomina? unde bellis ſignificatum dedit? peſtilentiam, grandines,qua potuit notione ſignare? aut inter ſuas uoces,quibus oratio explicabatur, aſſumere? Nam ſi nouella ſunt hæc mala,& ab recentibus ducunt offenſionibus cauſas, qui potuit fieri,ut eis rebus uerba formaret,quas nec ipſa ſciebat expertam ſe eſſe, neque ullis comperiſſet maiorum in temporibus factitatas? Penuria,inquit frugum, & anguſtiæ frumentariæ arctius nos habent. Antiqua enim & uetuſtiſsima ſecula neceſsitatis iſtius aliquando fuerunt expertia? nonne ipſa nomina, quibus cenſentur hæc mala,teſtificantur, & clamant nullum ab his unquam immunem abiſſe mortalium? Quod ſi ad credendum difficilis res eſſet,teſtimonijs agere poſſemus authorum, quantæ, quoties, & quæ gentes famem ſenſerint horridam, & aggerata interierint uaſtitate. Caſus frequentiſsimi

quentiſsimi grandinis accidunt,atque atterunt cuncta.In literis enim priſcis comprehenſum & compoſitum non uidemus,etiam imbres ſaxeos totas ſæpe comminuiſſe regiones? Difficiles pluuiæ ſata faciunt emori,& ſterilitatem inducunt terris. Immunis *enim antiquitas malis ab his fuit? cum etiam flumina cognouerimus ingentia limis inhorruiſſe ſiccatis*. *Peſtilentiæ contagia urunt genus humanum*. *Annalium ſcripta percurrite linguarum diuerſitatibus ſcripta, uniuerſas diſcetis gentes ſæpenumero deſolatas, & uiduatas ſuis eſſe cultoribus*. *A locuſtis,à muribus,genus omne acciditur atq; arroditur frugum*. Hi*ſtorias ite per exteras,& ab iſtis peſtibus inſtruemini quoties prior ætas affecta ſit, & paupertatis ad miſerias uenerit*. Terrarum *ualidiſsimis motibus tremefactæ nutant uſque ad periculum ciuitates*. Q*uid hiatibus maximis interceptas urbes cum gentibus ſuperiora tempora non uiderunt? aut ab huiuſmodi caſibus fortunas habuere ſecuras?* Q*uando eſt humanum genus aquarum diluuijs interemptum? nõ ante nos?* Q*uando mundus incẽſus in fauillas et cineres diſſolutus eſt? nõ ante nos?* Q*uando urbes ampliſsimæ marinis coopertæ ſunt fluctibus? non ante nos?* Q*uando cum feris bella, & prælia cum leonibus geſta ſunt? non ante nos?* Q*uando pernicies populis uenenatis ab anguibus data eſt? non ante nos?* Nam *quod nobis obiectare conſueſtis bellorum frequentium cauſas, uaſtationes urbium, Germanorum &* Scy*thicas irruptiones, cũ pace hoc ueſtra & cum bona uenia dixerim: quale ſit iſtud quod dicitur,calumniarum libidine non uidetis*. Vt *ante millia annorum decem,*

ab

ab inſula quæ perhibetur Atlantica Neptuni(ſicut Plato demonſtrat) magna erumperet uis hominum,ut innumeras funditus deleret atque extingueret nationes, nos fuimus cauſa? ut inter Aſſyrios & Bactrianos Nino quondã Zoroaſtreq; ductoribus non tantum ferro dimicaretur & uiribus, uerum etiam Magicis & Chaldæorum reconditis diſciplinis, inuidia noſtra hæc fuit? ut Helena Dijs ducibus atque impulſoribus rapta, & ſuis eſſet dirum & uenturis temporibus fatum, religionis noſtræ attributum eſt crimini?ut ille immanis Xerxes mare terris immitteret, & greßibus maria tranſiret,noſtri nominis effectũ eſt iniuria? ut ex Macedoniæ finibus unus exortus adoleſcens Orientis regna & populos captiuitate & ſeruitio ſubiugaret, nos fecimus, atque excitauimus cauſas? ut modo Romani, uelut aliquod flumen torrens, cunctas ſubmergerent atque obruerent nationes,nos uidelicet numina præcipitauimus in furorem? Quod ſi hominum nullus eſt,qui, quæ dudum geſta ſunt,noſtris audeat temporibus imputare,quemadmodũ poſſumus miſeriarum eſſe præſentium cauſæ, cum noui fiat nihil, ſed ſint omnia uetera, & nullis antiquitatibus inaudita?

Quanquã iſta quæ dicitis bella Religionis noſtræ ob inuidiam commoueri,non ſit difficile comprobare poſt auditum Chriſtum in mundo non tantum non aucta,uerum etiam maiore ex parte furiarum compreßionibus imminuta. Nam cum hominũ uis tanta magiſterijs eius acceperimus ac legimus, malũ malo rependi non oportere,iniuriam perpeti quam irrogare eſſe præſtantius:ſuum potius fundere,quàm alieno polluere manus & conſcientiã

cruore:

cruore:habet à Chriſto beneficium iamdudum orbis ingratus:per quem ueritatis mollita eſt rabies,atque hoſtiles manus cohibere à ſanguine cognati animantis occœpit. Quid ſi omnes omnino,qui homines eſſe non ſpecie corporum,ſed rationis intelligunt poteſtate,ſalutaribus eius pacificisq; decretis aurem uellent commodare pauliſper,& non faſtu & ſupercilio tumidi,ſuis potius ſenſibus, quàm illius commonitionibus crederent: uniuerſus iamdudum orbis mitiora in opera conuerſis uſibus ferri, tranquillitate in molliſſima degeret, & in concordiã ſalutarem incorruptis fœderum ſanctionibus conueniret. Sed ſi per uos inquiũt nihil rebus incommodatur humanis,unde ſunt hæc mala, quibus urgetur & premitur iamdudum miſeranda mortalitas? Sententiam me poſcis huic neceſſariam nihil cauſæ. Neque enim præſens atque in manibus poſita diſceptatio in id ſumpta eſt à me, ut oſtenderem,uel probarem quibus unaquæque res cauſis & rationibus fieret: ſed ut maledicta criminis tanti procul eſſe ab nobis oſtenderem. Quod ſi præſto,ſi facto & argumentis inſignibus rei ueritas explicatur, unde ſint hæc mala, uel ex quibus profluant fontibus principijsq;, non curo. Ac ne tamen omnino quid de rebus huiuſmodi ſentiam, nihil uidear interrogatus expromere, poſſum dicere: Quid enim ſi prima materies,quæ in rerum quatuor elementa digeſta eſt, miſeriarum omnium cauſas ſuis continet rotationibus inuolutas? Quid ſi ſyderum motus certis ſignis,partibus, temporibus, lineis pariunt hæc mala, & ſubiectis afferunt uariorum diſcriminum neceſſitates? Quid ſi ſtatis temporibus rerũ uiciſſitudines

tudines fiunt, atque ut in maritimis æſtibus, modo ſecundæ res affluunt, modo rurſus refluunt malis reciprocantibus proſpera? Quid ſi materiæ fæx iſta, quam ſub noſtris calcamus ingreßibus, hanc habet ſibi legem datam, ut expiret nocentißimos halitus, quibus corruptus aer iſte, & corporibus labem ferat, & negocia infirmet humana? Quid ſi, quod proximum uero eſt, quicquid nobis uidetur aduerſum, mundo ipſi non eſt malum: omniaq́; quæ fiunt noſtris commoditatibus ſtatuentes, opinionibus improbis criminamur euenta naturæ? Plato ille ſublimis apex philoſophorum & columē, ſæua illa diluuia, & conflagrationes mundi, purgationem terrarum ſuis eſſe in commentarijs prodidit: nec uir prudens extimuit humani generis ſubuerſionem, cladem, ruinas, interitus, funera, rerum innouationem uocare, & iuuentutem his quandam redintegratis uiribus comparari. Non pluit, *inquit cœlum, & frumentorum inopia neſcio qua laboramus. Quid enim inſeruire elementa tuis neceßitatibus poſtulas? atque, ut uiuere mollius & delicatius tu poßis, obſequia temporum tuis debēt commoditatibus ſe dare? Quid enim ſi hoc pacto nauigationis cupidißimus conqueratur uētos iamdiu nō eſſe, & cœli cōquieuiſſe flatus?* Nunquid ideo dicendum eſt pernicioſam eſſe tranquillitatem illam mundi, quia uectoribus impediat uota? Quid ſi Sole aliquis torrere ſe ſuetus, & acquirere corpori ſiccitatem, ratione conſimili conqueratur frequentißimis nubilis iucunditatem ſerenitatis ablatam? Nunquid ideo dicenda ſunt nubila inimica obductione pendere, quia libidini non permittitur ocioſe rutilare ſe flam-*

 mis, &

mis, & cauſas potionibus præparare? Euenta hæc omnia, quæ fiunt, et accidũt mole ſub hac mundi, cõmodulis non ſunt noſtris, ſed ipſius pendenda rationibus ordinibusq; naturæ. Nec ſi aliquid accidit, quod noſmetipſos, aut res noſtras parum lætis ſucceſsibus ſouit, continuo malum eſt, & in exitiabilis rei opinione ponendũ. Pluit mundus, aut nõ pluit, ſibimet pluit, aut nõ pluit: & quod forſitan neſcias, aut uliginem nimiam ſiccitatis ardore decoquit, aut lõgiſsimi temporis ariditatem pluuiarum effuſionibus temperat. Peſtilentias, morbos, fames, atque alias ſuggerit malorum exitiabiles formas: unde tibi eſt ſcire, ne quod exuberat, ſic tollat, ut per ſua diſpẽdia modum rebus luxuriantibus figat? Tu audeas dicere, hoc & illud eſt in mundo malum, cuius explicare, diſſoluere, neque originem ualeas, neque cauſam? & quia tuas impediat deliciarum, forſitan & libidinum, uoluptates, perniciosum eſſe atque aſperum dicas? Quid ergo, quia frigus membris tuis aduerſum eſt, & congelare ſanguinis tui feruorem ſolet, iccirco in mundo hyems eſſe non debet? Et quia perferre flagrantiſsimos ſoles non potes, ex anno æſtas tollenda eſt? atque alijs legibus alia rurſus ordinanda natura? Veratrum uenenum eſt hominibus, nunquid ob hanc cauſam non debuit naſci? Ouilibus inſidiatur lupus, nunquid in culpa natura eſt, quod lanitijs extulit importuniſsimam beluam? Morſu animam ſerpens tollit maledicam ſcilicet primordijs rerum, quo tam ſæua prodigia genituris ſpirantibus addiderunt. Superciliosa nimium res eſt, cum ipſe ſis non tuus, aliena etiam in poſſeſsione uerſeris, potentioribus dare conditionem

uelle

uelle ut id fiat, quod cupias,non quod in rebus inueneris antiquis conſtitutionibus fixum. Quare habere ſi locum ueſtras uultis querimonias homines, prius eſt ut doceatis unde, uel qui ſitis, uobisne ſit genitus & fabricatus mundus, an in eum ueneritis alienis ex regionibus inquilini. Quod cum dicere non ſit ueſtrum, neque explicare poßitis cuius rei cauſa ſub hac cœli conuexione uerſemini, deſiſtite arbitrari pertinere ad uos quicquam: cum ea quæ fiunt, non pariliter fiant, ſed ad ſenſus ſummam redeant referanturq; totius. Chriſtianorum, inquiunt, cauſa mala omnia adierunt, & interitus comparatur ab ſuperis frugibus. Rogo cum hæc dicitis, nõ calumniari uos improbe, in apertis conſpicitis manifeſtisq; mendacijs? Trecenti ſunt anni ferme, minus uel plus aliquid, ex quo cœpimus eſſe Chriſtiani, & terrarum in orbe cenſeri: nunquid omnibus his annis continua fuerunt bella, continuæ ſterilitates, pax nulla in terris, nulla protinus uilitas aut abundantia rerum fuit? Hoc enim primum efficiendum eſt, ei qui nos arguit, perpetuas & iuges calamitates fuiſſe has, nunquam omnino reſpiraſſe mortalia, & ſine ullis (ut dicitur) ferijs, multiplicium formas ſuſtinuiſſe diſcriminum. Atqui non uidemus medijs his annis, medijsq; temporibus, ex uictis hoſtibus innumerabiles eſſe uictorias reportatas? prolatos imperij fines, & in poteſtatem redactas inauditi nominis nationes? ſæpenumero maximos annorum fuiſſe prouentus, uilitates, atque abundantias rerum tantas, ut commercia ſtuperẽt uniuerſa pretiorũ auctoritate proſtrata? Quemadmodum enim res agri, & uſq; ad hoc tempus genus qui duraret mortalium,

*lium,ſi non omnia, quæ uſus poſceret,ſubminiſtraret fertilitas rerum? Sed fuerunt aliquando nonnulla in neceßitatibus tēpora.*Et *relaxata ſunt abundantijs. Rurſus contra uoluntatem quædam bella adminiſtrata. Et uictorijs poſtmodum ſucceßibusq; correcta. Quid ergo dicemus? iniuriarum noſtrarum deos modo memores eſſe, modo eſſe rurſus immemores? Si quo tempore fames eſt, irati eſſe dicuntur, ſequitur ut abundantiæ tempore irati & difficiles non ſint: atque ita perducitur res eò, ut uicibus ludicris, & ponant, & repetant iras: & in integrum ſe ſemper offenſionum recordatione reſtituāt. Quanquam iſtud quod dicitur, quale ſit explicabili non poteſt comprehenſione cognoſci.* Si Alamannos, *Perſas, Scythas, idcirco uoluerunt deuinci, quod habitarent & degerent in eorum gentibus Chriſtiani, quemadmodum* Romanis *tribuere uictoriam, cum habitarent & degerent in eorum quoque gentibus Chriſtiani? Si in Aſia, Syria, idcirco mures, & locuſtas efferueſcere prodigialiter uoluerunt, quod ratione conſimili habitarent in eorum gentibus Chriſtiani: in* Hiſpania, Gallia, *cur eodem tempore horum nihil natum eſt, cum innumeri uiuerent in his quoque prouincijs Chriſtiani? Si apud Getulos, tum* A*quitanos huius rei cauſa ſiccitatē ſatis ariditatemq; miſerunt, eo anno cur meſſes ampliſsimas* Mauris Nomadi*busq; tribuerunt? cum religio ſimilis his quoq; in regionibus uerteretur. Si in ciuitate una qualibet fame plurimos emori noſtri nominis auerſione fecerunt, cur ibidem annonaria charitate non tantum corporis non noſtri, uerumetiam Chriſtianos ditiores & locupletiſsimos*

reddide-

reddiderunt? Aut igitur cuncti nihil læti habere debuerunt, ſi malorum cauſa nos ſumus: nationibus enim ſumus in cunctis: aut cum mixta uideatis cum incommodis læta, deſinite nobis aſcribere id quod offendit res ueſtras, cùm nihil lætis officiamus & proſperis. Si enim ego ut male ſit facio, cur ut bene ſit non obſto? Si, ut inopia magna ſit, meũ nomen in cauſa eſt: cur nihil impedio ut ſit feracitas maxima? Si, ut in bellis accipiatur uulnus, ego dicor afferre fortunam, cur duelles cum pereunt, læuũ augurium non ſum, nec aduerſus ſpes bonas mali ominis obſcœnitate traducor? Et tamen ô magni cultores atque antiſtites numinum, cur iraſci populis Chriſtianis auguſtiſſimos illos aſſeueratis deos? ita non aduertitis, non uidetis, affectus quàm turpes, quàm indecoras numinibus attribuatis inſanias? Quid eſt enim aliud iraſci, quàm inſanire, quàm furere, quàm in ultionis libidinem ferri, & in alterius doloris crucem, efferati pectoris alienatione bacchari? Hoc ergo dij magni norunt, perpetiuntur, & ſentiũt, quod feræ, quod beluæ, quod mortiferæ continẽt uenenato in dente natrices. Quod leuitatis in homine, quod terreno in animante culpabile eſt, præſtans illa natura, & in perpetuæ uirtutis firmitate conſiſtens, ſcire aſſeueratur à uobis. Et quid ergo ſequitur neceſſario, niſi, ut ex eorum luminibus ſcintillæ emicent, flammæ æſtuent, anhelum pectus ſpiritum iaciat ex ore, & ex uerbis ardentibus labrorum ſiccitas inalbeſcat? Quod ſi uerum eſt iſtud, & eſt exploratum, & cognitum, & feruеſcere deos ira, & huiuſmodi motus perturbatione iactari, immortales, & perpetui non ſunt: nec in diuinitatis alicu-

ius exiſtimatione ponendi. Vbi enim eſt ullus, ſicut ſapiẽtibus uidetur, affectus, ibi eſſe neceſſe eſt paßionem. Vbi paßio ſita eſt, perturbationem conſentaneũ eſt conſequi ubi perturbatio eſt, ibi dolor & ægritudo eſt. Vbi dolor & ægritudo eſt, imminutioni & corruptioni iam locus eſt: quæ duo ſi uexant, adeſt uicinus interitus, mors omnia finiens, & cunctis adimens ſentientibus uitam. Quid? quod iſto modo nõ tantum illos leues & feruidos: uerum, quod ab dijs conuenit procul eſſe dimotum, et iniquos inducitis, & iniuſtos, & æquitatis uel modicæ nullam prorſus obtinere rationem. Quid eſt enim tam iniuſtum quàm in alios iraſci, & alios lædere, de hominibus conqueri, & innoxia dilacerare frumenta? Chriſtianum nomen odiſſe, & diſpendijs omnibus ſuos labefactare cultores? At nunquid iccirco in uos etiam ſæuiunt, ut inteſtinis uulneribus concitati in ultionem conſurgatis illorũ? Ergo humana patrocinia dij quærunt, & niſi ueſtra fuerint aſſertione protecti, idonei non ſunt ipſi, qui propulſare, defendere ſuas ualeant contumelias. Quinimmo ſi uerum eſt ardere illos ira, permitte illis poteſtatem ſui, defendant ſe ipſi: atq; in ultionem maieſtatis offenſæ inteſtinas exerãt, experianturq́; uirtutes. Poſſunt nos, ſi uoluerint, æſtu, poſſunt nocentiſſimo frigore, poſſunt auris peſtilibus, poſſunt morborũ obſcuriſſimis cauſis enecare, conſumere, atque ab omni pœnitus cœtu exterminare mortalium. aut ſi malum cõſilium eſt aggredi nos ui, emittant aliquod indignationis ſignum, per quod eſſe liquidũ cunctis poßit inuitißimis nos eis habitare ſub cœlo. Vobis ſecundas tribuant ualetudines: aduerſas nobis, ac peßi-

ac peſſimas. Opportunis imbribus ueſtra irrigent rura: pluuiarum quicunque ſunt rores, noſtris ab agellulis abigant. Lanitia curent ueſtra numeroſis fœtibus multiplicari, ſterilitatem infauſtam noſtris pecuarijs inferant. Ex oliuis ueſtris atque uinetis plenam faciãt autumnitatem fundi: at ex noſtris exprimi unum prohibeant palmitis rorem. Ad extremum & ultimum, in ueſtro ore praecipiant ſuam fruges retinere naturã: at uero in noſtro mel amarum fieri: olearum fluenta ranceſcere, & ſub ipſis potum labris in acoris perfidiam uinum repente mutari. Quod cum minime fieri teſtificentur res ipſæ, neque minus ad nos quicquam, neque ad uos plurimum redundare uitalibus ex beneficijs conſtet, libido quæ tanta eſt inimicos atque hoſtes deos eſſe contendere Chriſtianis? quos in rebus triſtiſſimis, atque lætis nihil abs te uideas ratione in aliqua diſcrepare? Suerum uobis permittitis, ac ſine ullis aſſentationibus dici: uerba ſunt hæc, uerba ſunt, res immo per calumnias creditæ, nõ cognitionis alicuius teſtimonio comprobatæ. Cæterũ dij ueri, & qui habere, qui ferre nominis huius autoritatem condigni ſunt neq; iraſcuntur, neq; indignantur, neq; quod alteri noceat, inſidioſis machinationibus conſtruũt. Etenim re uera eſt impium, & ſacrilegia cuncta tranſcendẽs, ſapientem illã credere beatiſſimamq; naturam magnũ aliquid putare, ſi ſe ſibi aliquis adulatioria humilitate ſubmittat: et ſi fuerit non factum, deſpectam ſe credere, et ab ſummi culminis decidiſſe faſtigio. Puerile, puſillũ eſt, & exile, uix & illis conueniens, quos iamdudũ experientia doctorũ dæmonas appellat, & hos non noſſe cœleſtia, & in hac

rerum materia craſsiore conditionis ſuæ ſorte uerſari. Veſtra ſunt hæc, ueſtra ſunt irreligioſe opinata, & irreligioſius credita. Quinimmo, ut uerius proloquar, haru ſpices has fabulas, cõiectores, arioli, uates, & nunquam non uani concinnauere fanatici: qui ne ſuæ artes intereant, ac ne ſtipes exiguas conſultoribus excutiant iam raris, ſi quando uos uelle rem uenire in inuidiam compererunt, indignantur, declamitantq́; In templis iam raritas ſumma eſt. Iacent antiquæ deriſui cerimoniæ, & ſacrorum quondam ueterrimi ritus religionum nouarum ſuperſtitionibus occiderunt. merito humanũ genus tot miſeriarũ anguſtijs premitur, tot laborum excruciatur ærumnis. Et homines brutum genus, & quod ſitum ſub lumine eſt, cæcitate ingenita nequeuntes uidere, audent aſſeuerare furioſi, quod uos credere non erubeſcitis ſani. Ac ne quis nos tamen diffidentia reſponſionis, tranquillitatis exiſtimet deos donare muneribus, innoxias affingere his mentes, atq; ab omni perturbatione dimotas, cõcedamus, ſicut libitũ uobis eſt, intendere in nos iras, ſanguinem illos ſitire noſtrum, & iamdudũ nos cupere mortalium ſubmouere de ſeculis. Sed ſi non eſt moleſtũ, non graue, ſi cõmunis officij res eſt, nõ ex gratia, ſed ex uero diſceptationis huius diſceptare momenta, audire à uobis expoſcimus, quæ nam ſit hæc ratio, quæ cauſa, propter quam in nos tantũ & dij ſæuiãt ſuperi, & aſperati homines inardeſcãt. Religiones, inquiunt, impias, atq; inauditos cultus terrarum in orbe tractatis. Quid ô participes rationis audetis homines proloqui, quid effutire, quid promere temerariæ uocis deſperatione tẽtatis? Deũ principem

cipem rerum cunctarum quæcunq; ſunt, dominum ſummitatem omnium ſummorum obtinentem adorare, obſequio uenerabili inuocare, in rebus feßis totis, ut ita dixerim, ſenſibus amplexari, amare, ſuſpicere, execrabilis religio eſt & infauſta, impietatis & ſacrilegij plena, cærimonias antiquitus inſtitutas nouitatis ſuæ ſuperſtitione contaminans? Hoccine *eſt quæſo audax illud facinus & immane, propter quod maximi cœlites aculeos in nos intendunt irarum atque indignationum ſuarum? propter quod uos ipſi, cum libido inceßerit ſæua, exuitis nos bonis, exterminatis patrijs ſedibus, irrogatis ſupplicia capitalia, torquetis, dilaceratis, exuritis, et ad extremum nos feris & belluarum laniatibus obiectatis?* Q*uiſquis iſtud in nobis damnat, aut in aliqua ducit criminatione ponendum, is haud nomine appellandus eſt hominis, quamuis ille uideatur ſibi, haud* Deus *eſſe credendus eſt, quamuis ipſe ſe eſſe ſimilem profiteatur.* In *uatibus profanis nos impios* Dodonæus *aut* Iuppiter *nominat, & ipſe dicetur* Deus, *atque in ordine computabitur numinum? qui aut ſummo ſeruientibus regi crimen impietatis affingit, aut ſibi torquetur maieſtatem eius, cultumq; præponi?* Delius Apollo, *uel clarius, didymæus, phileſius, pythius & is habendus diuinus eſt? qui aut ſummum* Imperatorem *neſcit, aut ignorat à nobis quotidianis ei precibus ſupplicari: qui ſi pectorum ſecreta neſciret, nec quid in intimis ſenſibus contineamus, agnoſceret: ſummum tamen inuocare nos deum, et ab eo quod poſtulamus orare, uel auribus potuit ſcire, uel ipſius uocis ſono, qua utimur in precibus, noſcitare.* Nondum *eſt locus ut explicemus om-*

nes iſtos, qui nos damnant, qui ſint, uel unde ſint: quantũ poßint, uel nouerint: cur ad Chriſti paueant mentionem, diſcipulos cur eius inimicos habeant & inuiſos: quod tamen humanum pollicentibus ſenſum una pariter defini tione figamus, nihil ſumus aliud Chriſtiani, niſi magiſtro Chriſto ſummi regis ac Principis ueneratores: nihil, ſi conſideres, aliud inuenies in iſta religione uerſari. Hæc totius ſumma eſt actionis: hic propoſitus terminus diuinorum officiorum, hic finis, huic omnes ex more proſternimur, hunc collatis precibus adoramus, ab hoc iuſta, & honeſta, & auditu eius condigna depoſcimus: nõ quo ipſe deſideret ſupplices nos eſſe, aut amet ſubſterni tot millium uenerationem uidere: utilitas hæc noſtra eſt, & commodi noſtri rationem ſpectans. Nam quia proni ad culpas, & ad libidinis uarios appetitus uitio ſumus infirmitatis ingenitæ, patitur ſe ſemper noſtris cogitationibus concipi: ut dum illum oramus, & mereri eius contendimus munera, accipiamus innocentiæ uoluntatem, & ab omni nos labe delictorum omnium amputatione purgemus. Quid dicitis ô ſacri diuiniq́; interpretes iuris? meliorisne ſunt cauſæ, qui Grundules adorant lares, Aios locutios, Libentinos, quàm ſumus nos omnes qui Deum colimus rerum patrem, atq́ue ab eo depoſcimus rebus feßis languentibusq́; tutamina? Et illi cati, ſapientes, prudentißimi uobis uidentur, nec reprehenſionis ullius, qui Faunos, qui ſtatuas, ciuitatũq́; genios, qui Pauſos reuerentur atq́; Bellonas. Nos hebetes, ſtolidi, fatui, obtuſi pronunciaumr & bruti: qui dedidimus nos deo, cuius nutu & arbitrio omne quod eſt, cõſtat, & in ſententia

tentiæ ſuæ perpetuitate defixum eſt. Hanccine ſententiam promitis? hanc legem conſtituitis? hanc promulgatis, ut honoribus afficiatur ampliſsimis quiſquis ueſtros adorauerit ſeruulos? crucem mereatur extremam quiſquis uobis ipſis dominis ſupplicarit? In ciuitatibus maximis, atq; in potentioribus populis ſacra publice fiũt ſcortis meritorijs quondam atque in uulgarem libidinẽ proſtitutis, nullus timor indignationis in dijs eſt. Templa felibus, ſcarabeis, & buculis ſublimibus ſunt elata faſtigijs: ſilent irriſæ numinum poteſtates, nec liuore afficiuntur ullo, quòd ſibi comparatas animantium uilium conſpiciunt ſanctitates. Nobis ſolis ſunt inimici, nobis aſperrimi Dij hoſtes, quia patrem ueneramur illorum, per quem, ſi ſunt, eſſe & habere ſubſtantiam ſui numinis maieſtatisq́; cœperunt: à quo ipſam deitatem (ut ita dicam) ſortiti eſſe ſentiunt, & in rerum numero recognoſcunt, cuius uoluntate & arbitrio, & interire, & ſolui, nec ſolui poſſunt, nec interire. Nam ſi omnes concedimus unum eſſe principem ſolum, quem nulla res alia uetuſtate temporis antecedat, poſt illum neceſſe eſt cuncta & nata eſſe & prodita, & in ſui nominis proſiluiſſe naturam. Quod ſi fixum & ratum eſt, erit nobis conſequens confiteri, & deos eſſe natiuos, & à principe rerum fonte ortus ſui originem ducere. Qui ſi ſunt natiui, & geniti, & interitionibus utiq; periculisq́; uicini. At enim eſſe creduntur immortales, perpetui, & nullius unquam participes finis. Ergo iſtud munus dei patris & donum eſt, ut infinita meruerint idem eſſe per ſæcula, cũ ſint labiles ſolubilesq́; natura. Atq; utinam daretur in unius ſpeciem concionis

toto orbe contracto oratione hac uti, & humani in generis audientia collocari. Ergone impiæ religionis ſumus apud uos rei, & quòd caput rerum & columen uenerabilibus adimus obſequijs, ut conuitio utamur ueſtro, infauſti & athei nuncupamur? Et quis magis rectius horum ferret inuidiam nominum, quàm qui alium præ hoc Deum, aut nouit, aut ſciſcitatur, aut credit? Nonne huic omnes debemus hoc ipſum primum quòd ſumus? quòd eſſe homines dicimur? quòd ab eo uel miſsi, uel lapſi cæcitate, hoc in corpore continemur? Non quòd incedimus, quòd ſpiramus & uiuimus, ab eo ad nos uenit? uiq; ipſa uiuendi efficit nos eſſe, & animali agitatione motari? Nonne ab hoc effluunt cauſæ, per quas noſtra fulcitur ſalus uariarum munificentia uoluptatum? Mundus iſte in quo degitis, cuius eſt? aut quis eius uobis attribuit fructū poſſeſsionemq; retinere? Quis, ut ſubiectas res cernere, ut contrectare, ut conſiderare poſſetis, publicum illud lumen dedit? Quis, ne fixa pigritiæ ſtupore torpeſcerent elementa uitalia, ſolis igneis conſtituit ad rerum incrementa futuros? Solem Deum cum eſſe credatis, conditorem eius, opificemq; non quæritis? Luna cum apud uos dea ſit, non ſimiliter ſcire curatis genitor eius & fabricator quis ſit? Nonne cogitatio uos ſubit conſiderare, diſquirere, in cuia poſſeſsione uerſemini? cuia in re ſitis? cuius iſta ſit, quam fatigatis terra? cuius aer iſte, quem uitali reciprocatis à ſpiritu? cuius abutamini fontibus? cuius liquore? quis uentorum diſpoſuerit flamina? quis undoſas excogitauerit nubes? quis ſeminum frugiferas poteſtateis rationum proprietate diſtinxerit? Apollo

nobis pluit, Mercurius nobis pluit? Aeſculapius, Hercules, aut Diana rationem imbrium, tempeſtatumq; finxerunt? Et hoc fieri qui poteſt, cum in mundo profiteamini eos natos, certoq; tempore ſenſum arripuiſſe uitalem? Si enim temporis antiquitate mundus eos anteuenit, & priuſquam nati ſunt, iam nouerat pluuias tempeſtatesq; natura, nullum ſerius nati pluendi ius habent, neq; eis inſerere rationibus ſe poſſunt, quas inuenerunt hic agi, & maiore ab autore tractari. O maxime, ô ſumme rerũ inuiſibilium procreator. O ipſe inuiſe, & nullis unquam comprehenſe naturis, dignus, dignus es uere (ſi modo te dignum mortali dicendum eſt ore) cui ſpirans omnis intelligensq; natura, & habere & agere nunquam deſinat gratias: cui tota conueniat uita genu nixo procumbere, & continuatis precibus ſupplicare. Prima enim tu cauſa es, locus rerum, ac ſpacium, fundamentum cunctorum quæcunq; ſunt, infinitus, ingenitus, immortalis, perpetuus, ſolus, quem nulla deliniat forma corporalis, nulla determinat circumſcriptio qualitatis, expers quantitatis, ſine ſitu, motu, & habitu, de quo nihil dici & exprimi mortalium poteſt ſignificatione uerborum: qui, ut intelligaris, tacendum eſt, atq;, ut per umbram te poſſit errans inueſtigare ſuſpitio, nihil eſt omnino mutiendum. Da ueniam rex ſumme tuos perſequentibus famulos: & (quod tuæ benignitatis eſt proprium) fugientibus ignoſce tui nominis et religionis cultum. Non eſt mirum ſi ignoraris: maioris eſt admirationis ſi ſciaris: niſi forte audet quiſquã, hoc enim furioſe reſtat inſaniæ, ambigere, dubitare, an ſit iſte Deus, an non ſit: explorata fidei

dei ueritate, an rumoris caſsi opinatione ſit creditus. Audimus enim quoſdam philoſophandi ſtudio deditos, partim ullam negare uim eſſe diuinam, partim an ſit quotidie quærere: alios caſibus fortuitis, & concurſionibus temerarijs ſummam rerum conſtruere, atq; diuerſitatis impetu fabricari: cum quibus hoc tempore nullum nobis omnino ſuper tali erit obſtinatione certamē. Aiunt enim ſana ſentientes, cōtradicere rebus ſtultis ſtultitiæ eſſe maioris. Sermo cum his nobis eſt, qui diuinum eſſe conſentientes genus de maioribus dubitant, cum ijdem eſſe plebeia atq; humiliora fateantur. Quid ergo, res tantas argumentis nitemur atq; elaborabimus obtinere? Diſcedat hæc longe, atq; à nobis procul, procul inquam (ut dicitur) aberuncetur amentia. Ita eſt enim periculoſum argumentis aggredi deum principem comprobare, quàm ratione huiuſmodi eſſe illum, uelle cognoſcere. Nec quicquam refert, aut diſcrepat, utrumne neget illum, an aſſeras, atq; exiſtere fatearis: cum in eadem culpa ſit, et aſſertio talis rei, & abnegatio refutatoris increduli. Quiſquam ne eſt hominum, qui non cum iſtius principis notione diem primæ natiuitatis intrauerit, cui non ſit ingenitum, non affixum, imò ipſis penè in genitalibus matris non impreſſum, non inſitum, eſſe regem ac Dominū, cunctorum quæcunque ſunt moderatorem? Ipſa denique hiſcere ſi animantia muta potuiſſent: ſi in linguarum noſtrarum facilitatem ſolui, immo ſi arbores, glebæ, ſaxa, ſenſu animata uitali uocis ſonitum quirent & uerborū articulos integrare, ita non duce natura, & magiſtra, nō incorruptæ ſimplicitatis fide, & intelligerent eſſe Deum,

um, & cunctorum dominum ſolum eſſe clamarent? Sed fruſtra, inquit, nos falſo, & calumnioſo inceßitis & appetitis crimine: tanquam eamus inficias eſſe Deum maiorem: cum à nobis & Iuppiter nominetur, & optimus habeatur & maximus: cumq; illi auguſtißimas ſedes, & capitolia conſtituerimus immania. Dißimilia copulare, atq; in unam ſpeciem cogere inducta confuſione conamini. Nam Deus omnipotens mente una omnium, & communi mortalitatis aſſenſu, neq; genitus ſcitur, neq; nouã in lucem aliquando eſſe prolatus, nec ex aliquo tempore cœpiſſe eſſe, uel ſæculo. Ipſe eſt enim fons rerum, ſator ſæculorum ac temporum. Non enim ipſa per ſe ſunt, ſed ex eius perpetuitate, perpetua, & infinita ſemper continuatione procedunt. At uero Iuppiter (ut uos fertis) & patrem habet & matrem, auos, auias, fratres: nunc nuper in utero matris ſuæ formatus, abſolutus menſibus & conſummatus decem, ignotam ſibi in lucem ſenſu irruiſſe uitali. Ergo, ſi hæc ita ſunt. Iuppiter eſſe Deus quî poteſt? cum illum eſſe perpetuum conſtet, & perhibeatur alter à uobis, & dies habuiſſe natales, & pauefactus re noua lamentabilem extuliſſe uagitum? Sed ſint (ut uultis) unum, nec in aliqua ui numinis, & maieſtate diſtantes: ec quid ergo iniuſtis perſequimini nos odijs? Quid, ut ominis peßimi, noſtri nominis inhorreſcitis mentione? ſi, quem Deum colitis, eum & nos? aut quid in eadem cauſa uobis eſſe contenditis familiares deos: inimicos atq; infeſtißimos nobis? Etenim, ſi una religio eſt nobis uobiſq; communis, ceſſat ira cœleſtium: ſin nobis infeſti ſunt ſolis, manifeſtũ eſt neſcire, & uos, & illos deum: quem Io-
uem

uem non eſſe ipſis clarum eſt indignationibus numinum. Sed non(inquit) iccirco dij uobis infeſti ſunt, quòd omnipotentem colatis Deum: ſed quòd hominem natum, & (quod perſonis infame eſt uilibus) crucis ſupplicio interemptum, & Deum fuiſſe contenditis, & ſupereſſe adhuc creditis, & quotidianis ſupplicationibus adoratis. Si uobis iucundum eſt amici, ediſſertate quinam ſint hi dij, qui à nobis Chriſtum coli, ſuam credant ad iniuriam pertinere? Ianus Ianiculi conditor? & ciuitatis Saturniæ Saturnus auctor? Fauna, fatua Fauni uxor? bona dea quæ dicitur, ſed uino meliori, & laudabiliori potu? Indigetes illi, qui flumen repunt, & in alueis Numici cum ranis et piſciculis degunt? Aeſculapius, & Liber pater, Coronide ille natus, ex genitalibus matris alter fulmine præcipitatus? Mercurius utero fuſus Maiæ? & (quod eſt diuinius) candidi arquitenentes Diana & Apollo, circumlati per fugas matris, atq; in inſulis errantibus uix tuti? Dionea Venus proles, uiri materfamilias Troici, atque inteſtini decoris publicatrix? in Trinacriæ finibus Ceres nata, atque in floribus legendis occupata Proſerpina? Thebanus, aut Tyrius Hercules, hic in finibus ſepultus Hiſpaniæ, flammis alter concrematus œtæis? Tyndaridæ Caſtores, equos unus domitare conſuetus, alter pugillator bonus, & crudo inexuperabilis ceſtu, ignes & fulgores marini, & ouorum progenies dij? Syriapis Peloponeſi proditus, & in Aegypto Serapis nuncupatus? Aethiopicis ſolibus Iſis furua mœrens perditum filium, & membratim coniugem lancinatum? Præterimus, & trāſgredimur Opis ſoboles regias: quas in libr. auctores

ueſtri

ueſtri,quæ fuerint,& quales,uobis ediſcentib. prodide-runt.Hinc ergo Chriſtum coli,et à nobis accipi,et exiſti-mari pro numine uulneratis accipiunt auribus? & obliti pauloante ſortis fuerint & cõditionis cuius,id,quod ſibi conceßum eſt,impertiri alteri nolunt? Hæc eſt iuſtitia cœ litum? hoc deorũ iudicium ſanctũ? Nõne iſtud liuoris eſt atq; auaritiæ genus? Non *obtrectatio quædã ſordens,ſuas eminere tãtummodo uelle fortunas, aliorũ res premi, & in cõtempta humilitate calcari?* Natum *hominẽ colimus. Quid enim, uos hominẽ nullum colitis natum?* Non *unũ, et alium? nõ innumeros alios? quinimmo nõ omnes, quos iam templis habetis ueſtris,mortaliũ ſuſtuliſtis ex nume-ro, & cœlo ſyderibusq; donaſtis? Si enim forte uos fugit ſortis eos humanæ, & cõditionis fuiſſe cõmunis: replica te antiquißimas literas,& eorum ſcripta percurrite,qui uetuſtati uicini,ſine ullis aſſentationib. cuncta ueritate in liquida prodiderũt. Iam profecto diſcetis, quibus ſinguli patribus: quibus matrib. fuerint procreati, qua innati re gione,qua gente,quæ fecerint,egerint,pertulerint, acti-tarint, quas in rebus obeundis aduerſorum ſenſerint, ſe-cundantiumq; fortunas. Sin autẽ ſcientes uteris eſſe geſta tos,& frugibus eos uictitaſſe terrenis,nihilominus tamẽ nati hominis obiectatis cultũ: res agitis ſatis iniuſtas,ut id in nobis conſtituatis eſſe damnabile, quod & ipſi uos fa-ctitatis: aut,quæ uobis licere permittitis, conſimiliter a-lijs licitum eſſe nolitis. Sed concedamus,interdum manũ ueſtris opinationibus dantes, unũ Chriſtum fuiſſe de no-bis,mẽtis,animæ, corporis,fragilitatis, & cõditionis u-nius: nonne dignus à nobis eſt tantorum ob munerũ gra*

tiam deus dici, deuſq; ſentiri? Si enim uos Liberum, quòd uſum repererit uini, ſi, quòd panis, Cererem, ſi Aeſculapium, quòd herbarū, ſi Mineruam, quòd oleæ, ſi Triptolemū, quòd aratri, ſi deniq; Herculem, quòd feras, quòd fures, quòd multiplicium capitum ſuperauit cōpeſcuitq; natrices, diuorum retuliſtis in cœtum: honoribus quantis afficiēdus eſt nobis, qui ab erroribus nos magnis inſinuata ueritate traduxit: q uelūt cæcos paſſim, ac ſine ullo rectore gradiētes, ab deruptis, ab deuijs, locis planioribus reddidit: Qui, quod frugiferū primo atq; humano generi ſalutare, Deus mōſtrauit quid ſit, quis, quātus, & qualis, qui profundas eius atq; inenarrabiles altitudines (quātum noſtra quiuit mediocritas) capere & intelligere permiſit et docuit: Qui, quo autore, quo patre mūdus iſte ſit conſtitutus & conditus, fecit benigniſſime ſciri: Qui natiuitatis eius exprompſit genus, & nullius aliquando cognitione præſumptam materiā illius. Vnde ignibus ſolis genitalis feruor aſcitur. Cur luna ſemper in motu indemnis creditur animalibus cauſis lucē ſemper atq; obſcuritatem reſumens. Animalium origo quæ ſit. rationes quas habeant ſemina. Quis ipſum finxerit hominem, quis informarit, uel ex materiæ quo genere cōſtructionē ipſam confirmauerit corporū. Quid ſit ſenſus, quid anima. aduolarit ne ad nos ſponte, an cum ipſis ſata ſit & procreata uiſceribus. mortis particeps degat, an immortalitatis perpetuitate donata ſit. Qui ſtatus nos maneat, cum diſſolutis abierimus à membris. Victurine nos ſimus, an memoriam nullam noſtri ſenſus & recordationis habituri. Qui arrogantiam conſtrinxit noſtram, et elatas ſupercilio

lio ceruices modum fecit ſuæ infirmitatis agnoſcere: Qui animãtia mõſtrauit informia nos eſſe, uanis opinionib. fidere: nihil cõprehẽſum habere, nihil ſcire, et quæ noſtros ſita ſunt ante oculos, nõ uidere: Qui (quod omnia ſuperauit, & tranſgreſſum eſt munera) ab religionib. nos falſis religionẽ traduxit ad uerã: Qui ab ſignis inertibus, atq; ex uiliſſimo formatis luto ad ſydera ſubleuauit & cœlũ: et cum domino rerum deo ſupplicationũ fecit uerba atq; orationum colloquia miſcere. Venerabar (ô cæcitas) nuper ſimulachra modo ex fornacibus prompta, in incudibus deos & malleis fabricatos, elephantorũ oſſa, picturas, ueternoſis in arboribus tænias: ſi quando conſpexeram lubricatum lapidem, & ex oliui unguine ordinatũ, tanquã ineſſet uis præſens, adulabar, affabar, & beneficia poſcebam nihil ſentiente de trũco: & eos ipſos diuos, quos eſſe mihi perſuaſeram, afficiebam contumelijs grauibus: cum eos eſſe credebam ligna, lapides, atq; oſſa, aut in huiuſmodi rerũ habitare materia. Nunc doctore tãto in uias ueritatis inductus, omnia iſta, quæ ſint, ſcio: digna de dignis ſentio, contumeliam nomini nullam facio diuino: & quid cuiq; debeatur, uel perſonæ, uel capiti, inconfuſis gradibus atq; authoritatibus tribuo. Ita ergo Chriſtus nõ habeatur à nobis deus? nec, qui omnium alioquin uel maximus poteſt excogitari, diuinitatis afficiatur cultu, à quo iamdudũ tanta & accepimus dona uiuẽtes, & expectamus, dies cũ uenerit, ampliora? Sed patibulo affixus interijt. Quid iſtud ad cauſam? Neque enim qualitas & deformitas mortis dicta eius immutat aut facta, aut eo minor uidebitur diſciplinarũ eius autoritas, quia uincu=

lis corporis non naturali diſſolutione digreſſus eſt,ſed ui illata deceſſit. Pythagoras Samius *ſuſpitione dominationis iniuſtæ uiuus concrematus in fano eſt: nũquid ea,quæ docuit,uim propriam perdiderũt, quia non ſpiritũ ſponte,ſed crudelitate appetitus effudit?* Similiter Socrates ciuitatis *ſuæ iudicio damnatus capitali affectus eſt pœna: nunquid irrita facta ſunt,quæ ſunt ab eo de moribus, uirtutibus, & officijs diſputata,quia iniuria expulſus è uita eſt? innumerabiles alij gloria, & uirtute,& exiſtimatione pollẽtes, acerbißimarum mortiũ experti ſunt formas:* ut Aquilius, Trebonius, Regulus: *nunquid idcirco poſt uitam iudicati ſunt turpes,quia non publica lege fatorum, ſed mortis aſperrimo genere lacerati,excruciatiq́; perierunt?* Nemo *unquã innocens male interẽptus infamis eſt: nec turpitudinis alicuius commaculatur nota,qui nõ ſuo merito pœnas graues,ſed cruciatoris perpetitur ſæuitatẽ.* Et *tamen ò iſti,qui hominẽ nos colere morte functum ignominioſa ridetis:nonne* Liberũ *et uos patrẽ membratim ab* Titanis *dißipatũ fanorum conſecrationi aptatis?* Nonne Aeſculapium *medicaminum repertorẽ,poſt pœnas,& ſupplicia fulminis, cuſtodẽ nũcupauiſtis & præſidem ſanitatis,ualetudinis,& ſalutis?* Nonne *ipſum* Herculem *magnum ſacrificijs, hoſtijs, & thure inuitatis incenſo? quem ipſi uos fertis uiuum arſiſſe poſt pœnas, & cõcrematum iu funebribus buſticetis?* Nõne *illum* Atym Phrygem *abſciſſum,& ſpoliatum uirũ magnæ matris in adytis deum propitiũ,deum ſanctum* Gallorũ *conclamatione teſtamini?* Nõne *ipſum* Romulum *patrẽ,* Senatorũ *manibus dilaceratũ ceutum, et* Quirinum *eſſe* Martium

dici-

dicitis, & ſacerdotibus & puluinaribus honoratis, et in ædibus adoratis ampliſsimis, & poſt hæc omnia cœlũ aſcendiſſe iuratis? Aut igitur ridendi et uos eſtis, qui homines grauiſsimis cruciatibus interemptos deos putatis, & colitis: aut, ſi certa eſt ratio, cur id uobis faciendum putetis: & nobis permittite ſcire, quibus iſtud cauſis, rationibusq; faciamus. Natum hominem colitis. Etiam ſi eſſet id uerum (locis ut in ſuperioribus dictũ eſt) tamen pro multis, & tam liberalibus donis, quæ ab eo profecta in nobis ſunt, Deus dici appellariq; deberet.. Cum uero deus ſit re certa, & ſine ullius rei dubitatiõis ambiguo, inficiaturos arbitramini nos eſſe, q̃ maxime illũ à nobis coli, & præſidem noſtri corporis nũcupari? Ergóne, inquiet aliquis furens, iratus, et percitus, deus ille eſt Chriſtus? Deus reſpõdebimus, & interiorum potentiarum deus: &, quod magis infidos acerbiſsimis doloribus torqueat, rei maximæ cauſa à ſummo rege ad nos miſſus. Poſtulabit forſitan inſanior et furioſior factus: an ſe ita res habeat, quemadmodum dicimus, comprobari. nulla maior eſt comprobatio quàm geſtarum ab eo fides rerum, quam uirtutũ nouitas: quàm omnia uicta decreta, diſſolutaq; fatalia, quæ populi genteſq; ſuo generis ſub limine nullo diſſentiente uidere: quæ nec ipſi audent falſitatis arguere, quorũ antiquas et patrias leges uanitatis eſſe pleniſsimas atq; inaniſsimæ ſuperſtitionis oſtẽdit. Occurſurus forſitan rurſus eſt cum alijs multis calumnioſis illis & puerilib. uocibus: magus fuit, clandeſtinis artibus omnia illa perfecit: Aegyptiorũ ex adytis angelorũ potentium nomina, & remotas furatus eſt diſciplinas. Quid dicitis ô paruuli, incomperta uo

 bis

bis, & neſcia temerariæ uocis loquacitate garriētes? Ergone illa, quæ geſta ſunt, dæmonū fuere præſtigiæ, & magicarū artium ludi? Poteſtis aliquē nobis deſignare, monſtrare ex omnibus illis Magis, qui unquā fuere per ſecula, conſimile aliquid Chriſto milleſima ex parte qui fecerit? qui ſine ulla ui carminū, ſine herbarū & graminum ſuccis, ſine ulla aliqua obſeruatione ſollicita ſacrorū, libaminū, temporū? Nō enim urgemus, & quærimus, quæ ſeſe ſpondeant facere, uel in quibus generibus actuū ſoleat omnis illorū doctrina et experientia cōtineri. Quis enim hos neſciat aut imminētia ſtudere prænoſcere, quæ neceſſario (uelint nolint) ſuis ordinationibus ueniūt? aut mortiferam immittere quibus libuerit tabem, aut familiarum dirūpere charitates: aut ſine clauibus reſerare, quæ clauſa ſunt: aut ora ſilētio uincire, aut in curriculis equos debilitare, incitare, tardare, aut uxoribus, & liberis alienis (ſiue illi mares ſint, ſiue fœminei generis) incōceſſi amoris flammas, & furiales immittere cupiditates? Aut ſi utile aliquid uideātur audere, nō propria ui poſſe, ſed eorum, quos inuocāt, poteſtate. Atqui conſtitit Chriſtū ſine ullis adminiculis rerum ſine ullius ritus obſeruatiōe, uel lege, omnia illa, quæ fecit, nominis ſui poßibilitate feciſſe. Et quod proprium, conſentaneum, dignum deo fuerat uero, nihil nocens, aut noxium, ſed opiferū, ſed ſalutare, ſed auxiliaribus plenū nobis poteſtatis munificæ liberalitate donaſſe. Quid dicitis ô iterū? ergo ille mortalis, aut unus fuit è nobis, cuius imperium, cuius uocem popularibus & quotidianis uerbis miſſam, ualitudines, morbi, febres, atq; alia corporū cruciamenta fugiebant? Vnus fuit è no-

è nobis,cuius præſentiam,cuius uiſum gens illa nequibat ferre merſorum in uiſceribus dæmonum, conterritaq; ui noua membrorũ poſſeßione cedebat? Vnus fuit è nobis, cuius fœdæ uitiligines iußioni obtẽperabãt pulſæ ſtatim, & concordiam colorũ cõmaculatis uiſceribus relinque bant? Vnus fuit è nobis,cuius ex leui tactu ſtabant proflu uia ſanguinis,& immoderatos cohibebãt fluores? Vnus fuit è nobis,cuius manus intercutes & ueternoſæ fugie= bant undæ,penetrabilis ille uitabat liquor,et turgẽtia ui ſcera ſalutari ariditate deflabant? Vnus fuit è nobis, qui claudos currere præcipiebat,et iã operis res erat: porri gere mancos manus,& articuli mobilitates iam ingeni= tas explicabant:captos mẽbris aſſurgere, et iam ſuos re= ferebãt lectos alienis pauloante ceruicibus lati:uiduatos uidere luminibus,& iam cœlum diemq; cenebant nullis cum oculis procreati? Vnus,inquam,fuit è nobis,qui de= bilitatib.uarijs,morbisq; uexatos centũ,aut hoc amplius ſemel una interceßione ſanabat? cuius uocẽ ad ſimplicẽ furibũda & inſana explicabant ſe maria? procellarũ tur bines tempeſtatesq; ſidebant? qui per altißimos gurgites pedem ferebat inlutum? calcabat ponti terga undis ipſis ſtupẽtibus in famulatum ſubeunte natura? qui ſequentiũ ſe millia quinq; ſaturauit quinq; panibus? ac, ne eſſe præ ſtigiæ incredulis illis uiderẽtur & duris, bis ſenarũ ſpor tarum ſinus reliquiarũ fragminib.aggerabat? Vnus fuit è nobis,qui redire in corpora iamdudũ animas præcipie bat efflatas? prodire ab aggeribus conditos? & poſt diẽ funeris tertium pollinctorum uelaminib.expediri? Vnus fuit è nobis,qui,quid ſinguli uoluerẽt, quid ſub obſcuris

cogitationibus cõtinerent, tacitorũ in cordibus peruidebat? Vnus fuit è nobis, qui cum unam emitteret uocem, ab diuerſis populis, & diſſona oratione loquentibus, familiaribus uerborum ſonis, & ſuo cuiq; utẽs exiſtimabatur eloquio? Vnus fuit è nobis, qui cum officia religionis certæ ſuis ſectatoribus traderet, mundum totũ repente complebat? quantusq;, et qui eſſet, reuelata nominis immenſitate monſtrabat? Vnus fuit è nobis, qui depoſito corpore innumeris ſe hominũ prompta in luce detexit? qui ſermonem dedit, atq; accepit, docuit, caſtigauit, admonuit? qui ne illi ſe falſos uanis imaginationibus exiſtimarent, ſemel, iterum, ſæpius familiari collocutione monſtrauit? qui iuſtiſſimis uiris etiam num impollutis, ac diligẽtibus ſeſe, nõ per uana inſomnia, ſed per puræ ſpeciem ſimplicitatis apparet? cuius nomen auditum fugat noxios ſpiritus? imponit ſilentiũ uatibus? haruſpices inconſultos reddit? arrogantium magorũ fruſtrari efficit actiones, non horrore (ut dicitis) nominis, ſed maioris licentia poteſtatis? Et hæc quidẽ ſummatim expoſita, nõ ea ratione protulimus, tanquã magnitudo facientis ſolis in his eſſet perſpicienda uirtutibus. Quãta ſint enim hæc, uel exilitates cuius reperirentur, & ludi, ſi traditum fuerit noſci, ex quibus ad nos regnis, cuius nominis miniſtrator aduenerit? Quæ quidem ab eo geſta ſunt, & factitata, non ut ſe uana oſtẽtatione iactaret, ſed ut homines duri, atq; incre duli ſcirent nõ eſſe, quod ſpondebatur, falſum: & ex operum benignitate, quid eſſet deus uerus, iam addiſcerẽt ſuſpicari. Simul & illud uolumus ſciri, cũ ſummatim (ut dictum eſt) enumeratio facta geſtorum eſt nõ ea ſolũ Chri-

ſtum

ſtum potuiſſe, quæ fecit, ſed conſtituta etiam exuperaſſe fatorum. Nam *ſi(ut liquet,& conſtat)debilitates,& corporum paßiones,ſurdi,manci, & muti, neruorũ contractio, & amißio luminis,fatalibus accidunt irroganturq́; decretis,& ſolus hæc* Chriſtus *correxit,reſtituit, atq; ſanauit:ſole ipſo eſt clarius potentiorem illum fuiſſe,quàm fata ſunt, cum ea ſoluit & uicit, quæ perpetuis nexibus, & immobili fuerãt neceßitate deuincta. Sed fruſtra,inquit neſcio quis,tantum arrogas Chriſto, cum ſæpe alios ſciamus,& ſcierimus deos, & laborantibus plurimis de diſſe medicinas,& multorũ hominum morbos ualitudines q́; curaſſe.* Non *inquiro,non exigo,quis deus,aut quo tempore,cui fuerit auxiliatus, aut quem fractum reſtituerit ſanitati:illud ſolũ audire deſidero,an ſine ullius adiunctione materiæ,id eſt medicaminis alicuius,ad tactũ morbos iuſſerit ab hominibus euolare:imperauerit,fecerit et emori ualetudinũ cauſam, & debiliũ corpora ad ſuas remeare naturas.* Chriſtus *enim ſcitur, aut admota partib. debilitatis manu, aut uocis ſimplicis iußione aures aperuiſſe ſurdorũ,exturbaſſe ab oculis cæcitates,orationem dediſſe mutis, articulorum uincula relaxaſſe, ambulatũ dediſſe cõtractis, uitiligines, querqueras,atq; intercutes morbos,omniaq́; alia ualetudinum genera,quæ humana corpora ſuſtinere neſcio quæ uoluit importuna crudelitas, uerbo ſolitus imperioq; ſanare.* Quid *ſimile dij omnes, à quibus opem dicitis ægris & periclitantibus latã?* Qui *ſi quando (ut fama eſt)nõnullis aut tribuere medicinam,aut cibum aliquẽ iuſſerunt capi,aut qualitatis alicuius ebibi potionem, aut herbarũ, & graminũ ſuccos ſu-*

perimponi inquietantibus cauſis, ambulare ceſſare, aut re aliqua, quæ officiat, abſtinere (quod eſſe nõ magnum, nec admirationis alicuius ſtupore condignum promptũ eſt, ſi uolueritis attendere) et medici etiam ſic curant animal humi natũ, nec confiſum ſcientiæ ueritate, ſed in arte ſuſpicabili poſitum, & coniecturarũ æſtimationib. nutãs. Nulla autem uirtus eſt medicaminibus amouere quæ noceant: beneficia iſta rerum, non ſunt curantiũ poteſtates: &, ut ſit laudabile ſcire, quæ quibus conueniat medicina, aut arte curari, locus huius laudis non in deo, ſed in homine conſtitutus eſt. Hunc enim nõ eſt turpe rebus extrinſecus ſumptis ualetudinem hominis feciſſe meliorẽ: indecorum deo eſt, non ipſum per ſe poſſe, ſed externarũ adminiculis rerum ſanitatẽ incolumitatẽq́; præſtare. Et quoniã beneficia ſalutis datæ aliorum numinũ comparatis, & Chriſti: quot millia uultis à nobis debilium uobis oſtendi, quot tabificis affectos morbis, nullam omnino retuliſſe medicinam? cũ per omnia ſupplices irent templa, cum deorum ante ora proſtrati, limina ipſa conuerrerẽt oſculis: cum Aeſculapium ipſum datorẽ (ut prædicant) ſanitatis, quoad illis ſuperfuit uita, & precibus fatigarent, & inuitarẽt miſerrimis uotis. Nonne alios ſcimus malis ſuis cõmortuos, cruciatib. alios cõſenuiſſe morborũ, perniciosius alios ſeſe habere cœpiſſe, poſtquã dies noctesq́; in continuis precibus, & pietatis expectatione triuerũt? Quid ergo prodeſt oſtendere unum, aut alterum fortaſſe curatos, cum tot millibus ſubuenerit nemo? & plena ſint omnia miſerorum, infeliciumq́; delubra? niſi forte dicatis, opẽ bonis ab dijs ferri, malorũ miſerias deſpici. At-

quì Chriſtus æqualiter bonis: malisq; ſubuenit:nec repulſus ab hoc quiſquã eſt, qui rebus auxiliũ duris contra impetũ poſtulabat iniuriasq; fortunæ.Hoc enim eſt propriũ dei ueri,potẽtiæq; regalis,benignitatẽ ſuam negare nulli, nec reputare quis mereatur,aut minime: cũ naturalis infirmitas peccatorem hominẽ faciat,non uoluntatis,ſed iudicationis electio.Dicere porrò meritis opem laborãtibus ab dijs ferri,hoc eſt in medio ponere,et dubitabile, quod aſſeras,facere: ut & ille, qui ſanus eſt factus,fortuito poßit uideri eſſe ſeruatus:& ille,qui non eſt,non meriti cauſa, ſed firmitate credatur ualetudinẽ expellere non potuiſſe diuina.Quid? quòd iſtas uirtutes,quæ ſunt à nobis ſummatim,nõ(ut rei poſcebat magnitudo)deprõptæ non tantum ipſe perfecit ui ſua, uerum(quod erat ſublimius) multos alios experiri,et facere ſui nominis cũ affectione permiſit.Nam cum uideret futuros uos eſſe geſtarum ab ſe rerum,diuiniq; operis derogatores,nequa ſub eſſet ſuſpicio magicis ſe artib.munera illa beneficiaq; largitum,ex immenſa illa populi multitudine,quæ ſuã gratiam ſectabitur admirãs, piſcatores, opifices ruſticanos, atq; id genus delegit imperitorũ, q per uarias gẽtes miſſi,cũcta illa miracula ſine ullis fucis atq; adminiculis perpetrarent. Verbo ille cõpeſcuit uerminantiũ membrorũ cruces,& illi uerbo cõpeſcuerunt furialiũ uermina paſſionum.Imperio ille uno exturbauit à corporibus dæmonas,& exanimatis ſuos reſtituit ſenſus:ſub eorũ portantes & illi ſe caſib. iußione nõ alia ſanitati & conſtantiæ reddiderũt.Ille notas albicantiũ uitiliginũ manu admota deterſit: liniamenta & hi corporum haud dißimili cõciliauere

liauere contactu. Vliginoſa *ille & turgentia uiſcera ſic= citatem iuſsit recuperare natiuam:et famuli eius hoc mo do ſtatuerunt errantes aquas, & à pernicie corporũ ſuos labi iuſſere per tramites. Ille ulcera oris immenſi, & re= cuſantia perpeti ſanitatem intra unius uerbi morã conti nuato frenauit à paſtu: et illi haud aliter contumaciã can ceris ſæui ad ſubeundam circatricẽ circunſcriptis euaga tionibus cõpulerunt. Inceſſum ille claudis dedit, uiſum lu minibus cæcis, interẽptos reuocauit ad uitam: nec minus & hi quoq; contractionẽ relaxauere neruorũ, luce ocu= los impleuere iam perdita & ab tumulis remeare defun ctos exequiarũ conuerſione iuſſerunt. Neq; quicquã eſt ab illo geſtum per admirationẽ ſtupentibus cũctis, quod nõ omne donauerit faciendũ paruulis illis & ruſticis, & eorum ſubiecerit poteſtati.* Quid dicitis ò mẽtes incredu *læ, difficiles, duræ? alicui'ne mortaliũ* Iuppiter *ille capito linus huiuſmodi poteſtatem dedit? Curionem, aut pontifi cem maximũ, quinimmo dialem (quod eius eſt) flaminem iſto iure donauit?* Non *dicam, ut mortuos excitaret, nõ ut cæcis reſtitueret lucem: nõ ut membrorũ ſitum eneruatis redderet, & diſſolutis: ſed ut puſtulã, reduuiã, papulam, aut uocis imperio, aut manus cõtrectatione cõprimeret.* Ergo *illud humanũ fuit, aut ex ore terrenis ſtercorib. in= nutrito tale potuit ius dari, talis licẽtia proficiſci, & non diuinum, & ſacrum? aut (ſi aliquam ſuperlationẽ res ca pit) pluſquã diuinum, & ſacrũ?* Nam *ſi facias ipſe, quod poßis, & quod tuis ſit uiribus potentatuiq; conueniens, admiratio nõ habet quod exclamet. id enim quod potue ris, feceris, & quod præſtare debuerit uis tua, ut potens*

eſſet

eſſet una, & ipſius qui operaretur, qualitas. Tranſcribere *poſſe in hominem ius tuum: & quid facere ſolus poſſis, fragiliſsimæ rei donare, & participare faciendũ, ſupra omnia ſitæ eſt poteſtatis, cõtinentisq; ſub ſeſe eſt rerum omnium cauſas, & rationum facultatumq; naturas.* Age *nunc ueniat, qui ſuper igneam zonam, magus interiore ab orbe* Zoroaſtres, *Hermippo ut aſſentiamur authori.* Bactrianus *& ille conueniat, cuius* Cteſias *res geſtas hiſtoriarum exponit in primo.* Armenius Hoſthanis *nepos & familiaris* Pamphylus Cyri, Apollonius, Damigero, *et* Dardanus, Velus, Iulianus, *&* Bæbulus, *& ſiquis eſt alius qui principatũ & nomẽ fertur in talib. habuiſſe præſtigijs: permittant uni ex populo in officiũ ſermonis dandi ora coarticulare mutorum, ſurdorũ auriculas reſerare, ſine luminibus procreatis oculorũ redintegrare naturas, & infrigentia olim membra ſenſus animasq; reducere. Aut, ſi ardua res iſta eſt, neq; alijs permittere talium poſſunt operum poteſtates, ipſi faciant, & cum ſuis ritibus faciant. quicquid malefici graminis nutricant terrarum ſinus, quicquid uirium cõtinet fremor ille uerborum, atq; adiunctæ carminũ neceſsitates, non inuidemus, adijciant, non interdicimus, colligãt.* Experiri *libet et recognoſcere, an cũ ſuis efficere dijs poſsint, quod ab ruſticis Chriſtianis iuſsionibus factitatum eſt nudis.* Deſiſtite *ô neſcij in maledicta cõuertere res tantas, nihil ei nocitura qui fecit, periculum allatura ſed uobis: periculum, inquã non paruulum, ſed in rebus eximijs, ſed in præcipuis conſtitutũ. Siquidem res anima precioſa eſt, nec ipſo ſe homini quicquid poteſt charius inueniri.* Nihil *(ut memini)*

magi-

magicum, nihil humanũ, præſtigioſum, aut ſubdolum, nihil fraudis, delicti in Chriſto derideatis: licet ex more atq; in laſciuiã diſſoluamini cachinnorum. Deus ille ſublimis fuit, deus radice ab intima, deus ab incognitis regnis, & ab omniũ principe Deus ſoſpitator eſt miſſus: quem neq; ſol ipſe, neq; ulla (ſi ſentiunt) ſydera, nõ rectores, nõ principes mũdi, nõ deniq; dij magni, aut, qui fingentes ſe deos genus omne mortalium territant, unde aut qui fuerit, potuerunt noſcere uel ſuſpicari: & merito exutus à corpore quod in exigui ſui circũferebat parte, poſtquã uideri ſe paſſus eſt, aut cuius eſſet magnitudinis, ſciri, nouitate rerum exterrita uniuerſa mundi ſunt elementa turbata, tellus mota cõtremuit, mare funditus refuſum eſt, aer globis inuolutus eſt tenebrarũ, igneus orbis ſolis tepefacto ardore deriguit. Quid enim reſtabat ut fieret, poſtquam Deus eſt cognitus is; qui eſſe iamdudũ unus iudicabatur è nobis? Sed non creditis geſta hæc. Sed qui ea conſpicati ſunt fieri, & ſub oculis ſuis uiderũt agi, teſtes optimi, certiſſimiq; autores, & crediderũt hæc ipſi, et credenda poſteris nobis haud exilibus cum approbationibus tradiderunt. Quinã iſti ſint fortaſſe quæritis gentes, populi, nationes, & incredulũ illud genus humanũ: quod niſi aperta res eſſet, et luce ipſa (quemadmodum dicitur) clarior, nunquã rebus huiuſmodi crudelitatis ſuæ cõmodarent aſſenſum. At nũquid dicemus illius temporis homines uſq; adeo fuiſſe uanos, mendaces, ſtolidos, brutos, ut, quæ nunquam uiderant, uidiſſe ſe fingerent? et quæ facta omnino non erant, falſis proderent teſtimonijs, ut puerili aſſertione firmarent? cumq; poſſent uobiſcum & unanimiter

uiue

uiuere, & inoffenſas dicere cōiunctiones, gratuita ſuſciperent odia, & execrabili haberentur in nomine? Quod ſi falſa (ut dicitis) hiſtoria illa rerū eſt, unde tam breui tēpore totus mundus iſta religione completus eſt? aut in unam coire qui potuerūt mentē gentes regionib. diſiūctæ? uentis, cœlo, cōuexionibuſq; dimotæ? Aſſeuerationib. illectæ ſunt nudis, inductæ in ſpes caſſas, & in pericula capitis immittere ſe ſponte temeraria deſperatione uoluerunt: cū nihil tale uidiſſent, quod eas in hos cultus nouitatis ſuæ poßit excitare miraculo. Imo quia hæc omnia & ab ipſo cernebāt geri, & ab eius præconibus, qui per orbem totum mißi beneficia patris & munera dis hominibuſq; portabant: ueritatis ipſius ui uictæ & dederunt ſe Deo: nec in magnis poſuere diſpēdijs membra uobis proijcere, & uiſcera ſua lanianda præbere. Sed conſcriptores noſtri mendaciter iſta promiſerunt, extulere in immenſum exigua geſta, & anguſtas res ſatis ambitioſo dilatauere præconio. Atqui utinā cuncta referri in ſcripta potuiſſent, uel quæ ab ipſo geſta ſunt, uel quæ ab eius præconibus pari iure & potētia terminata. Magis uos incredulos faceret uis tanta uirtutū, aut apprehēdere locū fortaſſe poſſetis (quod uideretur eſſe ſimillimū ueri) et incremēta rebus appoſita, et inditas ſcriptis et cōmentarijs falſitates. Sed neq; omnia cōſcribi, aut in aures omniū peruenire potuerūt geſta gentib. in ignotis, et uſum neſcientib. literarū: aut (ſiqua ſunt literis, cōſcriptionibuſq; mandata) maleuolentia dæmonū, quorū cura & ſtudiū eſt hanc intercipere ueritatē, & cōſimiliū his hominū interpolata quædā, et addita, partim mutata, atq; detracta uerbis,

ſyllabis

ſyllabis,literis,ut & prudentium tardarent fidem,& geſtorum corrumperent auctoritatē.Sed nunquā fuerit,his bene ut Chriſtus qui fuerit literarum teſtimonijs colligatur:cuius in id ſolum dimiſſa ſunt cauſa: ut ſi eſſe conſtiterit ea uera, quæ dicimus confeſſione omnium deus fuiſſe mōſtretur. Nō creditis ſcriptis noſtris,& nos ueſtris nō credimus ſcriptis.Falſa de Chriſto cōfingimus,& uos de dijs ueſtris inania & falſa iactatis. neq; enim cœlo deus aliquis lapſus eſt, aut ſuis res ueſtras cōmentatus eſt manib.aut ratione cōſimili noſtris rebus,et religionib.derogauit.Ab hominib.hæc ſcripta, et illa ſunt ab hominibus ſcripta mortalibus ediſſerta ſermonibus, & quicquid dicere de noſtris conſcriptoribus intēderitis, & de ueſtris hæc dicta paribus ſumite atq; habetote momentis.Vultis uera eſſe,quæ in ueſtris comprehēſa ſunt ſcriptis: et quæ in noſtris conſignata ſunt literis,confiteamini neceſſe eſt eſſe uera,Falſitatis arguitis res noſtras:& nos ueſtras arguimus falſitatis. Sed antiquiora (inqtis)noſtra ſunt,ac per hoc fidei et ueritatis pleniſſima.quaſi uero errorum non antiquitas pleniſſima mater ſit,& non ipſa pepererit res eas,quæ turpiſſimas dij notas ignominioſis cōcinnauerunt in fabulis. Ante millia enim annorū decem non potuerunt falſa & audiri, et credi?aut nō ſimillimū ueri eſt,fidem uicinis & finitimis, q̄ ſpatiorum ineſſe longinquitate diſtātibus? Teſtibus enim hæc,illa opinionib.aſſeruntur,& procliuius multo eſt, minus eſſe in recentibus fictionis, q̄ in antiqua obſcuritate ſubmotis. Sed ab indoctis hominibus, & rudibus, ſcripta ſunt, & idcirco non ſunt facili auditione credēda. Vide ne magis hæc fortior

cauſa

cauſa ſit, cur illa ſint nullis coinquinata mendacijs, mẽte ſimplici prodita,& ignara lenocinijs ampliare. Triuialis & ſordidus ſermo eſt. Nunquam enim ueritas ſectata eſt fucum, nec quod exploratum & certũ eſt circunduci ſe patitur orationis per ambitum longiorẽ. Collectiones, enthymemata, definitiones, omniaq; illa ornamẽta, quibus fides quæritur aſſertionis, ſuſpicantes adiuuãt, nõ ueritatis liniamẽta demonſtrant. Cæterum qui ſcit, quid ſit illud quod dicitur, nec definit, nec colligit, neq; alia ſectatur artificia uerborũ, quibus capi conſueti ſunt audiẽtes, & ad conſenſum rei circũſcriptionis neceßitate traduci. Barbariſmis, Solœciſmis, obſitæ ſunt, inqt, res ueſtræ, & uitiorum deformitate pollutæ. Puerilis ſane, atq; anguſti pectoris reprehenſio: quam ſi admitteremus, ut uera ſit, abijciamus ex uſibus noſtris quorundã fructuũ genera, quòd cum ſpinis naſcuntur, & purgamẽtis alijs, quæ nec alere nos poſſunt, nec tamen impediunt perfrui nos eo, quod principaliter antecedit, & ſaluberrimũ nobis uoluit eſſe natura. Quid.n. officit ô quæſo? aut quã præſtat intellectui tarditatẽ? utrúmne qd leue, an hirſuta cũ aſperitate promatur? inflectatur quod acui, an acuatur quod oportebat inflecti? aut qui minus id, quod dicitur, uerum eſt, ſi in numero peccetur, aut caſu, præpoſitione, participio, coniunctione? Pompa iſta ſermonis, & oratio miſſa per regulas concionibus, litibus, foro iudicijsq; ſeruetur, deturq;: illis immo, qui uoluptatũ delinimenta quærẽtes, omne ſuum ſtudium uerborũ in lumina contulerũt. Cum de rebus agitur ab oſtẽtatione ſubmotis, quid dicatur, ſpectandum eſt, non quali cum amœnitate dicatur: nec quid

L aures

aures cõmulceat, ſed quas afferat audientibus utilitates? maxime cum ſciamus etiam quoſdam ſapientiæ deditos, non tantum abieciſſe ſermonis cultũ, uerumetiã, cũ poſſent ornatius atq; uberius eloqui, triuialem ſtudio humilitatẽ ſecutos, ne corrũperent ſcilicet grauitatis rigorẽ, & ſophiſtica ſe potius oſtentatione iactarent. Enimuero *diſſoluti eſt pectoris in rebus ſerijs quærere uoluptatem: & cum tibi ſit ratio cum male ſe habẽtibus atq; ægris, ſonos auribus infundere dulciores, non medicinam uulneribus admouere.* Quanquã *(ſi uerum ſpectes) nullus ſermo natura eſt integer, uitioſus ſimiliter nullus.* Quænam *eſt enim ratio naturalis, aut in mundi cõſtitutionibus lex ſcripta, ut hic paries dicatur, & hæc ſella? cum neq; ſexus habeãt fœmininis generib. maſculinisq; diſcretos, neq; quiſquã docere doctiſſimus me poſſit ipſum hic, & hæc, quid ſint, aut cur ex his unum, ſexũ uirilẽ deſignet, fœmininis generib. id quod ſequitur applicet.* Humana *iſta ſunt placita, & ad uſum ſermonis faciendi nõ ſanè omnibus neceſſaria: nam & hæc paries forſitan, & hic ſella dici ſine ulla reprehẽſione potuiſſet, ſi ab initio ſic dici placuiſſet, et à ſequentib. ſeculis cõmuni eſſet in ſermocinatione ſeruatũ.* Et *tamẽ ô iſti, qui pollutas res noſtras uitiorũ criminamini: ſtribiligines & uos iſtas libris illis in maximis atque admirabilib. nõ habetis?* Nõne *aliud hæc utriã, aliud dicitis hos utres? cœlus, & cœlũ? non itẽ filus & filũ? non itẽ crocus, & crocũ? non item fretus, & fretũ? non item apud uos eſt poſitũ hoc pane, & hic panis? hic ſanguis, hoc ſanguen? candelabrũ & iugulũ ratione eadẽ iugulus & candelaber?* Nam *ſi ſingula nomina non poſſunt genera plura*

ra plura habere q̃ ſingula: neq; eadẽ poſſũt huius eſſe generis, et illius (genus enim tranſire genus in alterũ nõ poteſt) tam peccat qui genera maſculina fœmininis pronũciat legibus, q̃ ab eo peccatur, q articulos maſculinos fœmininis generib. anteponit. Atqui uos cõſpicimus & res maſculinas fœminine, & fœmineas maſculine, & quas eſſe dicitis neutras, & illo, & hoc modo ſine ulla diſcretione depromere. aut igitur nulla eſt culpa indifferenter his uti, et fruſtra nos dicitis Solœciſmorũ obſcœnitate deformes: aut ſi certũ eſt ſingula quibus debeãt rationibus explicari, in ſimilibus uitijs uos quoq; uerſamini: quamuis Epicados omnes, Cæſellios, Verrios, Scauros teneatis, & Niſos. Sed ſi deus, inquiunt, fuit Chriſtus, cur forma eſt in hominis uiſus? & cur more eſt interemptus humano? An aliter potuit inuiſibilis illa uis, et habens nullã ſubſtantiã corporalem, inferre & cõmodare ſe mundo, cõcilijs intereſſe mortalium, q̃ ut aliquod tegmen materiæ ſolidioris aſſumeret, quod oculorũ ſuſciperet iniectũ, & ubi ſe figere ineptiſſimæ poſſet contemplationis obtutus? Quis eſt enim mortaliũ, qui quæreret eum uidere, quis cernere, ſi talẽ uoluiſſet inferre ſe terris, qualis ei primigenia natura eſt? et qualẽ ſe ipſe in ſua eſſe uoluit uel qualitate, uel numine? Aſſumpſit igitur hominis formã, & ſub noſtri generis ſimilitudine potentiã ſuam clauſit, ut & uideri poſſet, & cõſpici: uerba faceret, et doceret: atq; omnes exequeretur res eas, propter quas in mundũ uenerat faciẽdas, ſummi regis imperio et diſpoſitiõe ſeruatis. Quid enim? dicitis, rex ſummus ea, quæ in mundo facienda eſſe decreuerat, ſine homine ſimulato non quibat efficere? ſi

oporteret ita fieri (quemadmodum dicitis) iſta fortaſſe fe ciſſet: quia nõ oportuit, aliter fecit. Quare iſto noluit, & illo genere noluit, latenter inuolutæ, & uix ulli compre henſibiles cauſæ, quas accipere fortaſſe potuiſſes ſi nõ eſ ſes iamdudum ad non accipiendũ paratus: et prius te for mares ad non credendi frontẽ, quàm tibi eſſet expoſitum id, quod noſſe atq; audire conquireres. Sed more eſt ho minis interemptus. non ipſe neq; enim cadere diuinas in res poteſt mortis occaſus: nec interitionis diſſolutione di labi id, quod eſt unum & ſimplex: nec ullarum partium congregatione compactũ. Quis eſt ergo uiſus in patibu lo pendere, quis mortuus eſt? homo, quẽ induerat, & ſe cum ipſe portabat. Incredibile dictũ eſt, & cæcis oſcuri tatibus inuolutũ. ſi uelis nõ cæcũ eſt, & ſimilitudini pro xime conſtitutũ, Si quo tempore Sibylla præſaga, oracu la illa depromens, fundebat ui (ut dicitis) Apollinis ple na ab impijs eſſet cæſa atq; interempta latronibus: nun quid Apollo diceretur in ea eſſe occiſus? ſi uates Helenus ſi Martius, alijq; ſimiliter uates hariolãtes eſſent uita & luce priuati: nũquid aliquis diceret lege eos humanitatis extinctos, qui illorum per ora loquentes, uias rerum po ſtulantibus explicabant? Mors illa, quã dicitis, aſſumpti hominis fuit, non ipſius: geſtaminis, non geſtantis: quam nec ipſam perpeti ſuccubuiſſet, tanta ſi nõ agenda res eſ ſet, & inexplicabilis ratio fati clauſis patefacienda my ſterijs. Quæ ſunt iſta inquies clauſa atque obſcura myſte ria, quæ nulli nec homines ſcire, nec ipſi, qui appellãtur, dij mundi parte queunt aliqua ſuſpitionis atq; opinatio nis attingere, niſi quos ipſe dignatus eſt cognitionis tãtæ

imper-

impertire muneribus,et in abditos receſſus theſauri interioris inducere. Vides .n. ſi nollet inferri ſibi à quoquam manus, ſumma illi fuiſſe cõtentiõe nitendũ ut hoſtes ab ſe ſuos,uel poteſtate uniuerſa prohiberet. Qui cæcis reſtituerat lumina, is efficere deberet,nõ poterat cæcos? q debilib. integritatẽ, is debiles reddere difficultati habuit,aut labori? q claudos faciebat incedere,is motus alligare mẽbrorũ neruorũ duritia neſciebat? qui extrahebat à tumulis mortuos,huic arduũ fuerat letũ cui uellet indicere? Sed q̃a fieri ratio ea, quæ fuerãt deſtinata, poſcebat: & hic in ipſo mũdo, nec modo q̃ geſtum eſt alio : inæſtimabilis illa atq; incredibilis lenitas iniurias in ſe hominũ, puerilibus pro ineptijs ducẽs manus in ſe porrigi ab immanib. paſſa eſt: duriſſimisq; latronib. nec imputandũ putauit quid illorũ deſignaſſet audacia, dũmodo ſuis oſtẽderet quid ab ſeſe expectare deberẽt. Cum enim de animarũ periculis multa,medelarũ cõtra inſinuator, magiſter atq; auctor, ad officiorũ conuenientiũ fines,ſuas leges & cõſtituta,direxit:non ſuperbiæ faſtũ cõminuit? non libidinũ extinxit flãmas? non hiatũ cõpreſſit auiditatis? non tela extorſit è manib. atq; omnia ſeminaria totius uitioſitatis abſcidit? Ipſe deniq; nõ lenis,nõ placidus,nõ acceſſu facilis,nõ familiaris affatu, nõ humanas miſerias indoleſcens, omnes omnino crucib. et corporalib. affectos malis unica illa benignitate miſeratus reddidit et reſtituit ſanitati? Quid ergo uos ſubigit,quid hortatur maledicere,cõuitiari, inexpiabiles cũ eo conſerere ſimultates? quẽ redarguere, quẽ tenere, nemo hominũ poſſit ullius facinoris in reatu? Tyrannos,ac reges ueſtros,qui poſtpoſito deorum metu do

paria ſpoliant populāturq; templorum: qui proſcriptio nibus & ſuis cædibus nudant nobilitatibus ciuitates: qui matronarum pudorem ac uirginum ui ſubruunt atq; eri piunt licentioſa, appellatis indigetes, atq; diuos: & quos odijs acrioribus cõueniebat à uobis carpi, puluinaribus, aris, templis, atq; alio mactatis cultu, ludorum et celebri tate nataliũ: necnon & illos omnes, qui cõſcriptione uo-luminũ multiformi maledictis mordacibus carpũt publi cos mores: qui luxurias, ac uitas ueſtras ſecant, urunt, di lacerãt: qui in temporis poſteri notas ſcriptorum perpe-tuitate prolatãt: qui matrimonia perſuadẽt habenda eſſe cõmunia: qui cum pueris cubitãt formoſis laſciuientibus nudis: qui pecudes uos eſſe, qui fugitiuos, qui exules, qui uiliſsimæ ſeruos notæ furioſos prædicãt & inſanos: admi rantes, plaudentes ad cœli ſuſtollitis ſydera: bibliotheca-rum reponitis in arcanis: quadrigis et ſtatuis munerami ni, & quantũ eſt in uobis uelut quadam æternitate dona tis immortalium teſtificatione titulorum: ſolum Chriſtũ conuellere, dilacerare, ſi poſsitis uultis, immo ſolũ ſi lice at beluarũ agreſtium ritu cruentis oribus mandere, com minutis cũ oſsibus tranſuorare: quodnam (quæſo) ob me ritum dicite, cuius ob peccati culpã, quid ab eo cõmiſſum eſt, quod tenorem inflecteret recti, & in odia uos aſpera furialibus ſtimulis cõcitaret? quia animarum ueſtrarũ cu-ſtodẽ ſe miſſum ſolo indicauit ab rege: quia uobis immor talitatẽ ferre, quam uos habere confiditis humanis pau-corum aſſeuerationib. ſuaſi. quod ſi eſſet apud uos certũ falſa illũ dicere, ſpes etiam uaniſsimas polliceri, nec ſic ui deo fuiſſe cauſam, cur eũ deberetis odiſſe, cur hoſtili ani-

maduer-

in aduerſione damnare, immo, ſi animus uobis clemẽs fuiſſet, & mitis, uel propter id ſolum eum deberetis amplecti quòd optabilia uobis ſponderet et proſpera: quòd bonarũ eſſet nuncius rerũ: quòd ea prædicaret, quæ nullius animum læderẽt: ſecurioris quinimmo expectationis impleret. At enim odio dignus *eſt, quòd ex orbe religiones expulit, quòd ad deorũ cultũ prohibuit accedi?* Ergo'ne *ille religionis extinctor, & impietatis auctor arguitur, qui ueram in orbe religionẽ induxit? qui hominibus cæcis, & reuera in impietate degẽtibus pietatis aperuit ianuas & cui ſe ſubmitterent, indicauit?* An *ulla eſt religio uerior, officioſior, potẽtior, iuſtior, quàm* Deum *principem noſſe, ſcire deo principi ſupplicare, qui bonorũ omnium ſolus caput, & fons eſt, perpetuarum pariter fundator & conditor rerum, à quo omnia terrena, cunctaq́; cœleſtia animãtur, motu irriganturq́; uitali: & qui ſi nõ eſſet, nulla profecto res eſſet, quæ aliquod nomen, ſubſtantiamq́; portaret?* Niſi *forte dubitatis an ſit iſte, de quo loquimur,* Imperator: *& magis eſſe* Apollinẽ *creditis,* Dianam, Mercurium, Martem. Da *uerum iudiciũ: et hæc omnia circunſpiciens, quæ uidemus, magis an ſint dij cæteri dubitabit, quàm in* Deo *cunctabitur, quem eſſe omnes naturaliter ſcimus: ſiue cum exclamamus ô deus, ſiue cũ illum teſtem conſtituimus improborũ, & quaſi nos cernat faciem ſubleuamus ad cœlum. Sed minoribus ſupplicare dijs homines uetuit. dij enim minores, q̃ ſint, aut ubi ſint, ſcitis? perſtrinxit uos aliquando ſuſpitio illorum aut mẽtio, ut merito feratis indigne abrogatos his cultus, & honoris imperitione uiduatos? quod ſi non mẽtis elatio, &*

typhus q appellatur à Græcis obſtaret,atq; officeret uobis,iamdudũ ſcire potuiſſetis:quid,aut quare prohibuerit fieri, intra fines quos ſtare religionẽ uoluerit ueram, quantum uobis periculũ naſceretur ex eo,quod putaretis obſequio,uel ex quibus malis emergeretis,ſi inſidioſo renunciaretis errori. Verum hæc omnia illuſtrius cõmemorabuntur & planius, cum ulterius prorſus fuerimus euecti. Monſtrabimus enim Chriſtum nõ impietatem docuiſſe nationes,ſed ab latronibus peßimis miſerorum hominum imprudentiã uindicaſſe.Non credimus,inquitis, uera eſſe quæ dicit.Quid enim,quæ uos negatis uera eſſe apud uos liquent, cum imminentia, & nondũ paſſa nullis poßint rationib.refutari?Sed & ipſe,quæ pollicetur, non probat.Ita eſt.Nulla enim(ut dixi)futurorum poteſt exiſtere cõprobatio. Cum ergo hæc ſit conditio futurorum,ut teneri & cõprehendi nullius poßint anticipationis attactu: nonne purior ratio eſt,ex duodus incertis,et in ambigua expectatione pendẽtibus, id potius credere, quod aliquas ſpes ferat,quàm omnino quod nullas?In illo enim periculi nihil eſt,ſi quod dicitur imminere,caßũ fiat et uacuũ,in hoc damnũ eſt maximũ (id eſt ſalutis amiſſio)ſi cum tempus aduenerit,aperiatur hoc fuiſſe mendacium.Quid dicitis ô neſcij, etiam fletu & miſeratione dignißimi?ita non extimeſcitis, ne forte hæc uera ſint,quæ ſunt deſpectui uobis,& præbent materiam riſus? nec ſaltem uobiſcũ ſub obſcuris cogitationib. uolutitis?ne quod hoc die credere obſtinata renuitis pueritate redarguat ſerum tempus,& irreuocabilis pœnitentia caſtiget?Nonne uel hæc ſaltem fidem uobis faciunt argumenta creden

di

di, quòd iam per omnes terras in tam breui tẽpore et par uo, immenſi nominis huius ſacramenta diffuſa ſunt? quòd nulla iam natio eſt tam barbari moris, et manſuetudinem neſciens, quæ nõ eius amore uerſa molliuerit aſperitatem ſuam, & in placidos ſenſus aſſumpta trãquillitate migra uerit? quòd tam magnus ingenijs præditi Oratores, *Grã matici,* Rhetores, *Conſulti iuris, ac Medici, philoſophiæ etiam ſecreta rimantes, magiſteria hæc expetunt, ſpretis quibus pauloante fidebant: quòd ab dominis ſe ſerui, cru ciatibus affici, quibus ſtatuerint, malunt, ſolui cõiuges ma trimonijs, exhæredari à parentibus liberi, quàm fidẽ rum pere Chriſtianam, & ſalutaris militiæ ſacramenta depo nere? quòd cum genera pœnarum tanta ſint à uobis pro poſita religionis huius ſequẽtibus leges, augeatur res ma gis, & contra omnes minas, atq; interdicta formidinum animoſius populus obnitatur, & ad credendi ſtudiũ pro hibitionis ipſius ſtimulis excitetur? nũquid hæc fieri paſ ſim & inaniter creditis, fortuitis incurſibus aſſumi has mentes?* Itane *iſtud non diuinũ, & ſacrum eſt, aut ſine deo eorum tantas animorũ fieri conuerſiones, ut cum carnifi ces unci, alijq; innumeri cruciatus (quemadmodum dixi mus) impendeant credituris, ueluti quadã dulcedine, atq; nectare ebrij cuncta cõtemnant?* O *ingratum & impium ſæculum, ô in priuatam perniciẽ incredibili pectoris ob ſtinatione pronum. Si aliquis ad uos medicus ex ſummo tis ueniſſet & nunquã uobis regionibus cognitis, medica men pollicẽs tale, quod à ueſtris corporibus omnia omni no prohiberet morborum et ualetudinum genera: nõ cer tatim blanditijs omnibus atq; honoribus fotũ familiaria*

 ſuſci

ſuſciperetis in mœnia? non illud medicaminis genus opta retis eſſe certiſsimũ,non uerũ, quod immunes uos fore ab tam innumeris uexationib.corporũ uſq; ad ultimos fines ſpõderet ætatis? & licet ambigua res eſſet, committeretis uos tamen,nec potionẽ incognitã dubitaretis haurire ſpe ſalutis propoſita, atq; amore incolumitatis incenſi. Elu-*xit,atq; apparuit Chriſtus rei maximæ nũciator, auſpiciũ fauſtũ portãs,et præconiũ ſalutare credentib. Quænã eſt iſta crudelitas,inhumanitaſq; tanta,quinimmo(ut uerius loquar) faſtidioſum ſupercilium, nunciatorẽ muneris & portitorẽ tanti,nõ tantum uerborũ maledictionib.ſcinde re,uerumetiam bello graui atq; omnibus perſequi telorũ effuſionib.& ruinis?* Non *placent ea quæ dicit, & cũ of-fenſionibus audiũtur à uobis, pro ludicris ea uaticinatio nibus cõportate:ſtolidiſsimas res loquitur, & fatua dona promittit:ridete ut ſapiẽtes uos uiri, & in ſuis erroribus fatuitatẽ relinquite uolutari. Quænam eſt hæc feritas (ut repetamus quæ dicta ſunt ſæpius) quæ libido tã carnifex, inexpiabile bellũ indicere nihil de te merito?* Dilacerare *ſi detur eũ uelle per uiſcera,qui non modo nullũ intulerit malũ nulli,ſed æqualiter benignus omnibus,docuerit,qd-nam his ſalutis deo portaretur à principe:quid eſſet facto opus, ut interitũ fugerẽt, & immortalitatẽ cõſequerẽtur ignotã? Cũq; nouitas rerũ, & inaudita promiſsio audien tium turbarẽt mentes,& credulitatẽ facerẽt hæſitare:uir tutũ omniũ dominus, atq; ipſius mortis extinctor homi-nem ſuũ permiſit interfici,ut ex rebus cõſequentib. ſcirẽt in tuto eſſe ſpes ſuas,quas iãdudũ acceperant de animarũ ſalute,nec periculũ mortis alia ſe poſſe ratione uitare.*

ARNO-

ARNOBII DISPVTATIONUM aduerſus Gentes Liber II.

HOC in loco tribui ſi ulla facultas poſſet, uellem cum his omnibus, quibus nomen inuiſum eſt Chriſti, ab instituta principaliter defenſione diuerticulo pauliſper facto talia uerba miſcere. Si nullam eſſe ducitis contumeliam reſpondere aliquid interrogatos, ediſſertate nobis, & dicite quid rei, quid cauſæ eſt, quòd tam grauibus inſectamini Chriſtum bellis? uel quas eius continctis offenſas, ut ad eius nominis mentionem rabidorum pectorum efferueſcatis ardoribus? Nunquid regiam ſibi uindicans poteſtatem, terrarum orbem cunctum legionibus infeſtiſsimis occupauit? & pacatas ab exordio nationes alias deleuit ac ſuſtulit, alias ſibi parere ceruicibus compulit ſubiugatis? Nunquid ardoribus auaritiæ flagrans uniuerſas opes illas, quibus ſe genus humanum ſtudioſe contendit impleri, poſſeſsionis ſuæ mancipio uindicauit? Nunquid libidinum cupiditatibus geſtiens pudicitiæ repagula ui fregit, aut alienis furtim inſidiatus eſt matrimonijs? Nunquid arrogantiæ ſupercilio tumidus iniurias & cõtumelias paſſim ſine ullius perſonæ diſcriminibus irrogauit: ut non omnium uirtutum amore correpti cognitas accipiant rationes, atque mundi omnibus rebus præponant amicitias Chriſti? Niſi forte obtuſi & fatui uidentur hi uobis, qui per orbem iam totum cõſpirant & coeunt in iſtius credulitatis aſſenſum. Quid ergo? uos ſoli ſapientiæ conditi atque intelligẽtiæ ui miera neſcio quid aliud uidetis, & pro

fundum?

fundum? ſoli eſſe nugas intelligitis hæc omnia, ſoli uerba & pueriles ineptias, ea quæ nobis promittimus principali ab rege uentura? Vnde (quæſo) eſt uobis tantum ſapientiæ traditum? unde acuminis, & uiuacitatis tantum? uel ex quibus ſcientiæ diſciplinis tantum cordis aſſumere, diuinationis tantum potuiſtis haurire? Quia per caſus, & tempora declinare uerba ſcitis, & nomina, quia uoces barbaras, ſolœciſmosq́; uitare, quia numeroſum, & inſtructum, compoſitumq́; ſermonem, aut ipſi uos noſtis efferre: aut incomptus cum fuerit, ſcire: quia fornicem Lucilianum, & Marſyam Pomponij obſignatum memoria continetis: quia quæ ſint in litibus conſtitutiones, quot cauſarum genera, quot dictionum, quid ſpecies, oppoſitum à contrario quibus rationibus diſtinguatur: iccirco uos arbitramini ſcire quid ſit falſum, quid uerum, quid fieri poßit, aut non poßit: quæ imorum, ſummorumq́; natura ſit? Nunquam ne illud uulgatũ perſtrinxit aures ueſtras, ſapientiam hominis ſtultitiam eſſe apud Deum? Primum & ipſi penitus perſpicitis uos ipſos, ſi quando de rebus diſceptatis obſcuris, & naturalia pergitis reſerare ſecreta, & ipſa, quæ dicitis, quæ aſſeueratis, quæ capitali plerũq; contentione defenditis, neſcire uos, & unũquenq; ſuſpitiones ſuas probatis & cõprehenſis pertinaci obluctatione tutari. Quid enim (ſi uerũ fateamur) etiam ſi omnia ſæcula in rerũ inueſtigatione ponantur, ſcire per nos poſſumus, quos ita cæcos, & ſuperbos neſcio qua res protulit, & cõcinnauit inuidia, ut cũ nihil ſciamus omnino: fallamus nos tamen, & in opinionẽ ſcientiæ ſub inflati pectoris tumore tollamur? Vt enim diui-

na

tia prætercam, & naturali obſcuritate res merſas, poteſt quiſquam explicare mortaliũ id, quod Socrates ille comprehẽdere nequit in Phædõe? homo quid ſit, aut unde ſit, anceps, uarius, mobilis, pellax, multiplex, multiformis, in quos uſus prolatus ſit, cuius ſit excogitatus ingenio, qd in mundo faciat, cur malorũ tanta experiatur examina? utrum illũ tellus uliginis alicuius cõuerſa putore, tanquã uermes animauerit, tanquam mures? an fictoris alicuius, & fabricatoris manu lineamenta hæc corporis, atq; oris acceperit formam? Poteſt, inquã, ſcire in medio hæc poſita, atq; in ſenſibus cõſtituta cõmunibus, quibus cauſis mergamur in ſomnos, quibus euigilemus, quibus modis fiant inſomnia, quib. uiſa, imò (quod ambigit in Theæteto Plato) uigilemus aliquando, an ipſum uigilare, quod dicitur, ſomni ſit perpetui portio? ecquid agere uideamur, inſomnium cum uidere nos dicimus? radiorũ, & luminis intentione uideamus, an rerum imagines aduolẽt, & noſtris in pupulis ſidant? utrũ ſapor in rebus ſit, an palati cõtagionibus fiat? quibus ex cauſis pili nigrorem ingenitum ponant, neq; omnes pariter, ſed paulatim adijciendo caneſcant? quid ſit quod humores uniuerſi unum corpus efficiant mixtione, ſolum oleum reſpuat immerſionem in ſe pati, ſed in ſuam naturam impenetrabile ſemper perſpicue colligatur? Ipſe deniq; animus, qui immortalis à uobis & deus eſſe narratur, cur in ægris æger ſit, in infantibus ſtolidus, in ſenectute defeſſus? delira & fatua & inſana quorũ infirmitas & inſcientia miſerabilis hoc magis eſt, quòd cũ fieri poßit ut ueri aliquid aliquando dicamus, et hoc ipſum nobis incertum, an ueri aliquid dixerimus. Et

quoniam

quoniam ridere noſtram fidem conſueſtis, atq; ipſam credulitatem facetijs iocularibus lancinare, dicite ô feſtiui, & meraco ſapientiæ tincti & ſaturi potu, eſtne operis in uita negocioſum aliquod atq; actuoſum genus, quod non fide præeunte ſuſcipiãt, ſumant, atq; aggrediãtur? an terris peregrinamini, nauigatis, non domũ uos credẽtes per actis negociationibus remeaturos? terrã ferro ſcinditis, atq; oppletis ſeminum uarietate, non credentes uos frugẽ percepturos eſſe uicibus temporarijs? coniugalia copulatis conſortia, non futura eſſe credentes caſta, & officioſi fœderis in maritos? liberorũ ſuſcipitis prolem, non incolumen credentes fore, & per gradus ætatis uenturam ſenectutis ad metas? ægritudines corporũ medicorum committitis manibus, nõ credẽtes morbos poſſe mitigata aſperitate leniri? bella cũ hoſtibus geritis, non uictoriã uos credentes præliorum ſucceßionibus relaturos? ueneramini deos, & colitis, nõ credentes illos eſſe, & propitias aures ueſtras ſupplicationibus accõmodare? Quid illa de rebus ab humana cognitione ſepoſitis, quæ cõſcribitis ipſi, quæ lectitatis, oculata uidiſtis inſpectiõe, & manibus tractata tenuiſtis? Nónne ueſtrũ quicũq; eſt, huic, uel illi credit Auctori? non quod ſibi perſuaſerit quis uerum dici ab altero, uelut quadã fidei aſtipulatione tutatur? qui cunctorum originem eſſe dicit ignem, aut aquam, non Thaleti, aut Heraclito credit? qui cauſam in numeris ponit, nõ Pythagoræ Samio, non Architæ? qui animam diuidit, & incorporales conſtituit formas, non Platoni Socratico? qui quintũ elementum principalibus applicat cauſis, non Ariſtoteli Peripateticorũ patri? qui ignẽ minatur mundo, &

uene-

uenerit cum tempus, arſurum, non Panætio, Chryſippo, Zenoni? qui indiuiduis corporibus mundos ſemper fabricatur & deſtruit, non Epicuro, Democrito, Metrodoro? qui nihil ab homine cōprehendi, atq; omnia cæcis obſcuritatibus inuoluta, nō Archeſilao, Carneadi? nō alicui deniq; academiæ ueteris, recentiorisq; cultori? Ipſi denique principes, & prædictarū patres ſententiarū, nónne ipſa ea quæ dicunt, ſuis credita ſuſpitionibus dicūt? Vidit enim Heraclitus res ignium conuerſionibus fieri? concretione aquarum Thales? Pythagoras numeros ſcit? incorporales formas Plato? indiuiduorum Democritus concurſiones? aut illi, qui autumant nihil poſſe omnino cōprehendi, an ſit uerum quod dicunt, ſciunt: aut ipſum, quod definiunt, ueritatis eſſe intelligunt pronunciatū? Cum igitur comperti nihil habeatis & cogniti, omniaq; illa, quæ ſcribitis, & librorū comprehēditis millibus, credulitate aſſeueretis duce: quænam hæc eſt iudicatio tam iniuſta, ut noſtram derideatis fidem, quā uos habere conſpicitis noſtra in credulitate cōmunem? Sed ſapientibus uos uiris omnibusq; inſtructis diſciplinarū generibus creditis. nempe illis, qui nihil ſciſcunt, nec pronūciant unū, qui pro ſuis ſententijs bella cum aduerſantibus conſerunt, & peruicacia ſemper digladiantur hoſtili: qui, cum alter alterius labefactant, deſtruunt, conuelluntq; decreta, cuncta incerta fecerunt, nec poſſe aliquid ſciri ex ipſa diſſenſione monſtrarunt. Sed faceſſant hæc, nihilq; impediāt, plurimum quo minus eis credere atq; auſcultare debeatis, et qd eſt, quod in hac parte, aut uos plurimum habeatis, aut nos minus? uos Platōi, uos Plotino, uos Numenio, uel cui libuerit creditis

ditis:nos credimus,et acquieſcimus Chriſto.Iniquitas hæc quãta eſt,ut cum utriq; auctoribus ſtemus, ſitq; nobis & uobis unũ & ſociũ credere:uobis uelitis dari,quod ita ab illis dicatur:accipe nos ea.quæ proſtrũtur à Chriſto,audi re et ſpectare nolutis? Atqui ſi cauſas cauſis,partes partib. uoluerimus æquare:magis nos ualemus oſtendere quid in Chriſto fuerimus ſecuti,quàm in philoſophis quid uos.Ac nos quidem in illo ſecuti hæc ſumus:opera illa magnifica, potentiſſimasq; uirtutes, quas uarijs edidit exhibuitq; mi raculis; quibus quiuis poſſet ad neceſſitatem credulitatis adduci, & iudicare fideliter non eſſe quæ fierent hominis,ſed diuinæ alicuius atque incognitæ poteſtatis: uos in philoſophis uirtutes ſecuti quas eſtis, ut magis uos illis q̃ nos Chriſto oportuerit credere? Quiſquã ue illorum aliquando uerbo uno potuit,aut unius imperij iuſsione:non dicam maris inſanias,aut tempeſtatum furores prohibere,compeſcere:non cæcis reſtituere lumina,aut ſine lumi nibus natis dare: nõ ad uitam reuocare defunctos:non an noſas diſſoluere paſsiones:ſed quod leuiſſimum multo eſt furunculum,ſcabiem,aut inhærentem ſpinulam callo una interdictione ſanare? Non quo illos negemus,aut morum integritate laudabiles,aut nõ omni genere ſtudiorum & diſciplinarum peritos:nam & uerbis eos luculentiſſimis ſcimus loqui & compoſitionibus fluere leuigatis: conclu dere acutiſſime ſyllogiſmo:ordinare ſequaciter inductio nes ſuas:reddere definitionibus formulas,partiri,diuidere:multa dicere de numerorum generibus: multa de mu ſicis:geometricas res etiã ſuis ſcitis,& perceptionib. explicare.Sed quid iſtud ad cauſam? nunquid Enthymema

ta

ta, Syllogiſmi, reſq; aliæ ſimiles ſcire illos ueritatem ſpondent: aut ea re digni ſunt, quibus neceſſario debeat rebus de obſcuriſsimis credi? Perſonarum cõtentio non eſt eloquentiæ uiribus. ſed geſtorum operum uirtute pendenda. Ille nõ eſt dicendus auctor bonus, qui ſermonẽ candidule prompſit: ſed qui, quod pollicetur, diuinorũ operum proſequitur ſponſione. Argumenta uos nobis, et ſuſpitionum argutias profertetis: quibus ipſe ſi Chriſtus (cum pace hoc eius, et cum uenia dixerim) populorũ in conuentibus uteretur: quis acquieſceret, quis audiret, quis eum promitteret aperte aliquid iudicare? aut quis caſſa & nuda iactantem (quãuis eſſet imprudens, & facilitatis ſtolidæ) ſequeretur? Virtutes ſub oculis poſitæ, & inaudita illa uis rerum, uel quæ ab ipſo fiebat palàm, uel ab eius præconib. celebrabatur in orbe toto: eas ſubdidit appetitionũ flammas, & ad unius credulitatis aſſenſum mente una concurrere gẽtes & populos fecit, & moribus diſsimillimas nationes. Enumerari enim poſſunt, atq; in uſum cõputationis uenire ea, quæ in India geſta ſunt, apud Seras, Perſas, & Medos: in Arabia, Aegypto, in Aſia, Syria, apud Galatas, Parthos, Phrygas: in Achaia, Macedonia, Epiro: in inſulis, & prouincijs omnibus, quas Sol oriens, atq; occidẽs luſtrat: ipſam deniq; apud dominã Romam, in qua cũ homines ſint Numæ regis artibus, atq; antiquis ſuperſtitionibus occupati, non diſtulerunt tamen res patrias linquere, & ueritati coaleſcere Chriſtianæ. Viderant enim curſum Simonis magi, & quadrigas igneas Petri ore diſſlatas, & nominato Chriſto euanuiſſe. Viderant, inquã, fidentem dijs falſis, & ab eiſdem metuẽtibus proditũ, pon-

dere præcipitatum ſuo.cruribus iacuiſſe præfractis: poſt deinde perlatũ Brundã,cruciatibus, et pudore deſeſſum, ex altiſsimi culminis ſe rurſum præcipitaſſe faſtigio: Quæ omnia uos geſta neq; ſcitis,neq; ſcire uoluiſtis:neq; unquã uobis neceſſaria iudicaſtis: ac dũ ueſtris fiditis cordibus, & quod typhus eſt ſapientiã uocatis,dediſtis circumſcriptoribus locum,illis inquã noxijs,quorum nomẽ intereſt obſoleſieri Chriſtianũ, ſuperfundendi caligines, atq; obſcurandi res tãtas,eripiendæ uobis fidei, ſubijciẽdiq; contemptus:ut,quia ſibi præſentiunt finem pro meritis immi nere,uobis quoq; immitterẽt cauſam, per quã periculum adire poſſetis,& uiduari benignitate diuina. Interea tamen ô iſti,qui admiramini,qui ſtupetis doctorũ & philoſophiæ ſcita:ita non iniuſtiſsimũ ducitis inequitare,illudere tanquã ſtulta nobis & bruta dicẽtibus:cum uel ea, uel talia reperiamini & uos dicere,quæ nobis dici pronũciariq; ridetis? Nec mihi cum his ſermo eſt,qui per uaria ſectarum diuerticula diſsipati, has atq; illas partes opinionum diuerſitate fecerũt. Vos uos appello, qui Mercuriũ, qui Platonẽ,Pythagoramq; ſectamini:uosq; cæteros, qui eſtis unius mentis,& per eaſdem uias placitorũ incediiis unitate. Audetis uidere nos, qui patrem rerũ, ac deũ ueneramur et colimus:quodq; illi dedamus et permittamus ſpes noſtras? Quid Plato ueſter in Theæteto(ut eũ potiſſimum nominem)nónne animo fugere ſuadet è terris: & circa illũ ſemper(quantũ fieri poteſt)cogitatione ac mente uerſari? Audetis ridere nos,quòd mortuorum dicamus reſurrectionem futuram? quã quidem nos dicere confitemur: ſed à uobis aliter, quàm ſentiamus, audiri. Quid in

Poli=

Politico idem Plato? nónne cũ mundus occeperit ab occi duis partibus exoriri, & in cardinẽ uergere qui orientis eſt ſolis, rurſus erupturos homines telluris è gremio ſcribit, ſenes, canos, decrepitos, & cũ anni cœperint accedere longiores, per eoſdem gradus, quibus hodie creſcitur, ad incunabula infãtiæ deſituros? audetis ridere nos, quòd animarũ noſtrarum prouideamus ſaluti, id eſt ipſi nobis? Quid enim ſumus homines, niſi animæ corporibus clauſæ? Vos enim non omnes pro illarũ geritis incolumitatib. curas? non quòd uitijs omnibus, et cupiditatibus abſtineatis: metus ille uos habet, ne, uelut trabalibus clauis affixi, corporibus hæreatis. Quid illi ſibi uolunt ſecretarũ artiũ ritus, quibus affamini neſcio quas poteſtates, ut ſint uobis placidæ, neq; ad ſedes remeantibus patrias obſtacula impeditionis opponant? Audetis ridere nos, cum gehennas dicimus, & inextinguibiles quoſdam ignes, in quos animas deijci ab earum hoſtibus, inimicisque cognouimus? Quid Plato idem ueſter in eo uolumine, quod De animæ immortalitate compoſuit? non Acherontem, nõ Stygem, non Cocytum fluuios, & Pyriphlegetontem nominat: in quibus animas aſſeuerat uolui, mergi, exuri? Et homo prudentiæ non prauæ, & examinis iudicijq; perpenſi rem inenodabilem ſuſcipit: ut cum animas dicat immortales, perpetuas, & corporali ſoliditate priuatas, puniri eas dicat tamen, & doloribus afficiat ſenſuum. Quis autem hominum non uidet quod ſit immortale, quod ſimplex nullum poſſe dolorem admittere? quod autem ſentiat dolorem, immortalitatẽ habere non poſſe? Nec tamẽ eius auctoritas plurimũ à ueritate declinat. Quãuis enim uir le

nis, & beneuolæ uoluntatis inhumanũ eſſe crediderit, cã pitali animas ſententia condemnari: nõ eſt tamen abſone ſuſpicatus iaci eas in flumina torrentia flammarũ globis, & cœnoſis uoraginibus tetra. Iaciuntur enim, & ad nihi lum redactæ, interitionis perpetuæ fruſtratiõe uaneſcũt. Sunt enim mediæ qualitatis (ſicut Chriſto auctore cõper tum eſt) & interire quæ poßint, deũ ſi ignorauerint, uitæ & ab exitio liberari, ſi ad eius ſe minas, atq; indulgen tias applicarint. & ut quod ignotũ eſt pateat, hæc eſt ho minis mors uera, hæc nihil reſiduũ faciens. nam illa, quæ ſub oculis cernitur, animarum eſt à corporibus dijugatio non finis abolitionis extremus. hæc, inquam, eſt hominis mors uera, cum animæ neſcientes deũ perlongißimi tem poris cruciatu conſumuntur ignifero, in quem illas iaciunt quidam crudeliter ſæui, & ante Chriſtum incogniti, & ab ſolo ſciẽte detecti. Quare nihil eſt quod nos fallat, nihil quod nobis polliceatur ſpes caſſas, quod à nouis qui buſdam dicitur uiris, & immoderata ſui opinione ſubla tis, animas immortales eſſe, deo rerum, ac principi gradu proximas dignitatis, genitore illo ac patre prolatas, diui nas, ſapiẽtes, doctas, neq; ulla corporis attrectatione con tiguas: quod quia uerũ & certũ eſt, & à perfecto ſumus inemendabili perfectione prolati, inculpabiles, & ideo irreprehenſibiles, uiuimus, boni, iuſti, & recti, uitioſitatis nullius rei, nulla cupiditas nos uincit, nulla libido deho neſtat, uirtutum omnium ſeruamus atq; integramus teno rem. Et quia uno ex fonte omnium noſtrum defluunt ani mæ, idcirco unũ conuenienſq; ſentimus: nõ moribus, non opinionibus diſcrepamus: Deũ omnes nouimus, nec quot

in

in orbe ſunt homines, ſunt ſententiæ totidem, neq; infinita uarietate diſcretæ. At dum ad corpora labimur et properamus humana, ex mundanis circulis ſequūtur nos cauſæ, quibus mali ſimus, & peßimis cupiditatib. atq; iracundia ferueamus, exerceamus in flagitijs uitam, & in libidinem publicam uenalium corporū proſtitutione damnemur. Et *quemadmodum ſe poſſunt incorporalibus corpora coniungere: aut à deo principe res factæ, ab infirmioribus cauſis ad uitiorum dehoneſtamēta traduci?* Vultis *homines inſtitutum, ſuperciliumq; deponere? qui deum uobis aſſciſcitis patrem, et cum eo cōtenditis immortalitatē habere uos unā, uultis quærere, perueſtigare, rimari, quid ſitis uoſipſi, cuius ſitis, cenſeamini quo patre, quid in mūdo faciatis, quanā ratiōe naſcamini, quo pacto proſiliatis ad uitā? uultis fauore depoſito cogitationib. tacitis peruidere animātia nos eſſe, aut cōſimilia cæteris, aut nō pluri ma differitate diſtantia?* Quid *eſt enim, quod nos ab eorū indicet ſimilitudine diſcrepare? uel quæ in nobis eminentia tāta eſt, ut animantiū numero dedignemur aſcribi?* Ex *oßibus illis fundata ſunt corpora, & neruorū colligatione deuincta: & nobis comparili ratione ex oßibus fundata ſunt corpora, & neruorum colligatione deuincta.* Au*ras accipiunt naribus, & per anhelitū reciprocatas reddunt: & nos ſpiritū conſimiliter ducimus, & reſpiramus cōmeatibus crebris.* Fœmininis *generibus, maſculiniſq; diſtincta ſunt: in totidē & nos ſexus noſtro ſumus ab auctore formati.* Edūt *per uteros fœtus, & corporalib. concilijs procreant: & nos corporum cōiugationibus naſcimur, & ex aluis fundimur, atq; emittimur, matrū cibo ſu*

 ſtenta-

ſtētamur & potu. Et illa ſuperfluas fœditates inferiorib. egerūt abijciuntq; poſticis: & nos cibo ſuſtētamur & potu, & quod natura iam reſpuit, per eoſdē effundimus tramites. Cura illis eſt omnibus famem prohibere mortiferam, et neceſſario inuigilare pro uictu: quid aliud nos tantis agimus in occupationib. uitæ, niſi ut ea quæramus, quibus famis periculū deuitetur, & infelix ſolicitudo ponatur? Morbos illa & inedias ſentiunt, & ad ultimū ſenectute ſoluuntur: quid enim nos immunes malis ab his ſumus, & non eadem ratione morborū incommoditatibus frangimur, & ſenectutis deſtruimur tabe? Quod ſi & illud eſt uerū, quod in myſterijs ſecretioribus dicitur, in pecudes atq; alias beluas ire animas improborū, poſtquam ſunt humanis corporibus exutæ: manifeſtius comprobatur uicinos nos eſſe, neq; interuallis longioribus diſparatos. Siquidem res eadem nobis & illis eſt una, per quam eſſe animantia dicitur, & motū agitare uitalem. Sed rationales nos ſumus, & intelligentia uincimus genus omne mutorum. Crederem iſtud uerißime dici, ſi cum ratione & conſilio cuncti homiues uiuerent, ſeruarent officiorum tenorem, abſtinerent ab illicitis, & ſi negotia turpia non adirent: neq; quiſquā prauitate conſilij, atq; ignorantiæ cæcitate contraria ſibimet atque inimica depoſceret. Vellem tamen ſcire quænam ſit hæc ratio, per quā ſumus potiores animaliū generibus cunctis: quia nobis domicilia fecimus, quibus poßimus hyemalia frigora, & æſtatis flagrātias euitare? quid animantia cætera huius rei prouidentiā non habent? nónne alia cernimus opportunißimis ſedibus nidulorū ſibi conſtruere manſiones? alia ſaxis &

rupibus

rupibus tegere & cõmunire ſuſpenſis? excauare alia telluris ſola, & in foßilibus foueis tutamina ſibimet & cubilia præparare? Quòd ſi miniſtras manus illas etiam donare parens natura uoluiſſet, dubitabile non foret, quin & ipſa conſtruerent mœniũ alta faſtigia, & artificioſa excuderent nouitate. Tamen in his ipſis, quæ roſtris atq; unguibus faciunt, multa ineſſe cõſpicimus rationis & ſapiẽtiæ ſimulacra: quæ homines imitari nulla meditatiõe poſſumus: quãuis ſint nobis opifices manus, atq; omni genere perfectionis artifices. Veſtem illa nõ norunt, ſellas, naues atq; aratra compingere: nec deniq; ſuppellectilem cæteram, quàm familiaris uſus expoſcit. Non ſunt iſta *ſcientiæ munera, ſed pauperrimæ neceßitatis inuenta. Neq; cũ animis artes cœli ex penetralibus ceciderunt: ſed exquiſitæ, & natæ ſunt in terris hic omnes, et cum proceſſu temporum paulatim meditatione cõflatæ. Quod ſi haberent ſcientias animæ, quas genus habere diuinum atq; immortale condignũ eſt: ab initio homines cuncti omnia ſcirẽt, nec ſeculum eſſet ullum, quod artis eſſet ignarũ alicuius, aut rerum experientia non paratum.* Nunc *uero inops uita, & multarum indigens rerũ, fortuita conſpiciens quædam commodule prouenire, dum imitatur, experitur, & tentat, dum labitur, reformat, immutat, ex aßidua reprehenſione paruas ſibi cõcinnauit ſcientiolas artium, & ad unum exitum temporibus plurimis cõmendatas perduxit. Quòd ſi homines penitus aut ipſos ſe noſſent, aut intellectum* Dei *ſuſpitionis alicuius acciperent aura, nunquam ſibi aſſciſcerent diuinam immortalemq; naturam: nec exiſtimarent quiddam magnificum ſe noſſe, quia ſibi*

craticulas, trullas, cæteraq́; fecerunt, quia ſubuculas, ſuppara, lenas, lacernulas, trabeas, cultros, loricas, & gladios, quia raſtra, ſecuriculas, uomerem. Nunquam inquam *crederent typho & arrogãtia ſubleuati, prima eſſe ſe numina, & æqualia principis ſummitati: qui grãmaticam, muſicam, oratoriam, pepererant, & geometricas formulas, in quibus artificijs quidnam inſit admirabile non uidemus: ut ex eorũ inuentione credatur eſſe animas potiores & ſole & ſyderibus cũctis, hunc totũ cuius membra ſunt hæc, mundum, & dignitate & ſubſtantia præterire. Quid enim aliud ſe ſpondent uel inſinuare poſſe, uel tradere, quàm ut regulas nominũ, differentiasq́; noſcamus? ut interualla in uocum ſonis, ut loquamur ſuadenter in litibus, ut terrarum continentias metiamur? Quæ ſi ſecum animæ diuinis ex regionibus attuliſſent, & eſſet neceſſarium ſcire, omnes ea iamdudum in omni orbe tractarent: neq; ullum hominũ reperiretur genus, quod non eſſet his omnibus æqualiter atq; uniformiter eruditum.* Nũc uero *in mũdo quotus quiſq; eſt muſicus, dialecticus, & geometres, quotus orator, poeta, grammaticus? ex quo apparet (ut ſæpius dictum eſt) inuenta hæc eſſe locorum neceßitate, ac temporũ: neq; diuinitus eruditas aduolaſſe huc animas: quòd neq; omnes doctæ ſint, neque diſcere omnes poßint, & ſint in his plurimæ acuminis obtuſioris, et tardi, & ad diſcendi ſtudium plagarũ coercitione cogãtur. quòd ſi ea, quæ diſcimus, reminiſcentias eſſe conſtaret (ut antiquis opinionibus ſcitũ eſt) conueniebat nos omnes ab una ueritate uenientes unũ noſſe, unũq́; reminiſci: nõ habere diuerſas, non plurimas, dißidentesq́; ſententias. nunc uero*

uero cum ſinguli aliud atq; aliud aſſeramus, manifeſtum & promptũ eſt, nihil nos attuliſſe de cœlo, ſed hic natos addiſcere, & ſuſpitionibus coalita uindicare. Et ut uobis *clarius manifeſtiusq; monſtremus cuius ſit pretij homo, quem ſimillimũ creditis potentiæ ſuperioris exiſtere, concipite animis hanc imaginem ueſtris, & quod fieri ſi aggrediamur poteſt, tanquã ſi ſimus aggreßi, ſimilitudinis aſſumptione teneamus.* Sit igitur nobis *tellure in effoſſa locus habitabilis formam cubilis efficiens, tecto, & parietibus clauſus: non algidus frigore, non feruens nimio calore: ſed ita temperatus, & medius, ut nec frigoris ſenſum, nec ardorem ualidum perpetiatur æſtatis.* In hunc ſonus *omnino nullius incidat uocis, non auis non beſtiæ, nõ tempeſtatis, non hominis, nõ deniq; fragoris alicuius, aut con crepantis terribiliter cœli.* Excogitemus deinde quemad*modum lumen accipiat, nõ ex illato igni, neq; ex ſole conſpecto, ſed notũ aliquid fiat, quod imaginẽ luminis caligine interpoſita mentiatur: ianua non una ſit, nec ſit introitus rectus: adeatur inflexionibus flexuoſis: nec recludatur aliquando, niſi cum neceſſaria ratio poſtularit.* Nunc quo*niam imagini præparauimus ſedẽ, accipiamus deinceps mox aliquẽ natum, & in loci illius hoſpitiũ, quod habeat rem nullam, & ſit inane ac uacuũ: platonica licet aut pythagorea progenie, aut horum alicuius, qui acuminis perhibentur fuiſſe diuini: aut ex deum reſpõſis ſapientißimi nuncupati.* Quod cũ *actum fuerit, nutriri ut debeat ſequitur, & alimonijs conuenientib. educari.* Adhibeamus igi*tur & nutricem, quæ ſemper ad eum nuda, ſemper ſilens accedat, uerbum nullum faciens, nec in ſermonẽ aliquem*

ora & labra diducat: ſed cum mammas dederit, & conſequentia ſuppleril officia, datum quieti linquat, & ante fores clauſas dies noctesq; continuet. Poſcit enim pleruncg; res, nutricias adeſſe curas, & obſeruare temporarios motus. At uero cum cœperit ſolidioribus cibis infans debere fulciri, nutrice inferatur ab eadem, ueſte (ut diximus) poſita, & tenore reticentiæ ſeruato. Ipſe autem, qui infertur cibus ſit unus atq; idē ſemper: nihil materia differens, nec per uarios redintegratus ſapores: ſed aut ſit ille de milio, aut ſit panis ex farre, aut (ut ſecula imitemur antiqua) ex cinere caldo glandes, aut ex ramis agreſtibus bacculæ. Potio autem uini ſit prorſus incognita, nec ſedandæ aliud ad moueatur ſiti, quàm liquor purus è fontibus caldore ignis intactus: & (ſi fieri potis eſt) manibus ſubminiſtratus cauis. Fiet enim familiaris è more conſuetudo in naturā uerſa? nec appetitio corrigetur, ulterius eſſe amplius neſciēs quod petatur. Quorſum igitur hæc ſpectant? ut, quoniam creditum eſt animas diuinas atq; adeo immortales eſſe, et ad hominum corpora diſciplinis cum omnibus aduolare, experiamur ex iſto, quem hoc genere uoluimus educari, capiátne res fidē, an ſit leuiter credita, & fruſtrabili expectatione præſumpta. Procedat igitur nobis ſolitudine in operta nutritus, quot uultis annos agens, uultis uicenarius? uultis tricenarius? immo cū annos fuerit quadraginta permenſus, mortalium cōcilijs inferatur: & ſi uerū eſt illum principalis eſſe ſubſtantiæ portionē & ex fontibus uitæ deriuatū hic agere, antequā notitiam rei ſumat alicuius, aut ſermone imbuatur humano, det reſponſum rogatus, quisnam ſit ipſe, aut quo patre, quibus ſit in regioni-

bus

bus editus, quo pacto, aut quânam ratione nutritus, quid operis aut negocij celebrãs anteacti temporis decurrerit æuitatem. Ita ille non omni pecore, ligno, ſaxo obtuſior, atq; hebetior ſtabit? non miſſus in res nouas, & nunquam ſibi ante cognitas, ipſum ſeſe eſſe ante omnia neſciturus? Poteritne (ſi quæras) ſol quid ſit oſtendere, terra, maria, ſydera, nubes, nebula, pluuiæ, tonitrua, nix, grando? Poterit arbores ſcire quid ſint, herbæ, aut gramina, taurus, equus, aut aries, camelus, elephantes, aut miluus? Eſurienti ſi dederis uuam, muſtacium, cæpe, carduum, cucumerem, ficum, ſciet poſſe ſedari omnibus ex his famẽ? aut quo genere ſingula eſſe debeant? Et ſibi ignem ſi plurimum feceris, aut uenenatas circũpoſueris beſtias, nõne ibit per medias flammas, uiperas, ſolifugas, eſſe noxias neſciẽs, & timere ipſum quid ſit ignorans? Iam uero ſi ueſtem, ſi ſupellectilem ponas in medio tam urbanam, q̃ ruſticam, eritne idem ut poſſit diſcriminare cui negocio res quæq; conueniat? cuius muneris accõmodata ſint uſui indicet? in quos habitus ueſtis, ſtragula facta ſit, mitra, ſtrophiũ, faſcia, puluinus, muccinium, lena, tunica, mantele, maſtruca, ſoccus, ſolea, calceus? Quid ſi adijcias rota qd ſit, aut tribula, uannus, doliũ, cupa, trapetum, uomis, aut cribrum, mola, buris, aut ſarculũ? Quid arquata ſi ſellula, acus, ſtrigil, polubrum, ſiliquaſtrũ, trulla, lancicula, candelabrũ, ſcopæ, ſcyphus, ſaccus? Quid ſi cithara, tibia, argentũ, æs, codex, radius, liber? Quid inſtrumenta ſi cætera, quibus uita ſuccingitur & cõtinetur humana? ita (ut diximus) ille nõ uobis ritu, aut aſini, porci, aut ſi ullũ eſt animal tardius, conſpiciet, & quidẽ formaturas uarias reſpectãs, et quæ ſint ſingula

gula neſciens, et quã in cauſam poßideantur ignorãs: non ne uocem, ſi fuerit neceßitate aliqua coactus emittere, ut ſolenne eſt mutis, inarticulatũ neſcio quid ore biante clamabit? Quid in Menone ô Plato quædam rationibus numeri admota ex puerculo ſciſcitaris? & ex eius niteris reſponſionibus comprobare, quæ diſcamus non diſcere, ſed in eorum memoriam, quæ antiquitus noueramus, redire? Qui ſi tibi uere reſpondet (nõ enim nos cõuenit fidem rebus abiudicare quas dicis) non rerũ ſcientia, ſed intelligentia ducitur: & ex eo, quòd aliquos numeros quotidianis habet ex uſibus notos, fit ut ſequatur rogatus, & ipſa illum ſemper multiplicationis adducat acceßio. Quod ſi uere cõfidis immortales huc animas, & plenas ſcientiæ peruolare, adoleſcentulũ iſtum rogare deſinito, quẽ eſſe conſpicis ignarũ rerum, & humanitatis eſſe in finibus conſtitutum. Quadragenariũ iſtum ad te uoca, & ex eo percõtare, non abſtruſum aliquid, non inuolutũ, non de triangulis, non de quadratis, quid ſit Dibus, aut Dynamus ſeſquioctauus, aut ſeſquitertius ultimus: ſed quod in medio ſitũ eſt, bis bina, bis terna, quam efficiãt ſummulam quærito. Volumus uidere, uolumus ſcire, quid rogatus reſpondeat, an inquiſitam expediat quæſtionem. Ita ille ſenſurus eſt, (quãuis ei pateant aures) an aliquid dicas, an aliquid quæras, an ab ſe reſponderi aliquid poſtules: & non ſtipes ut aliquis, aut Marpeſia (ut dictum eſt) rupes ſtabit elinguis & mutus? hoc ipſum ignorans & neſciens, ſecum potius an cum altero colloquaris, cũ altero ſermocineris, an ſecum: oratio ſit iſta, quã promis, an ſonitus uocis, nihil rerũ ſignificãs, ſed inani cõtinuatione pertractus? Quid dicitis

citis

citis ô uiri pluſquam ſatis eſt uobis ex aliena generoſitate tribuẽtes? hæccine eſt anima docta illa quã dicitis, immortalis, perfecta, diuina, poſt deum principẽ rerum, & poſt mentes geminas locũ obtinens quartũ, & affluens ex crateribus uiuis? Hic eſt ille precioſus, & rationib. homo auguſtiſsimis præditus, mundus minor qui dicitur, & totius in ſpeciem ſimilitudinis fabricatus, atq; formatus: nullo melior (ut apparuit) pecore, obtuſior ligno, ſaxo, qui neſciat homines, & in mutis ſemper ſolitudinibus degat, demoretur, iners ueluti puer, quamuis annis uiuat innumeris, & nunquã nodis corporeis eximatur. Sed cum ſcholas attigerit, & magiſtrorum fuerit inſtitutionibus eruditus, efficitur prudens, doctus, & quã nuper habuerat, imperitiã ponit. Et aſellus, & bos æque (uſu atq; aßiduitate cogẽte) diſcit arare ac molere: equus iugũ ſubire, & agnoſcere in curriculo flexiones: camelus ſeſe ſubmittere, ſiue cũ ſumit onera, ſiue cum ponit: colũba manumiſſa reuolare ad dominicas ſedes: canis cum inuenerit prædam cohibere & continere latratum: uerba Pſitacus & integrare, et nomina prorſus expromere. Sed ego cum audio neſcio quid præſtans animam dici, Deo uicinum & proximum, ſcientẽ huc omnia ſuperioribus aduentare de ſeculis: nolo illam diſcere, ſed docere: nec ex docta (ut dicitur) elementariam fieri: ſed retinentem res ſuas corporibus ſemet circumligare terrenis. niſi enim ſeſe habuerit res ita, diſcerni quî poterit utrum ne illud, quod audit, reminiſcatur, an diſcat? cum multo facilius credere, diſcere illam quod neſciat: quam oblitam, quod paulo ante ſciebat: & oppoſitu corporis amitti repetentiam priorũ. Et ubi eſt illud quod dici-

dicitur incorporalis anima ſubſtantiam nō habere? quod enim nullius eſt corporis: oppoſitione alterius nō impeditur, nec poteſt aliquid ſuaderi perdere id, quod nō poteſt tactum rei oppoſitæ ſuſtinere. Vt enim numerus in corporibus cōſtitutus (quamuis mille corporibus obruatur) intactus & inuiolabilis cōſtat, ita neceſſe eſt animas, ſi ſunt (ut perhibetur) incorporeæ, obliuionē priorū nullam pati: quāuis eas ſolidiſſimæ corporū circūligauerint iūctiones. Quid? quòd eadē ratio non tantum incorporeas indicat eas non eſſe, uerumetiā priuat immortalitate has omni, & ad fines applicat, quibus uita cōſueta eſt terminari. Quicquid enim cauſa ingruente nonnulla ita mutatur, & uertitur, ut integritatē ſuam retinere non poſſit: id neceſſe eſt iudicari natura eſſe paſſiuū. Quod autē eſt promptum atq; expoſitū paſſioni, corruptibile eſſe ipſa paſſibilitate interueniēte denūciatur. Ergo, *ſi & animæ perdunt omne quod nouerāt, corporalib. uinculis occupatæ, patiantur neceſſe eſt aliquid, quod eas efficiat obliuiōis induere cæcitatem.* Neq; *enim nihil omnino perpeſſæ, aut integritatē conſeruantes ſuam, poſſunt rerū ſcientiā ponere, aut in alios habitus ſine ſui mutabilitate trāſire.* Atq nos *arbitramur, quod eſt unū, quod immortale, quod ſimplex quacūq; in re fuerit, neceſſario ſemper ſuam retinere naturam: nec debere aut poſſe aliquid perpeti, ſi modo eſſe perpetuū cogitat, & in finib. propriæ immortalitatis hærere.* Omnis.n. *paſſio lethi atq; interitus ianua eſt, ad mortem ducens uia, & ineuitabilē rebus afferens functionem: quam ſi ſentiunt animæ, & tactui eius atq; incurſionibus cedunt, uſu & illis eſt uita nō mancipio tradita, quamuis aliter*

aliter quidã inferant,& rei tantæ fidem ſuis in argumentationibus ponant. Ac ne tamen inſtructi nõ plenius abeamus,audiamus à uobis quemadmodũ dicitis animas,cum terrenis fuerint corporibus inuolutæ, priorũ reminiſcentiam non habere: cũ in ipſis corporibus põſitæ,& propè inſenſibiles eorum cõmixtione perfectæ, pertinaciter & fideliter teneant ea quæ ante annos plures (ſi uelis dicere uel octoginta, uel hoc amplius)uel fecerũt uel paſſæ ſunt, uel loquutæ ſunt,uel audierunt. Si enim obſtaculo perficitur corporis, ne meminerint eorum, quæ iamdudum, & ante hominem ſciebant, magis eſt ut ea debeant obliuiſci, quæ concluſæ in corporibus factitarunt, quàm quæ foris poſitæ nondum hominibus coniugatæ.Quod enim rebus ingreſſis priorum repetentiam detrahit, & intra ſe geſta irrecordabili debet obliteratione deperdere. Vna enim cauſa res duas efficere ac ſibi contrárias nõ poteſt, ut alio rum memorias ſopiat, alia patiatur actoris in recordatio nem uenire. Quid ſi animæ (quas uocatis) membrorum impediuntur obſtaculo, quominus artes ſuas atque antiquas reminiſcantur: in corporibus ipſis quemadmodum conſtitutæ meminerunt & ſciunt animas ſe eſſe, & corporalem ſubſtantiam non habere, immortalitatis conditione mactatas,quem teneant in rebus gradũ,quo ſint ordine à deo patre diſcretæ,ad infima hæc mũdi quanam ratione peruenerint:quas ex quibus circulis qualitates,dum in hæc loca labuntur,attraxerint. Quemadmodũ(inquã) ſciũt doctiſſimas ſe fuiſſe, & obſtructiõe corporũ amiſiſſe quæ nouerant? & hoc ipſum enim neſcire debuerãt, ſi aliquid eis labis corporalis inuexiſſet adiũctio.nam ſcire

quid

quid fueris, & quid hodie non ſis, non eſt ſignũ memoriæ perditæ, ſed comprobatio indiciũq; ſeruatæ. Quæ cũ ita ſe habeãt, deſinite quæſo, deſinite res paruas, atq; exigui nominis immanibus pretijs æſtimare: deſinite hominem proletarius cum ſit claßibus, & capite cũ cenſeatur aſcribere ordinibus primis: cum ſit inops, pauper lare, & tugurij pauperis, nec patriciæ claritatis unquã meritus nũcupari. cum enim uos oporteret uiros recti atq; integritatis auctores typhum & arrogantiã frangere, quorũ malis cuncti extollimur, & inaniũ diſtendimur uanitate: nõ tantum accidere mala iſta cenſetis, uerum (quod grauius multo eſt) addidiſtis cauſas, quibus & uitia creſcerẽt, & inemendabilis nequitia permaneret. Quis eſt enim hominum, quamuis ille ſit indolis infamiam ſemper atq; ignominioſa fugientis, qui, cũ dici exaudiat uiris ab ſapientibus maxime immortales animas eſſe, nec fatorum eſſe obnoxias legibus, non in omnia flagitia præceps ruat, non intrepidus res obeat atq; aggrediatur illicitas? nõ deniq; omnia ſuis cupiditatibus largiatur, quæ libido impotens iuſſerit, impunitatis præterea etiã libertate munita. quid enim prohibebit, quominus hæc faciat? metus ſuperbæ poteſtatis, iudiciũq; diuinum? Et qui poterit territari formidinis alicuius horrore, cui fuerit perſuaſum tam ſe eſſe immortalem, quàm ipſum deum primum? nec ab eo iudicari quicquam de ſe poſſe: cum ſit una immortalitas in utraq;, nec in alterius altera cõditionis poßit æqualitate uexari. Sed memoratæ apud inferos pœnæ, & ſuppliciorũ generibus multiformes. ecquis erit tam brutus, & rerum conſequentias neſciens, qui animis incorruptibilibus credat,

aut

aut tenebras tartareas poſſe aliquid nocere, aut igneos fluuios, aut cœnoſis gurgitibus paludes, aut rotarũ uolubiliũ circũactus? Quod enim contiguum non eſt, & ab legibus diſſolutionis amotũ eſt, licet omnibus ambiatur flammis torrentium fluminum, uoluatur in cœno, ſaxorum imminentium caſibus, & immaniũ montium operiatur ruinis; illibatũ neceſſe eſt permaneat & intactũ, neq; ullum ſenſum mortiferæ paßionis aſſumere. Quid? quòd iſta perſuaſio non tantum eſt incitatrix ad uitia libertate ex ipſa peccandi, uerumetiam philoſophiæ ipſius cauſam tollit, & inaniter eam ſuſcipi ſuperuacanei operis difficultate declarat. Nam ſi uerum eſt animas nullius eſſe participes finis, & cum omnibus ſeculis æuorum perpetuitate procedere: quid periculi res habet contemptis prætermißisq; uirtutibus, quibus eſt contractior atq; horridior uita uoluptatibus ſedare, ac per omnia libidinũ genera effrenatũ ſpargere immenſæ cupiditatis ardorẽ? Ne delicijs marceat, & corrũpatur mollitudine uitiorum? Et qua poterit ratione corrũpi id, quod immortale, quod ſemper eſt, & nulli obnoxium paßioni? Ne ſordeſcat, et polluatur actionum turpium fœditate? Et qui poterit pollui, corporalem quod ſubſtantiam non habet? aut ubi ſedem contaminatio ponere, ubi ſpacium nullũ eſt, in quo nota ſe poßit ipſius cõtaminationis affigere? Rurſus uero ſi animæ lethi adeũt ianuas (Epicuri ut ſentẽtia definitur) nec ſic cauſa eſt competens, cur expeti philoſophia debeat: etiam ſi uerum eſt purgari has animas, atq; ab omni puras uitioſitate præſtari. Nam ſi cõmuniter obeũt, & in ipſis corporibus ſenſus eis deperit extinguiturq; uitalis: non tantum eſt erro-

ris maximi, uerum ſtolidæ cæcitatis, frenare ingenitos appetitus, cohibere in anguſtijs uitam, nihil indulgere naturæ, non quod cupidines iuſſerint atque inſtigauerint facere, cum nulla te præmia tanti laboris expectent cum dies mortis aduenerit, & corporalibus fueris uinculis exolutus. Medietas ergo quædam, & animarum anceps ambiguaq; natura, locum philoſophiæ peperit, & cauſam cur appeteretur inuenit: dum periculum ſcilicet ex malis iſte formidat admiſsis: alter concipit ſpes bonas, ſi nihil ſceleris faciat, & cum officio uitam iuſtitiaq; traducat. Inde eſt quod inter doctos uiros, & ingeniorū excellētia præditos, de animarum qualitate certamen eſt: & eas alij dicunt mortali eſſe natura, nec diuinam poſſe ſubſtantiā ſuſtinere: alij uero perpetuas, nec in natura poſſe degenerare mortali. Quod iſtud ut fiat, medietatis efficitur lege: quòd & illis argumenta ſunt præſto, quibus eas paſsiuas atq; interribiles inuenitur: & his contra non deſunt, quibus eſſe diuinas immortalesq; monſtratur. Hæc cum ita ſe habeant, & cum ab ſummo traditum teneamus auctore, non eſſe animas longe ab hiatibus mortis & faucibus conſtitutas: poſſunt tamen longæuæ ſummi principis munere ac beneficio fieri; ſi modo illum tentent ac meditentur agnoſcere: eius enim cognitio fermentum quoddam eſt uitæ, ac rei diſſociabilis glutinum: tum deinde feritate, atq; inhumanitate depoſitis, reſumant ingenia mitiora: ut ad illud, quod dabitur, eſſe poſsint paratæ, Quid eſt quod à uobis tanquam bruti & ſtolidi iudicemur, ſi propter hos metus liberatori dedidimus & mancipauimus nos Deo? aduerſus ictus noxios, & uenenatos colubrarum morſus,

reme-

remedia ſæpe conquirimus, & protegimus nos laminis, Pſyllis, Marſis uendentibus, alijſq́; inſtitoribus atque plãnis: ac ne nobis frigora ſolesq́; incommodent rapidi, munimenta domorũ ac ueſtium ſolicitæ præparamus diligentia cautionis. Mortis nobis cum proponatur metus, id eſt, animarum interitus: quid nõ ex commodi facimus ſenſu, quo amamus nos omnes? Quàm eũ qui nobis ſpondet tali à periculo liberaturũ retinemus, amplectimur animiſq́; ipſis noſtris (ſi modo iuſta eſt uiciſſitudo) præponimus. Vos ueſtrarum animarum ſalutem in ipſis uobis reponitis, fieriq́; uos deos ueſtro fiditis inteſtinoq́; conatu: at uero nos nobis nihil de noſtra infirmitate promittimus, naturam intuentes noſtram uirium eſſe nullarum, & ab ſuis affectibus in omni rerum contentione ſuperari. Vos cum primum ſoluti membrorũ abieritis, enodes alas uobis affuturas putatis, quibus ad cœlum pergere, atq́; ad ſydera uolare poſſitis: nos tantam reformidamus audaciam, nec in noſtra ducimus eſſe poſitum poteſtate res ſuperas petere: cum & hoc ipſum habeamus incertum, an uitam accipere mereamur, & ab lege mortalitatis abduci. Vos in aulam dominicam tanquam in propriam ſedem remeaturos uos ſponte, nullo prohibente præſumitis: at uero nos iſtud, rerum ſine domino fieri neq́; ſperamus poſſe. neque ulli hominum tantum poteſtatis attribui licentiæq́; cenſemus. Cum igitur hæc ita ſint, quænam iniuſtitia tanta eſt, ut fatui uobis credulitate in iſta uideamur? cũ uos & ſimilia credere, & in eadẽ uideamus expectatione uerſari? Si irriſiõe exiſtimamur digni quòd ſpẽ nobis huiuſmodi pollicemur, & uos eadẽ expectat irriſio, qui ſpem uobis immortali-

 mortali-

mortalitatis aſſciſcitis. Si tenetis aliquam ſequiminiq; rationem, & nobis aliquam portionē ex iſta ratione concedite. Si nobis hæc gaudia, hoc eſt uiā fugiēdæ mortis, Plato in Phædone promiſiſſet, aliúsue ex hoc choro, poſſetq; eam præſtare, atq; ad finem pollicitationis adducere conſentaneum fuerat eius ſuſcipere nos cultus, à quo tantum doni expectaremus & muneris. Nunc cum eam Chriſtus *non tantum promiſerit, uerumetiam uirtutibus tantis manifeſtauerit poſſe compleri: quid alienum facimus, aut ſtultitiæ crimen quibus rationibus ſuſtinemus, ſi eius nomini, maieſtatiq; ſuſternimur, à quo ſperamus utrunq;, & mortem cruciabilē fugere, & uitam æternitate donari?* Sed ſi *animæ (inquiunt) mortalis qualitatis ſunt mediæ, immortales quemadmodū fieri medijs ex qualitatibus poſſunt?* Si *nos iſtud neſcire dicamus, ac tantūmodo auditū ex potentiore credidiſſe, ubi noſtra uidebitur credulitas lapſa? ſi omnipotēti credidimus regi nihil eſſe difficile, nihil arduū: ſi quod impoſſibile nobis eſt factu, illi poſſibile, atq; admodum executioni paratū?* Eſt *enim quod obſtare eius uoluntatibus poſſit, aut quod eſſe uoluerit non neceſſario ſequatur ut fiat?* An *nunquid noſtris ex diuiſionibus colligemus, quid aut fieri poſſit, aut nō poſſit: nec rationes conſiderabimus noſtras tam eſſe mortales, quàm ſumus nos ipſi, & nullius apud principem nominis?* Et tamen ô *iſti, qui mediæ qualitatis animas eſſe non creditis, & in medio limite uitæ, atq; interitus contineri nonne omnes omnino, quos eſſe opinatio ſuſpicatur, dij, angeli, dæmones, aut nomine quocunq; ſunt alio, qualitates & ipſi ſunt mediæ, & in ambiguæ ſortis condutione mutabiles?* Nam ſi

omnes

omnes cōcedimus unum eſſe rerum patrem, immortalem atq; ingenitū ſolum, nihilq; omnino ante illum, quod alicuius uocaminis fuerit, inuenitur: ſequitur ut hi omnes quos opinatio credidit deos eſſe mortalium, aut ab eo ſint geniti, aut eo iubēte prolati ſint? Prolati & geniti, & ordinis ſunt poſterioris & tēporis: ſi ordinis poſterioris & tēporis, ortus neceſſe eſt habeāt, et exordia natiuitatis, & uitæ: quod aūt habet introitū, & uitæ incipiētis exordiū, neceſſario ſequitur ut habere debeat & occaſum. Sed immortales perhibentur dij eſſe. Non *ergo natura, ſed uolūtate* Dei *patris, ac munere.* Quo *igitur pacto immortalitatis largitio eſt donum dei, certe prolatis, & animas hoc pacto dignabitur immortalitate donare, quāuis eas mors ſæua poſſe uideatur extinguere, & ad nihilum redactas irremeabili abolitione delere.* Plato *ille diuinus multa de deo digna, nec cōmunia ſentiens multitudini, in eo ſermone, ac libro, cui nomen* Timæus *inſcribitur: deos dicit & mundum corruptibili eſſe natura, neque eſſe omnino diſſolutionis expertes: ſed uoluntate* Dei *regis ac principis uinctione in perpetua contineri.* Quod *enim recte ſit uinctum, & nodis perfectiſſimis colligatum,* Dei *bonitate ſeruari: nexuſq; abolitione ab eo qui uinxit & diſſolui (ſi res poſcat) & ſalutari miſſione donari.* Ergo *ſi res eſt ita, nec aliud conuenit uel exiſtimare uel credere, quid animas admiramini mediæ dici qualitatis à nobis: cum numinibus ipſis dicat* Plato *medias eſſe naturas, ſed continuam & inocciduā uitam principali beneuolentia ſurrogari?* Si *enim forte neſcitis, & antea uobis incognitum propter rei nouitatē fuit, accipite ſero, & diſcite ab eo, qui nouit,*

& protulit in medium Chriſto, non eſſe animas regis maximi filias, nec ab eo (quemadmodum dicitur) generatas cœpiſſe ſe noſſe, atq; in ſui nominis eſſe ſententia prædicari, ſed alterum quempiam genitorem his eſſe, dignitatis & potētiæ gradibus ſatis plurimis ab Imperatore diſiunctum: eius tamen ex aula & eminentiū nobilem ſublimitate nataliū. Quòd ſi eſſent (ut fama eſt) dominicæ prolis, & poteſtatis animæ generatio principalis, nihil eis ad perfectionē defuiſſet uirtute perfectiſſima procreatis: unum omnes intellectū habuiſſent, unumq; conſenſum, aulam ſemper incolerent regiā, nec prætermiſſis beatitudinis ſedibus, in quibus auguſtiſſimas nouerāt, retinebantq; doctrinas, imprudenter appeterent terrena hæc loca, tenebroſis ut corporibus inuolutæ inter pituitas & ſanguinem degerent: inter ſtercoris hos utres, & ſaccati obſcœniſſimas ſerias. Sed habitari oportuit & has partes, & icirco huc animas tanquam in colonias aliquas Deus omnipotēs miſit. Et quid homines proſunt mūdo, aut ob rei cuius ſunt neceſſarij cauſam, ut non fruſtra debuiſſe credantur parte in hac agere, & terreni eſſe corporis inquilini. Ad cōſummandam molis huius integritatem, partem aliquam conferūt: & niſi fuerint additi, imperfecta & clauda eſt uniuerſitatis hæc ſumma. Quid ergo? ſi homines non ſint ab officijs ſuis ceſſabit mundus? Viciſſitudines ſuas non peragent ſydera? æſtates, atq; hyemes non erunt? uentorum flamina cōticeſcent? nec ex coactis & pendentibus nubilis ad terram decident imbres ariditatibus temperamenta laturi? Atqui neceſſe eſt cūcta ſuos ire per curſus, nec ab ordinis nati continuatione diſcedere; etiam ſi

nomen

nomen in mũdo nullum hominis audiatur, orbisq́; iſte terrarum ſolitudinis uacuæ ſilentio conticeſcat. Quemadmodum ergo iactatur habitatorē debuiſſe regionib. his addi, cum ab homine liqueat nihil ad mundi perfectionē redire, omniaq́; eius ſtudia commoditatem ſemper ſpectare priuatã, nec à finibus propriæ utilitatis abſcedere? Quid enim prodeſt mundo (ut ab rebus incipiam ſerijs) maximos reges hic eſſe? Quid tyrãnos, quid dominos, quid innumeras alias atq; ampliſſimas poteſtates? Quid rei militaris experientiſſimos duces capiendarũ urbium peritos, in equeſtrib. prælijs aut in pedeſtri pugna immobiles atq; inuictiſſimos milites? Quid oratores, grãmaticos, poetas? quid ſcriptores, dialecticos, muſicos? quid pantomimos, quid mimulos, hiſtriones, cãtores, tuba, tibia, calamoq́; flatantes? Quid curſores, quid pugiles, quadrigarios, deſultores, grallatores, funiambulos, præſtigiatores? Quid bigarios, ſalinatores, uolones, unguentarios, aurifices, aucupes, uannorum ſirpiarumq́; uinctores? Quid fullones, lanarios, phrygiones, coquos, panchryſtarios, muliones, lenones, lanios, meretrices? Quid inſtitorum alia genera? Quid profeſſorum, & artiũ, quibus enumerandis omnis ætas anguſta eſt? Rationibus cõferre, & conſtitutionibus mundi, ut ſine hominibus condi nõ potuiſſe credatur, nec obtenturus integritatẽ ſui, niſi ei contentio animalis miſeri, & ſuperuacui iũgeretur. Niſi forte rex mũdi (quem te meritatis eſt maximæ humano ex ore depromere) iccirco ex ſe genitas huc animas miſit, ut quæ fuerãt apud ſe deæ, corporei tactus, & temerariæ circũſcriptionis expertes, humana immergerentur in ſemina, fœminarũ ex genita-

N 4 *libus*

libus proſilirent, ineptiſsimos ederent continuarentq́; ua gitus: exugerent fellitantes mammas, proluuio linerent & madidarent ſe ſua: & ut ad ſilentium pauidi nutricis motibus, & crepitaculis adducerētur auditis. Iccirco *animas miſit, ut quæ fuerāt ſimplices, & bonitatis nuper innoxiæ: ſimulare in hominibus diſcerent, diſsimulare, mentiri, circumſcribere, fallere adulatoria humilitate captare, mēte aliud uoluere, aliud in facie polliceri: illaqueare, decipere dolis atque inſidijs neſcios, per innumeras artes malitiarum uenena conquirere, & ad uſum temporis pellaciæ mobilitate formare.* Iccirco *animas miſit, ut in pacata & placida tranquillitate degentes, aſſumerent ex corporibus cauſas, quibus feræ fierent, & immanes ſimultates atq; inimicitias gererent, conſererēt inter ſe bella, expugnarent atq; euerterent ciuitates: ſeruitutis opprimerent & manciparent ſe iugo: & ad ultimum fierent alterius altera poteſtatis natalium conditione mutata?* Iccirco *animas miſit, ut immemores ueritatis effectæ, & quidnam eſſet* Deus *oblitæ, ſimulacris inertibus ſupplicarent, ligna, æra, & lapides, diuina alloquerētur ut numina, auxilia poſcerent cæſorum animantiū cruore, nullam ſui facerent mentionem: quinimmo ex his aliæ ut dubitarent ſe eſſe, aut ullū eſſe penitus abnegarent?* Iccirco *animas miſit, ut quæ in ſedibus proprijs mente fuerant una, intellectu & ſcientia paribus, poſtquam formas induere mortales, opinionum diſcriminibus diſsiderent, aliud alijs iuſtū, aliud utile uideretur, & rectum: de appetendis rebus, fugiendisq́; certarent, malorum ac bonorū alios aliæ conſtituerent fines: ueritatem cupientibus noſcere rerum oppo*

nere

neretur obſcuritas, & uelut oculorum luminibus uiduæ, nihil certum uiderent, & per ancipites ſemitas ſuſpitionum inducerētur errore? Iccirco animas miſit, ut cum animantia cætera ſponte natis alerentur, & nulla ſatione prolatis, neq; domorum, aut ueſtium tutamina ſibi, aut uelamenta conquirerent, miſerabilis iſtis neceßitas adderetur: ut cum impendijs maximis, perpetuiſq; ſudoribus domos ſibi cōſtruerent, membrorum conficerent tegmina, ſupellectilem uariam diurnorū contraherent egeſtate, imbecillitatis auxilia animalibus mutuarentur à mutis, uim facerent terris, ut non ſua ſufficerent gramina, ſed imperatas extollerent fruges, & cum ſanguinē totum in ſubigenda tellure fudiſſent, robigine, grandine, ſiccitate, ſpem laboris amitterent: & ad ultimum ui famis humanis cadaueribus incubarēt: & ab hominum formis tabifica macie diſſociarentur abiunctæ? Iccirco animas miſit, ut quæ ſecum cōmorantes poſſeßionis alicuius nullum unquā habuiſſent amorem: auarißimæ hic fierēt, & in habēdi ſtudium inexaturabili pectoris ardeſcerent appetitu: effoderent altos montes, & uiſcera ignota terrarum in materias uerterent alieni nominis, atq; uſus: penetrarent abditas diſcrimine cum capitis nationes, & translatis mercibus caritatem ſemper, uilitatemq; captarent: exercerent auidum atq; iniuſtißimum fœnus, & miſerorū è ſanguine ſupputandi ſe angerent inſania: millibus poſſeßionum ſemper producerent fines: & quāuis prouincias totas rus facerent unum, pro arbore una, pro ſulco, forū litibus tererent: cum amicis, & fratribus inexpiabiles ſuſciperent ſimultates? Iccirco animas miſit, ut quæ dudum fuerāt mites

tes & ueritatis affectibus neſciæ cõmoueri, macella ſibi, & amphitheatra conſtituerent, loca ſanguinis, & publicæ impietatis: ex quibus in altero mandi homines cernerent, & beſtiarum laniatibus diſsipari: interficere ſe alios nullius ob meriti cauſam, ſed ingratam uoluptatẽ conſeſſorum, ipſosq́; illos dies, quibus tantũ committeretur nefas, in gaudijs cõmunibus ducerent, & feſta hilaritate ſacrarent: in altero uero animalium miſerorũ diſcerperẽt uiſcera, alias aliæ raperent (ut canibus mos eſt & uulturibus) portiones, ſubigerent dentibus, & crudeliſsimo uentri darẽt, & in tam ſæuis atq; horridis oribus ſortẽ ſuam flerent, quas ab talibus menſis paupertatis anguſtiæ uindicarent: pro beatis ac felicibus uiuerent, quarum ora & faciem tam crudeles polluerẽt apparatus? Iccirco animas miſit, ut diuini ponderis & grauitatis oblitæ, gemmas, lapillos, margaritas, caſtitatis diſpendio cõpararent, conſpiciendis quærerent corporibus fucos, innecterent his colla, laminas pertũderent aurium, imminuerẽt frontes limbis, fuligine oculos obumbrarent, nec in formas erubeſcerent maſculorũ calamiſtris uibrare cæſariem, cutẽ corporis leuigare, incedere poplitibus nudis, omniq́; alio cultu uigorem uirilitatis, & exponere, & in habitũ fœminarum, delitiasq́; mollire? Iccirco animas miſit, ut uiarũ aliæ infeſtarent meatus, aliæ circũſcriberent neſcios, teſtamenta ſupponerent falſa, uenenatas cõficerent potiones, domos ut effringerẽt, noctibus ſolicitarẽt, abigerent, præuaricarentur, & proderent, ſaporum faſtidia ut excuterent palato, ut in coquẽdis alitibus pinguitudinẽ noſſent retinere labentem, ut ſpirulas, & botulos facerent, iſicia,

caſtel-

caſtellamēta lucanica, ſuminatam cū his carnem, & glaciali conditione tuceta? Iccirco animas miſit, ut res ſancti atq; auguſtiſſimi nominis ſymphonicas agerēt & fiſtulatorias hic artes, ut inflandis bucculas diſtenderent tibijs, cantionib. ut præirēt obſcœnis numeroſiter, et ſcabillorū cōcrepationibus ſonoris, quibus animarū alia laſciuiens multitudo incōpoſitos corporum diſſolueretur in motus, ſaltitaret, & cantaret, orbes ſaltatorios uerteret, & ad ultimū clunibus & coxēdicibus ſubleuatis lumborū criſpitudine fluctuaret? Iccirco animas miſit, ut in marib. exoleti, in fœminis fierēt meretrices, ſambuciſtriæ, pſaltriæ, uenalia ut proſternerēt corpora, uirilitatē ſui populo publicarent, in lupanarib. prōptæ, in fornicibus obuinctæ, nihil pati renuētes, ad oris ſtuprū paratæ? Quid dicitis, ô ſoboles, ac primi progenies numinis? Ergóne ſapientes illæ, atq; ex cauſis principalibus proditæ genera hæc animæ turpitudinū, criminum, malitiarumq́; nouerunt, atq; ut exercerent, ut gererent, ut percelebrarēt hæc mala, habitare iuſſæ ſunt has partes, & humani corporis circumiectione ueſtiri? Et mortaliū quiſquam eſt rationis alicuius accipiēs ſenſum, qui ordinatum exiſtimet mundū per has eſſe, ac nō potius ſedē ac domiciliū conſtitutū, in quo omne quotidie perpetraretur nefas, maleficia cūcta conſierent, inſidiæ, fraudes, doli, auaritia, rapinæ, uis, ſcelus, audacia, obſcœnitas, turpitudo, flagitiū, mala omnia cætera, quæ in orbe homines toto mente noxia pariūt, & labem machinātur in mutuā? Sed ſua (inquitis) uolūtate, nō regis iuſſione uenerūt: At ubi pater omnipotēs fuit, ubi regiæ ſublimitatis auctoritas, ut eas prohiberet abſcedere,

nec in præcipites labi permitteret uoluptates? Si enim de generes futuras locorũ immutationibus ſciebat (ſcire autem debuerat cauſarum ut omniũ conſtitutor) aut extrinſecus aliquid acceſſurũ his eſſe, quod eas faceret obliuiſci ſuæ dignitatis et decoris: millies, ut ignoſcat orauerim: uniuerſorum non alius quàm ipſe eſt cauſa: ſiquidem perpeſſus eſt euagandi eas habere ius liberum, quas retentu ras non eſſe integritatis ſuæ habitum præuidebat. atq; ita perficitur, ut nihil interſit omnino uoluntarie uenerint, an illius obtemperauerint iußioni: cum non prohibendo quod oportuerat prohiberi, ceſſatione crimẽ fecerit proprium, & retentionis dißimulatione permiſerit prius. Sed procul hæc abeat ſceleratæ opinionis immanitas, ut deus credatur omnipotẽs, magnarũ, & inuiſibilium rerum ſator, & cõditor, procreator, tam mobiles animas genuiſſe grauitatis ac põderis cõſtantiæq; nullius: in uitia labiles, in peccatorum genera uniuerſa decliues: cumq; eas tales, atq; huiuſmodi ſciret, in corpora ire iußiſſe, quorũ indutæ carceribus ſub procellis agerent tẽpeſtatibusq; quotidie fortunæ, & modo turpia facerent, modo paterentur obſcœna: naufragijs, ruinis, incendiorũ conflagrationib. ut perirent: Pauperies alias, alias ut mẽdicitas premeret, infernarum paterentur aliæ laniatus muſcularũ, aliæ ut interirent ueneno, claudæ ut incederẽt aliæ, ut aliæ lumen amitterent: ut articulis ſederẽt aliæ colligatis, morbis deniq; obiectarentur ut cunctis, quos infelix & miſeranda mortalitas diuerſarum ſuſtinet dilaceratione pœnarum: tum deinde oblitæ unius eſſe ſe fontis, unius genitoris, & capitis, germanitatis conuellerent atq; abrũperent iura:

urbes

urbes ſuas euerterent, popularentur hoſtiliter terras, ſeruos de liberis facerent, inſultarent uirginibus, & matrimonijs alienis, odiſſent inuicem ſeſe, aliorũ gaudijs & felicitatibus inuiderent: tum deinde ſe omnes maledicerẽt, carperent, & ſæuorũ dentium mordacitate laniarẽt. Sed procul hæc abeat (ut eadẽ rurſus frequentiusq́; dicamus) tam immanis, & ſcelerata perſuaſio, ut ille ſalus rerum Deus omnium, uirtutum caput, benignitatis & columen: atq́; (ut eũ laudibus extollamus humanis) ſapientiſſimus, iuſtus, perfecta omnia faciens, & integritatis ſuæ conſeruãtia menſiones, aut aliquid fecerit claudũ, & quod eminus eſſet à recto, aut ulli rei fuerint miſeriarũ aut diſcriminum cauſa, aut ipſos actus quibus uita tranſigitur & celebratur humana, ordinauerit, iuſſerit, & à ſua fluere conſtitutione præceperit. Minora hæc illo ſunt, & magnitudinis eius deſtruentia poteſtatem: tantũq́; eſt longe ut iſtarum auctor rerum eſſe credatur, ut in ſacrilegæ crimẽ impietatis incurrat quiſquis ab eo conceperit hominem eſſe prognatũ, rem infelicem & miſeram, qui eſſe ſe doleat: qui conditionẽ ſuam deteſtetur et lugeat: qui nulla alia de cauſa ſeſe intelligat procreatum, quàm ne materiam non haberent per quam diffunderent ſe mala, & eſſent miſeri ſemper quorum cruciatibus paſceretur neſcio quæ latens & humanitati aduerſa crudelitas. Sed ſi parens, etiam genitor animarũ (inquitis) deus non eſt, quo auctore progenitæ, & qua ſunt ratione prolatæ? Si infucata uultis audire nec ab aliqua uocis oſtentatione deducta: item confitemur nos iſtud ignorare, neſcire, ſcientiãq́; tantæ rei non tantum noſtrã ducimus infirmitatem fragilitatẽq́; tranſire

re, uerum etiam poteſtatũ, quæ in mundo ſunt, omniumq; & quæ numina ſe eſſe opinionibus uſurpauere mortalium. Sed quia dei negamus, cuius ſint debemus oſtendere? Nihil iſtud neceſſario ſequitur. non enim ſi negemus muſcas, ſcarabeos, & cimices, nitedulas, curculiones, & tineas omnipotentis eſſe opus regis: ſequaciter poſtulandũ à nobis eſt, ut quis ea fecerit, inſtitueritq; dicamus. poſsimus enim nulla cũ reprehẽſione neſcire, quis & illis originem dederit, & obtinere non eſſe Deo *à ſuperiore prolata tam ſuperuacua, tam uana, tam ad nullas pertinentia rationes, quinimmo aliquãdo & noxia, et neceſſarias importãtia læſiones. Conſimiliter hic quoq; cum animas renuamus dei eſſe principis prolem, non continuo ſequitur ut explicare debeamus quonam parẽte ſint editæ, & cauſis cuiuſmodi procreatæ. Quis enim nos prohibet, aut unde enatæ ſint, prodierintq; neſcire, aut eas non eſſe* Dei *progeniem ſcire? Quanã (inquitis) ratiõe, qua uia? Quia omni uero uerißimũ eſt, certoq; certißimum, nihil rerũ à principe (ſicut ſæpius dictum eſt) agi, fieri, ſtatui, niſi quod oporteat, & conueniat fieri: niſi quod ſit plenũ, & integrum, & in ſuæ integritatis perfectione finitũ. Porrò autẽ conſpicimus homines (id eſt animas ipſas, quid enim ſunt homines niſi animæ corporibus illigatæ?) ſæuitate innumerabili uitiorũ ipſos ſe indicare non eſſe patricij generis, ſed ex mediocribus familijs procreatos.* Nanque *alios uidemus immites, facinoroſos, audaces temerarios, præcipites, cæcos, fictos, dißimulatores, mendaces, ſuperbos, arrogantes, auaros, cupidos, libidinoſos, incõſtantes, inualidos, & ſua ipſos decreta conſeruare nequeuntes: quod*

Quod utiq; non eſſent, ſi generoſitas eos aſſereret principalis, & ab rerum capite deſcēdentium duceret honeſtamēta nataliū. Sed & boni, dicetis, ſunt in rebus humanis, uiri ſapiētes, iuſti, inculpatis atq; emēdatiſſimis moribus. Nullam referimus quæſtionē an ulli aliquando fuerint tales, in quibus omnino nihil iſta ipſa, quæ dicitur, deſideraretur integritas. Sint licet perhoneſti, fuerintq; laudabiles, tenuerint apicem perfectionis ſummū, nec in aliquo lapſu eorum aliquādo claudicauerit uita ſed audire depoſcimus quot ſint, aut fuerint numero, ut ex multitudinis magnitudine metiamur, an oppoſitio iuſta ſit facta, an æqualitatis cōpenſatione librata. Vnus, duo, tres, quatuor, decem, uiginti, centū, certè numero diffiniti, et nominum forſitan comprehenſionibus terminati. at genus humanū non ex bonis pauculis, ſed ex cæteris omnib. æſtimari conuenit, & ponderari. In toto enim pars eſt, non totum in parte: & uniuerſitas debet attrahere portiones, nō portionibus uniuerſitas applicari. Quid enim ſi hominem dicas captum mēbris omnibus, et eiulantē cruciatibus aſperis, iccirco eſſe ſanum, quòd unius unguiculi nullū perpetiatur dolorem? aut eſſe auream terrā, quòd in uerrucula collis unius inſint exiguæ miculæ, quib. naſcitur colliquefactis aurum, & admiratio congregatione conquiritur. Qualitatem materiæ uniuerſitas elemēti probat, nō puluiſculi flabiles: nec mare continuo dulce eſt, ſi mitioris aquæ guttas alicuius adieceris atq; immiſeris numeri. conſumitur enim minuties iſta immenſo: nec modo non parui, ſed eſſe nullius exiſtimandum eſt nominis, quod per omnia diffuſum perit, & in magni corporis intercipitur

uaſtitate

uaſtitate. Vos humano in genere bonos eſſe dicitis uiros, qui ut eſſe credantur comparatio forſitan efficiat peßimorũ. Quinam iſti ſunt? dicite. Philoſophi, credo, qui ſe eſſe ſolos ſapientißimos autumant, et in huius nominis ſupercilium ſuſtulerũt: nempe illi, qui cum ſuis quotidie cupiditatibus pugnãt, & affectus ex animis inſitos proturbare, pellere, pertinacium moliuntur obluctatione uirtutum: qui ne in uitia proritari facultatis poßint alicuius inſtinctu, patrimonia & diuitias fugiũt, ne cauſas ſibi afferant lapſus: quod cum faciunt & curant, apertißime animas eſſe indicãt labiles, & infirmitate ad uitia procliues. Noſtra autem ſentẽtia, quod bonum natura eſt, neq; emẽdari, neq; corripi ſe poſcit: imò ipſum debet quid ſit malũ neſcire, ſi generis forma cuiuſq; in ſua cogitat integritate perſtare: neq; enim contrariũ inſitum eſſe cõtrario poteſt, aut impari paritas, aut dulcedo in amaritudine contineri. qui ergo luctatur animorũ ingenitas corrigere prauitates, is apertißime monſtrat imperfectum ſe eſſe: quãuis omni conatu & peruicacia contendat. Sed riſui uobis eſt noſtra reſponſio, quòd cum regias ſoboles eſſe animas abnegemus, non referamus contrà, ex quibus ſint cauſis atq; originib. procreatæ. Quod eſt enim criminis genus, aut rei eſſe alicuius ignarum, aut ipſum, quod neſcias, ſine aliqua profiteri dißimulatione neſcire? aut uter magis uidetur irriſione eſſe dignißimus uobis, qui ſibi ſciẽtiam nullã tenebroſæ rei alicuius aſſumit, an ille, qui retur ſeſe apertißime ſcire id, quod humanam tranſiliat notionem, & quod ſit cæcis obſcuritatibus inuolutũ? Si penitus ſpectetur rei cuiuſq; natura, in ſimili & uos eſtis, quã in nobis

bis reprehẽditis;cauſa. Non enim, *quia dicitis ab ipſo ani mas rege deſcendere,ac ſuccedere in hominũ formas, exploratum aliquid dicitis,& in luce poſitũ manifeſtiſſimæ ueritatis.Conijcitis enim,non ſcitis:ſuſpicamini,non tenetis.nam ſi ſcire eſt illud,quod ipſe tu uideris,aut cognoueris animo continere, nihil eorum quæ aſſeritis, poteſtis uos dicere aliquando uidiſſe:id eſt animas ſede ab ſuperâ & regione deſcendere. Suſpitione ergo utimini, non cognitionis expreſſæ fide.Quid eſt autẽ ſuſpitio, niſi opinatio rerum incerta, & in nil expoſitum iaculatio mentis illata? Ergo qui ſuſpicatur,nõ tenet,nec in lumine poſitus cognitionis incedit.Quod ſi uerum & fixum eſt apud rectos & ſapientiſſimos iudices: & iſta ueſtra, qua fiditis, pro ignoratione eſt habenda ſuſpitio. Ac ne tamen uobis tantũmodo cenſeatis coniecturis uti ac ſuſpitionibus licere,& nos idem poſſumus:quoniam cõmune eſt quod interrogatis expromere.Vnde(inquitis) homines, & ipſorum hominum quid,aut unde ſunt animæ? Vnde ſunt elephanti,tauri,cerui,muli,aſini? Vnde leones, equi, canes, lupi,pãtheræ,eorumq́; quæ uiuũt, quid aut unde ſunt animæ? Neq; enim fidem res habet, ut platonico ex illo cratere,quem cõficit miſcetq́; Timæus, aut horum animæ uenerint,aut locuſta,mus,ſorex,blatta,rana,centipeda, animata eſſe credantur. Et uiuere quidem ex elementis ipſis cauſa eſt illis,atq; origo naſcendi: ſi ad animalia gignenda,quæ in ſingulis his degũt,inſunt abditæ atq; obſcuriſſimæ rationes. nam & uidemus alios ex ſapientibus dicere,tellurem eſſe hominem,matrem aquam : tum alios aerem,ſpiritum his alios iungere,ſolem uero nõnullos eſſe*

horum opificem,& ex ignibus animatos eius uitali agita tione motari. Quid ſi & hæc non ſunt? & eſt aliqua res alia,alia cauſa,alia ratio,poteſtas, alia deniq; inauditi no bis atq; incogniti nominis gens, quæ hominẽ finxerit, & rerum cõſtitutionibus applicarit? nonne fieri pote eſt, ut exorti homines ita ſint,nec ad deum primũ natiuitatis eo rum referatur auctoritas? Quid enim putamus habuiſſe rationis Platonem illum magnũ, pie ſanctéq; ſapientem, cum hominis fictionẽ Deo remouit à maximo,& ad mi- nores neſcio quos tranſtulit:cũq; eiuſdem uoluit ſynceri- tatis eſſe mixturas humani animarũ generis,cuius animã fecerat uniuerſitatis iſtius:quàm quòd hominis fabricã in dignã eſſe rebatur deo, nec rei flaccidæ fictionẽ magnitu dini eius & eminẽtiæ cõuenire? Ergo cum hæc ita ſint,nõ abſone neq; inaniter credimus, mediæ qualitatis eſſe ani mas hominum,utpote ab rebus non principalibus editas, iuri ſubiectas mortis;paruarum & labiliũ uirium:perpe tuitate donari,ſi ſpem muneris tanti dominũ ad principẽ conferant, cui ſoli poteſtas eſt talia corruptione excluſa largiri. Sed ſtulte iſtud credimus. Quid ad uos ineptiſſi- mæ fatuæ? ubi uobis nocemus,uel quam uobis facimus aut irrogamus iniuriã,ſi omnipotentẽ confidimus deum ha- biturum eſſe rationem noſtri,cum abire à corporibus cœ perimus,& ab horci faucibus(quemadmodũ dicitur)uin dicari? Ergóne(inquiet aliquis)ſine dei uolũtate quicquã pote eſt fieri? Conſiderandũ eſt uobis ſolicite,& cura in- ſpiciendum non parua,ne,dum honorare nos Dominum tali interrogatione cenſemus, in contrariũ labamur ne- fas, maieſtatis eius eminentiã deſtruentes. Qua ratione,

quâ cauſa? Quoniã ſi cuncta eius uoluntate conficiũtur, nec citra eius nutum quicquã poteſt in rebus uel prouenire, uel cadere, neceſſario ſequitur mala etiã cuncta uoluntate eius intelligantur enaſci. Sin autẽ dicere uoluerimus contra, peßimorum ab eo reijcientes cauſas, mali eſſe conſcium, generatorẽq; nullius: incipiẽt uideri, aut eo inuito res peßimæ fieri, aut (quod ſit immane dixiſſe) neſciente, ignaró, ac neſcio. Rurſus autem ſi dicere nulla eſſe uoluẽrimus mala, ſicut eſſe nonnullis opinatũ & placitũ reperimus: reclamabunt cunctæ gentes, uniuerſæq; nationes, cruciatus nobis oſtentantes ſuos, & diſcriminum ſpecies multiformes, quibus cuncta per ſæcula genus uritur & laceratur humanum. Tum deinde à nobis exquirẽt, cur mala ſi nulla ſunt, ab operibus uos certis, & fauoribus abſtinetis? Cur non omnia facitis, quæ impatiens iuſſerit atq; imperauerit libido? Cur in noxios deniq; terribilibus pœnas conſtituitis legibus? Nam ſtoliditas inueniri quæ inanior poteſt, quàm mala eſſe nulla contendere, & tanquã malos perdere & condemnare peccantes? Quæ cum eſſe conſenſerimus uicti, & uniuerſa his ſcatere nominaliter annuerimus humana, conſequetur ut rogitent, cur ergo hæc mala Deus omnipotens non aufert, ſed eſſe perpetitur, & cum omnibus ſæculis pertinaci continuatione procedere? Si intellectus nobis affuerit Dei regis, ac principis, nec per impias uagari ſuſpitionum uoluerimus inſanias, reſpondeamus neceſſe eſt, neſcire nos iſta: nec quæ nullis poſſent facultatibus comprehendi, expetiſſe aliquando aut ſtuduiſſe cognoſcere, melius ducentes, quin immo potius, magis in ſcientiæ finibus atque ignorantiæ

permanere, quàm ſine Deo dicere nihil fieri per uolunta tem, ut ſimul intelligatur, & malis eũ cauſas dare, & miſeriarum eſſe innumerabiliũ conditorem. Mala ergo, dicetis, unde ſunt hæc omnia? Ex elemẽtis inquiunt, & ex eorum inæquabilitate, ſapiẽtes: quod fieri quî poßit, ut quæ ſenſum & iudicium non habẽt, malitioſa eſſe perhibeantur & noxia: aut non ille ſit potius malitioſus & noxius, qui res peßimas, & nocẽtißimas futuras in alicuius operis aſſumpſit effectum: eorum eſt, qui aſſerũt, peruidere. Quid ergo nos? unde? Reſpõſiõis neceßitas nulla eſt. ſiue enim poſſumus dicere, ſiue minus ualemus, nec poßumus utrũq; apud nos paruũ eſt: nec in magnis ponderibus duximus, uel ignorare iſtud, uel ſcire, unum ſolum poſuiſſe contenti: nihil à deo principe quod ſit nocens atq; exitiabile proficiſci. hoc tenemus, hoc nouimus, in hac una conſiſtimus cognitionis & ſcientiæ ueritate: nihil ab eo fieri, niſi quod ſit omnib. ſalutare, quod dulce, quod amoris & gaudij lætitiæq; pleniſſimum: quod infinitas habeat atq; incorruptibiles uoluptates, quod ſibi quiſq; cõtingere uotis omnibus expetat, foriſq; ab his eſſe exitiabile ac mortiferum ducat. Cætera quæcũq; ſunt alia, quæ in quæſtionibus aſſolent cõtrouerſijſq; uerſari, quibus genitoribus orta ſint, uel quibus actoribus fiant, neq; noſſe contendimus, neq; inquirere aut ueſtigare curamus: ſuis omnia relinquimus cauſis, nec ad id quod expetimus eſſe nobis, adiuncta atq; applicata iudicamus. Quid eſt enim quod humana ingenia labefactare ſtudio contradictionis non audeant? quamuis illud, quod infirmare moliuntur, ſi purũ, & liquidum, & ueritatis obſignatione munitũ? Aut quid

rurſus

rurſus aſſerere uериſimilib.argumentis nõ queunt, quam uis ſit apertiſſime falſum, quamuis euidens manifeſtumq́; mendacium? Cum enim ſibi perſuaſerit quis eſſe aliquid, aut nõ eſſe, amat quod opinatur aſſerere, & acumine alios anteire, maxime ſi agatur res ſummota, et abdita, & caligine inuoluta naturæ. Mundum quidam ex ſapientibus exiſtimant neq; eſſe natum, neq; ullo eſſe in tempore periturũ: immortalem nonnulli, quamuis cum cõſcribant eſſe natum, & genitum. Tertijs uero collibitũ dicere eſt, & eſſe natum, & genitũ, & ordinaria neceßitate perituram. Et cum ex iſtis opinionibus trinis unam eſſe neceſſe ſit uerã, cunctis tamen argumenta non deſunt, quibus & ſua decreta confirment, & aliorũ ſubrumpant & labefaciant ſcita. Eundẽ hunc alij elemẽtis ex quatuor tradunt, & pronunciant ſtare, ex geminis alij, ex ſingulis tertij: ſunt qui ex his nullis, & indiuidua corpora eius eſſe materiem & primam originẽ dicant. Cumq́; ex his uera ſit una ſentẽtia, aut nulla ex his certa, ſimiliter hic quoq; argumenta omnibus præſto ſunt: quibus & ea, quæ dicunt, uera eſſe cõſtituant, & redarguant poſitas in aliorũ ſententijs falſitates. Sic & deos nonnulli eſſe abnegant: prorſus dubitare ſe alij an ſint uſpiam dicunt: alij uero exiſtere, neq; humana curare: immo alij perhibẽt, & rebus intereſſe mortaliũ, & terrenas adminiſtrare rationes. Cum ergo hæc ita ſint, neq; aliter fiat, quin ſit unum ex omnibus uerum, pugnant tamen argumẽtis omnes, neq; ſingulis deeſt id, quod probabiliter dicant, ſiue cũ ſuas res aſſerunt, ſiue cum alienis opinionibus contradicunt. Nõ alia, neq; abſimili ratione de animarum ab his cõditione diſ-

ſeritur. Hic enim eas retur & eſſe perpetuas, et ſupereſſe mortalium functioni: ſupereſſe ille non credit, ſed cũ ipſis corporibus interire. Alterius uero ſententia eſt, nihil eas continuo perpeti, ſed poſt hominem poſitũ aliquid eis ad uitam dari: mortalitatis deinde in iura ſuccedere. Et cum omnia nequeant ueri eſſe cõſortia, ita tamen fortibus & ualidiſsimis probationibus omnes agunt, ut reperire non poſsis quidnã tibi uideatur falſum: quãuis ex omni parte diuerſa dici aſpicias, & rerũ contrarietatibus diſſonare. Quod utiq; non fieret, ſi certum aliquid tenere curioſitas poſſet humana, uel quod uideretur inuentum, aliorũ omniũ cõprobaretur aſſenſu. Inaniſsima igitur res eſt, & ſuperuacui operis, tanquã ſcias aliquid promere: aut uelle, ſcire cõtendere: & ſi ſit uerum, poſſe id adſtruere: aut acceptare pro uero id, quod forſitan nõ ſit, & ex more hallucinantiũ proferatur. et merito res ita eſt. Nõ enim diuina diuinis, ſed rationib. pendimus & cõmentamur humanis: atq;, ut fieri meruiſſe quid remur, ita eſſe oportere cõtẽdimus. Quid ergo nos ſoli ignoramus, neſcimus quiſnã ſit animarũ conditor, quiſnã cõſtitutor? quæ cauſa hominem finxerit? mala unde proruperint? uel cur ea rex ſummus & eſſe patiatur, & cõfici? neq; à rebus propellat humanis? Vos enim horũ quicquã exploratũ habetis, & cognitũ? Si ſuſpitionum exponere uolueritis audaciã, poteſtis explicare, ac promere: mũdus iſte, q nos habet, utrum ne ſit genitus, an tẽpore in aliquo cõſtitutus? Si cõſtitutus, & factus eſt, quonã opis genere, aut rei cuius ob cauſam? Poteſtis inducere, atq; expedire rationem, cur non fixus, atq; immobilis maneat? ſed orbe toto ſemper circumfera

tur

tur in motu,ſua ipſe ſponte, & uoluntate circumagatur? an uirtutis alicuius impulſionibus torqueatur? locus ipſe, ac ſpacium in quo ſitus eſt,ac uolutaturquid ſit? infinitus, finitus,inanis? an ſolidus axis eum ſuſtineat extremis cardinibus nitēs? an ipſe ſe potius ui propria ſufferat, & ſpiritu interiore ſuſpendat? Poteſtis interrogati planū facere,ſcientiſſimeq; monſtrare,quid niuem in plumeas ſubaperiat cruſtulas? quidnā fuerit rationis,& cauſæ,ut non ab occiduis partibus dies primus exurgeret,& lucem in oriente finiret? quemadmodū ſol ipſe uno,eodemq; contactu tam uarias res efficiat,quinimmo contrarias? quid ſit luna,quid ſtellæ? cur una ſpecie, aut illa non maneat, aut per omne mundi corpus fruſtilla hæc ignea conuenerint? atq; oportuerit figura alia ex his parua,ampliora et maiora ſint alia,obtuſi hæc luminis, acutioris illa et fulgidæ claritatis? Si præſto quod libuerit ſcire, & in aperto rerum eſt ſciētia conſtituta,ediſſertate,& dicite,quibus modis fiant & rationibus pluuiæ? ut in ſuperis partibus,atque in aeris hoc medio ſuſpēſa aqua teneatur, natura res labilis, & ad fluorē ſemper decurſionemq; tam prona? Ediſſertate(inquàm) et dicite quid ſit quod grandinē torqueat? quod guttatim faciat pluuiā labi? quod imbres, ac niues plumeas? qd Aeoli ora dilatarit? uētus unde oriatur et quid ſit? cur tēporū uiciſſitudines inſtitutæ, cū ſtatui unū poſſet,et una eſſe ſpeciescœli,nihil ut rerū deſideraret integritas? quæ eſt cauſa,quæ ratio,ut maria ſalſa ſint,aut terrarū hæ dulces,aliæ ſint amaræ,uel frigidæ? quo ex materiæ genere humanorū corporū cōcreta et ſtabilita ſunt uiſcera? unde oſſa ſolidata? qd inteſtina, quid uenas fiſtulatas

latas, & commeabiles fecerit? cur cum eſſet utilius oculis nos illuminare cõpluribus ad periculum cæcitatis, duorũ ſumus anguſtijs applicati? Beluarũ, & anguium tam infinita atq; innumerabilia genera, cuius rei ſunt cauſa uel informata, uel prodita? quid in mundo faciunt bubones, immuſſuli, buteones? quid alites et uolucres cæteræ? quid formicarum et uermium genera, in uarias labes pernicieſq; naſcentia? quid pulices? quid impudentes muſcæ, araneæ, ſorices, mures, ſanguiſugæ, tipulæ? quid ſpinæ, quid ſentes: quid auenæ, quid lolium? quid herbarum, aut fruticũ, aut adolentia naribus, aut triſtia in odoribus ſemina? immo, ſi aliquid ſciri, comprehendiue aliquid poſſe cenſetis quid ſit triticum dicite: far, hordeum, milium, cicer, faba, lenticula, inula, cuminum, porri, ulpicũ, cepe? Non enim ſi fructui uobis ſunt, & ciborum medijs in generibus conſtituta, expeditum, aut promptũ eſt, quid ſint ſingula, ſcire: cur talib. figurata ſint formis? fuerit neceſſitas aliqua, ut nõ alios ſapores, alios odores, alios colores, quàm quos habent ſingulæ res, habere debuerint, an & alios potuerint ſumere? Ipſa deinde hæc quid ſint, ſapor dico, id eſt, ſapor, & cætera qualitatũ diſtãtias quibus ex rationibus ducant? Ex elemẽtis (inquitis) & ex principalibus originibus rerum. Amara ſunt enim elementa, uel dulcia, odoris ſunt alicuius, uel coloris, ut ex eorum concretione credamus partitas eſſe in naſcentibus qualitates, quibus aut ſuauitas naſcitur, aut ſenſibus offenſio comparatur. Cum igitur & uos ipſos tantarũ ac tot rerũ fugiant origines, fugiant cauſæ, fugiant rationes, neq; dicere, neq; explanare poſſitis quid ſit factũ, aut quare, aut cur oportuerit nõ

eſſe, uerecundiam conuellitis & dilaceratis noſtram: qui quæ nequeunt ſciri, neſcire nos confitemur, neq; ea cõquirere aut inueſtigare curamus, quæ cõprehendi liquidißimum eſt non poſſe, quãuis mille per corda ſuſpitio ſe porrigat atq; intẽdat humana. Et ideo Chriſtus licet uobis inuitis deus, (deus inquã Chriſtus, hoc enim ſæpe dicendum eſt, ut infidelium dißiliat & dirũpatur auditus) dei principis iußione loquẽs ſub hominis forma, cum mortalium ſciret cæcam eſſe naturam, neq; ullam poſſe cõprehendere ueritatem, poſitarũ nec ante oculos rerũ pro comperto habere, & cognito, quicquid ſibi eſſe ſuaſiſſet: & prorſus ſuſpitionibus hæſitare, litigioſas ſerere atq; intendere quæſtiones: omnia iſta nos linquere & poſthabere præcepit: neq; in res eas, quæ ſint à noſtra procul cognitione dimotæ infructuoſas immittere cogitationes. Sed quantum fieri poteſt, ad dominum rerum tota mente, atque animo proficiſci, ſuſtolli ab his locis, atq; in eum traducere ſuſpẽſas pectoris conuerſiones, memoriam eius habere perpetuã: & licet nulla poßit imaginatione formari, auras tamen neſcio quas eius ſibi contemplationis affingere. Rebus enim ex omnibus, quas auguſtæ cõtinet diuinitatis obſcuritas, ſolum eſſe indubitabilem, ſolum uerũ, & de quo nullus ambigere, niſi amens poßit, & deſperationis inſanæ, quem ſatis ſit ſcire, ut nihil aliud noueris: ſiſq; ueram, & maximam ſcientiam conſequutus, in deo rerũ capite, & cognitione defixus. Quid eſt (inquit) uobis ueſtigare, conquirere, quiſnam hominem fecerit? animarũ origo quæ ſit? quis malorũ excogitauerit cauſas? orbe ſit ſol amplior, an pedis unius latitudine metiatur? alieno ex lu-

mine, ac proprijs luceat fulgoribus luna? quæ neq; ſcire compendium, neq; ignorare detrimentũ eſt ullum. Remittite hæc deo, *atque ipſum ſcire concedite, quid, quare, aut unde ſit: debuerit eſſe, aut non eſſe: ſupernatũ ſit aliquid, an ortus primogenios habeat: aboleri conueniat, an reſeruari: exuri, diſſolui, an repetita integritate renouari.* Veſtris non eſt rationibus liberum implicare uos talibus, & tam remotas inutiliter curare res. *Veſtra in ancipiti ſita eſt ſalus animarum ueſtrarum, & niſi uos applicatis dei* Principis *notioni, à corporalibus uinculis exolutos expectat mors ſæua, non repentinã afferens extinctionem, ſed per tractũ temporis cruciabilis pœnæ acerbitate conſumens. Neq; illud obrepat, aut ſpe uobis aeria blandiatur, quòd à ſciolis nonnullis, & plurimum ſibi arrogantib. dicitur:* Deo *eſſe ſe gnatos, nec fati obnoxios legibus: ſi uitam reſtrictius egerint, aulam ſibi eius patere, ac poſt hominis functionem prohibente ſe nullo tanquã in ſedem referri patriam: neq; quod* Magi *ſpondent, cõmendaticias habere ſe preces, quibus emollitæ neſcio quæ poteſtates uias faciles præbeant ad cœlum cõtendentibus ſubuolare: neq; quod* Etruria *libris in acheronticis pollicetur, certorum animalium ſanguine numinibus certis dato diuinas animas fieri, & ab legibus mortalitatis educi.* Blandimenta *hæc caſſa ſunt, & inanium fomenta uotorum.* Seruare *animas alius, niſi* Deus *omnipotens non poteſt: nec præterea quiſquã eſt, qui longæuas facere perpetuitatis poſſit, & ſpiritum ſubrogare, niſi qui immortalis & perpetuus ſolus eſt, & nullius temporis circũſcriptione finitus. Cum enim dij omnes, uel quicũq; ſunt ueri, uel qui eſſe rumore*

more atq; opinione dicũtur, immortales & perpetui uoluntate eius ſint, & beneficij munere: qui fieri pote eſt, ut alij præſtare, uel quod ipſi ſunt, ualeant, cum alienum id habeant, & maioris potentiæ commodatum? Cædat licet hoſtias quãtaslibet Etruria: *humana ſibi omnia ſapientes negẽt: Magi cũctas emolliant & commulceant poteſtates: niſi à* Domino *rerũ datum fuerit animis id, quod ratio poſtulat, idq; per mandatũ, multum poſtea pœnitebit fuiſſe irriſui, cum ad ſenſum cœperit interitionis accedi. Sed ſi (inquiunt) Chriſtus in hoc miſſus à deo eſt, ut infelices animas ab interitionis exitio liberaret, quid ſecula cõmeruerunt priora, quæ ante ipſius aduentũ mortalitatis conditione conſumpta ſunt?* Poteſtis *enim ſcire, quid ſit cum eis animis actũ priſcorum ueterrimorũq; mortaliũ, ſubuentũ & his, an ſit ratione aliqua conſultum atq; proſpiſum?* Poteſtis *(inquam) ſcire id, quod Chriſto potuit docẽte cognoſci: infinita, an finita ſecula ſint, ex quo in terris eſſe genus hominum cœpit: quando primum animæ corporibus illigatæ, quis auctor iunctionis iſtius, quinimmo ipſius quiſnam hominis fabricator? quò priorum abſceſſerint animæ, quibus in mundi partibus, aut regionibus fuerint, corruptibiles, an contrà? potuerintne accedere ad periculum moriendi, niſi tempore neceſſario cõſeruator occurriſſet Chriſtus? Deponite has curas, & incognitas uobis relinquite quæſtiones, miſeratio & illis impertita eſt regia, & æqualiter per omnes diuina beneficia cucurrerũt, conſeruatæ ſunt, liberatæ ſunt, & mortalitatis ſortẽ coditionẽq; poſuerunt. Quo genere, quæ, quando? Si arrogantia, ſi typhus, ſi elatio abeſſet à uobis, iam*

dudum

dudum hoc ſcire potuiſtis auctore. Sed ſi generis Chriſtus humani (inquitis) conſeruator aduenit, quur omnino non omnes æquali munificentia liberat? Nõ æqualiter liberat qui æqualiter omnes uocat, haud ab indulgentia principali quenquam repellit, aut reſpuit, qui ſublimibus, infimis, ſeruis, fœminis, pueris, uniformiter poteſtatem ueniendi ad ſe facit? Patet, inquit, omnib. fons uitæ, neq; ab iure potandi quiſquam prohibetur, aut pellitur. Si tibi faſtidium tantũ eſt, ut oblati reſpuas beneficiũ muneris, quinimmo ſi tantum ſapientia præuales, ut ea, quæ offerũtur à Chriſto, ludum atq; ineptias nomines: quid inuitans peccat, cuius ſolæ ſunt hæ partes, ut ſub tui iuris arbitrio fructũ ſuæ benignitatis exponat? Sortem uitæ eligendi nulli eſt (inquit Plato) Deus cauſa, neq; alterius uoluntas aſſcribi poteſt cuiquam recte, cum uoluntatis libertas in ipſius ſit poſita poteſtate, qui uoluit. An nunquid orandus es, ut beneficium ſalutis ab deo digneris accipere, & tibi aſpernanti, fugientiq; longiſsime, infundenda in gremium eſt diuinæ beneuolentiæ gratia? Vis ſumere quod offertur, atq; in tuos uſus cõuertere, conſulueris tu tibi. aſpernaris, contemnis, et deſpicis, te muneris cõmoditate priuaueris. nulli deus infert neceſsitatem, imperioſa formidine nullũ terret. Neq; enim neceſſaria noſtra illi ſalus eſt, ut cõpendij aliquid, diſpẽdijúe patiatur: ſi aut deos nos fecerit, aut ad nihilum redigi corruptionis diſſolutione permiſerit. Immo, inquit, ſi deus eſt potens, miſericors, cõſeruator, conuertat nobis mentes, & inuitos faciat ſuis pollicitationibus credere. Vis ergo eſt iſta, non gratia, nec dei liberalitas principis, ſed ad uincendi ſtudium puerilis atq; inanis

contentio

contentio. Quid eſt enim tam iniuſtum, quàm repugnantibus, quàm inuitis extorquere in contrariũ uoluntates, inculcare quod nolint, et quod refugiant animis, prius nocere, quàm proſis? & priore detracto, in alienum habitũ ſententiamq; traducere? Tu qui te uerti, & uim deſideras perpeti, ut id quod nolis efficias, atq; arripias coactus: cur reſpuis aſſumere uoluntate id, quod uerſus deſideras atq; immutatus efficere? Nolo, *inquit, & uoluntatẽ nõ habeo. Quid ergo criminaris deum, tanquã tibi deſit? opem deſideras tibi ferre, cuius dona, & munera non tantũ aſperneris & fugias, uerum in alia uerba cognomines, & iocularibus facetijs proſequaris. Chriſtianus ergo ni fuero, ſpem ſalutis habere non potero? Ita eſt, ut ipſe proponis.* Partes *enim ſalutis dandæ, cõferẽdiq; animis quod tribui cõuenit neceſſariumq; eſt applicari, ſolus à deo patre iniunctum habet & traditũ, ita ſe habentibus ſemotis atq; interioribus cauſis.* Vt *enim dij certi, certas apud uos habent tutelas, licentias, poteſtates, neq; eorum ab aliquo id quod eius nõ ſit poteſtatis ac licentiæ poſtulatis: ita unius pontificis* Chriſti *eſt dare animis ſalutem, & ſpiritũ perpetuitatis apponere. Si enim patrem creditis* Liberũ *dare poſſe uindemiam, medicinam nõ poſſe: ſi* Cererem *fruges, ſi* Aeſculapium *ſanitatẽ, ſi* Neptunũ *aliud, aliud poſſe* Iunonẽ, Fortunam, Mercuriũ, Vulcanum, *rerum eſſe ſingulos certarum ac ſingularũ datores: & hoc neceſſe à nobis eſt ut debeatis accipere, à nullo animas poſſe uim uitæ atq; incolumitatis accipere, niſi ab eo, quem rex ſummus huic muneri officioq; præfecit. hanc omnipotens* Imperator *eſſe uoluit ſalutis uiã: hanc uitæ, ut ita dixerim, ianuã.*

per

per hunc ſolum eſt ingreſſus ad lucem, neq; aliàs datum eſt, uel irrepere, uel inuadere cæteris omnibus clauſis atq; inexpugnabili arce munitis. Licet ergo tu purus, et ab omni fueris uitiorum cõtaminatione purgatus, conciliaueris illas atque inflexeris poteſtates, ne ad cœlum redeunti uias claudant atq; obſeptant tranſitum, ad immortalitatis accedere nullis poteris contentionibus præmiũ, niſi, quod ipſam immortaliatem facit Chriſto attribuente, perceperis: & ueram fueris admiſſus ad uitam. Nam quod nobis obiectare conſueſtis, nouellam eſſe religionem noſtrã, & ante dies natam propemodũ paucos, neq; uos potuiſſe antiquam & patriam linquere, & in barbaros ritũs peregrinosq; traduci, ratione iſtud intenditur nulla. Quid enim ſi hoc modo culpam uelimus infligere prioribus illis atq; antiquiſſimis ſeculis, quod inuentis frugibus glandes ſpreuerint & repudiauerint arbuta, quòd corticibus contegi, & amiciri deſierint pellibus, poſtquã ueſtis excogitata eſt textilis, uſu & cõmoditate ſuccinctior? aut quòd ſtructis domibus, & lautioribus ſucceſſibus inſtitutis, non antiquas adamauerint caſulas, nec ſub rupibus & cauernis præoptauerint ut beluæ permanere? Cõmune eſt omnibus, & ab ipſis penè incunabulis traditum, bona malis anteferre, inutilibus utilia præponere, & quod eſſe cõſtituerit precioſius, lætius id conſectari & petere: in eoq; defigere ſpem ſalutis, & ſalutariũ commodorum. Itaq; cum nobis intendetis auerſionem à religione priorũ, cauſam conuenit ut inſpiciatis, nõ factum: nec quid reliquerimus, opponere, ſed ſecuti quid ſimus, potiſſimũ contueri. Nam ſi mutare ſententiã culpa eſt ulla, uel crimen: & à ueteri-

bus

bus inſtitutis in alias res nouas uoluntatesq́; migrare, criminatio iſta & uos ſpectat, qui toties uitam conſuetudinemq́; mutaſtis: qui in mores alios, atq; alios ritus priorum condemnatione tranſiſtis. Nunquid enim quinque in claſſes habetis populum diſtributũ, ueſtri olim ut habuere maiores? Nunquid magiſtratus per populum creatis? militaria, urbana, cõmunia quæ ſint comitia, ſcitis? ſeruatis de cœlo, aut ocioſas facitis obnunciationibus actiones? cum paratis bella, ſignum monſtratis ex arce? aut fecialia iura tractatis? per clarigationem repetitis res aptas? aut martiũ diſcrimen obeuntes ſpem prælij ſumitis, & ex Ominibus auſpicatis? in poteſtatibus obeũdis leges conſeruatis annarias? in donis, in muneribus cincias? in cohibendis cenſorias ſumptibus? in penetralibus Veſtæ ignis perpetuos fouetis focos? ſacras facitis menſas ſalinorum appoſitu, & ſimulacris deorũ? cum in matrimonia conuenitis, toga ſternitis lectulos, & maritorum Genios aduocatis? nubentiũ crinem cælibari haſta mulcetis? puellarum togulas fortunam defertis ad uirginalem? matres familiàs ueſtræ in atrijs operantur domorũ, induſtrias teſtificantes ſuas? potionibus abſtinent uini? affinibus, & propinquis oſculari eas ius eſt, ut ſobrias cõprobent atq; abſtemias ſe eſſe? In Albano antiquitus monte nullos alios licebat, quàm niuei tauros immolare candoris: nonne iſtum morem religionemq́; mutaſtis, atq; ut rufulos liceret dari Senatus conſtitutum ſanctione? Cum, Romulo, Pompilioq́; regnantibus, percocta planè, ac madida concremarentur dijs exta: nonne rege ſub Tullo ſemicruda cœpiſtis, & leuiter animata porricere, priſca obſeruatione

permanere, quàm ſine Deo *dicere nihil fieri per uolunta tem,ut ſimul intelligatur,& malis eũ cauſas dare,& miſeriarum eſſe innumerabiliũ conditorem.* Mala *ergo,dicetis,unde ſunt hæc omnia?* Ex *elemẽtis inquiunt,& ex eorum inæquabilitate,ſapiẽtes:quod fieri quî poßit,ut quæ ſenſum & iudicium non habẽt, malitioſa eſſe perhibeantur & noxia:aut non ille ſit potius malitioſus & noxius, qui res peßimas,& nocẽtißimas futuras in alicuius operis aſſumpſit effectum:eorum eſt, qui aſſerũt, peruidere.* Q*uid ergo nos?unde?*Re*ſpõſiõis neceßitas nulla eſt.ſiue enim poſſumus dicere,ſiue minus ualemus,nec poßumus utrũq; apud nos paruũ eſt: nec in magnis ponderibus duximus, uel ignorare iſtud, uel ſcire, unum ſolum poſuiſſe contenti:nihil à deo principe quod ſit nocens atq; exitiabile proficiſci.hoc tenemus,hoc nouimus,in hac una conſiſtimus cognitionis & ſcientiæ ueritate:nihil ab eo fieri, niſi quod ſit omnib.ſalutare,quod dulce,quod amoris & gaudij læticiæq; plenißimum: quod infinitas habeat atq; incorruptibiles uoluptates,quod ſibi quiſq; cõtingere uotis omnibus expetat,foriſq; ab his eſſe exitiabile ac mortiferum ducat. Cætera quæcũq; ſunt alia, quæ in quæſtionibus aſſolent cõtrouerſijſq; uerſari, quibus genitoribus orta ſint, uel quibus actoribus fiant, neq; noſſe contendimus,neq; inquirere aut ueſtigare curamus: ſuis omnia relinquimus cauſis,nec ad id quod expetimus eſſe nobis, adiuncta atq; applicata iudicamus.* Q*uid eſt enim quod humana ingenia labefactare ſtudio contradictionis non audeant?quamuis illud,quod infirmare moliuntur,ſi purũ, & liquidum,& ueritatis obſignatione munitũ?* Aut *quid*

rurſus

rurſus aſſerere ueriſsimilib. argumentis nõ queunt, quam uis ſit apertiſsime falſum, quamuis euidens manifeſtumq; mendacium? Cum enim ſibi perſuaſerit quis eſſe aliquid, aut nõ eſſe, amat quod opinatur aſſerere, & acumine alios anteire, maxime ſi agatur res ſummota, et abdita, & caligine inuoluta naturæ. Mundum quidam ex ſapientibus exiſtimant neq; eſſe natum, neq; ullo eſſe in tempore periturũ: immortalem nonnulli, quamuis eum cõſcribant eſſe natum, & genitum. Tertijs uero collibitũ dicere eſt, & eſſe natum, & genitũ, & ordinaria neceſsitate perituram. Et cum ex iſtis opinionibus trinis unam eſſe neceſſe ſit uerã, cunctis tamen argumenta non deſunt, quibus & ſua decreta confirment, & aliorũ ſubrumpant & labefaciant ſcita. Eundẽ hunc alij elemẽtis ex quatuor tradunt, & pronunciant ſtare, ex geminis alij, ex ſingulis tertij: ſunt qui ex his nullis, & indiuidua corpora eius eſſe materiem & primam originẽ dicant. Cumq; ex his uera ſit una ſentẽtia, aut nulla ex his certa, ſimiliter hic quoq; argumenta omnibus præſto ſunt: quibus & ea, quæ dicunt, uera eſſe cõſtituant, & redarguant poſitas in aliorũ ſententijs falſitates. Sic & deos nonnulli eſſe abnegant: prorſus dubitare ſe alij an ſint uſpiam dicunt: alij uero exiſtere, neq; humana curare: immo alij perhibẽt, & rebus intereſſe mortaliũ, & terrenas adminiſtrare rationes. Cum ergo hæc ita ſint, neq; aliter fiat, quin ſit unum ex omnibus uerum, pugnant tamen argumẽtis omnes, neq; ſingulis deeſt id, quod probabiliter dicant, ſiue cũ ſuas res aſſerunt, ſiue cum alienis opinionibus contradicunt. Nõ alia, neq; abſimili ratione de animarum ab his cõditione diſ-

ſeritur.Hic enim eas retur & eſſe perpetuas, et ſupereſſe mortalium functioni:ſupereſſe ille non credit,ſed cũ ipſis corporibus interire. Alterius uero ſententia eſt, nihil eas continuo perpeti,ſed poſt hominem poſitũ aliquid eis ad uitam dari:mortalitatis deinde in iura ſuccedere. Et cum omnia nequeant ueri eſſe cõſortia, ita tamen fortibus & ualidiſsimis probationibus omnes agunt,ut reperire non poſsis quidnã tibi uideatur falſum: quãuis ex omni parte diuerſa dici aſpicias, & rerũ contrarietatibus diſſonare. Quod utiq; non fieret,ſi certum aliquid tenere curioſitas poſſet humana,uel quod uideretur inuentum, aliorũ omniũ cõprobaretur aſſenſu. Inaniſsima igitur res eſt, & ſuperuacui operis, tanquã ſcias aliquid promere:aut uelle, ſcire cõtendere: & ſi ſit uerum, poſſe id adſtruere:aut acceptare pro uero id,quod forſitan nõ ſit, & ex more hallucinantiũ proferatur.et merito res ita eſt.Nõ enim diuina diuinis,ſed rationib.pendimus & cõmentamur humanis:atq;,ut fieri meruiſſe quid remur,ita eſſe oportere cõtẽdimus.Quid ergo nos ſoli ignoramus, neſcimus quiſnã ſit animarũ conditor,quiſnã cõſtitutor? quæ cauſa hominem finxerit?mala unde proruperint? uel cur ea rex ſummus & eſſe patiatur,& cõfici? neq; à rebus propellat humanis?Vos enim horũ quicquã exploratũ habetis, & cognitũ?Si ſuſpitionum exponere uolueritis audaciã, poteſtis explicare,ac promere:mũdus iſte, q nos habet, utrumne ſit genitus,an tẽpore in aliquo cõſtitutus?Si cõſtitutus, & factus eſt,quonã opis genere,aut rei cuius ob cauſam? Poteſtis inducere,atq; expedire rationem, cur non fixus, atq; immobilis maneat?ſed orbe toto ſemper circumfera-

tur

tur in motu,ſua ipſe ſponte, & uoluntate circumagatur? an uirtutis alicuius impulſionibus torqueatur? locus ipſe, ac ſpacium in quo ſitus eſt,ac uolutatur quid ſit? infinitus, finitus,inanis? an ſolidus axis eum ſuſtineat extremis cardinibus nitēs? an ipſe ſe potius ui propria ſufferat, & ſpiritu interiore ſuſpendat? Poteſtis interrogati planū facere,ſcientiſſimeq; monſtrare,quid niuem in plumeas ſubaperiat cruſtulas? quidnā fuerit rationis,& cauſæ,ut non ab occiduis partibus dies primus exurgeret,& lucem in oriente finiret? quemadmodū ſol ipſe uno,eodemq; contactu tam uarias res efficiat,quinimmo contrarias? quid ſit luna,quid ſtellæ? cur una ſpecie, aut illa non maneat, aut per omne mundi corpus fruſtilla hæc ignea conuenerint? atq; oportuerit figura alia ex his parua,ampliora et maiora ſint alia,obtuſi hæc luminis, acutioris illa et fulgidæ claritatis? Si præſto quod libuerit ſcire, & in aperto rerum eſt ſciētia conſtituta,ediſſertate,& dicite,quibus modis fiant & rationibus pluuiæ? ut in ſuperis partibus,atque in aeris hoc medio ſuſpēſa aqua teneatur, natura res labilis, & ad fluorē ſemper decurſionemq; tam prona? Ediſſertate (inquàm) et dicite quid ſit quod grandinē torqueat? quod guttatim faciat pluuiā labi? quod imbres, ac niues plumeas? qd Aeoli ora dilatarit? uētus unde oriatur et quid ſit? cur tēporū uiciſſitudines inſtitutæ, cū ſtatui unū poſſet,et una eſſe ſpecies cœli,nihil ut rerū deſideraret integritas? quæ eſt cauſa,quæ ratio,ut maria ſalſa ſint,aut terrarū hæ dulces,aliæ ſint amaræ,uel frigidæ? quo ex materiæ genere humanorū corporū cōcreta et ſtabilita ſint uiſcera? unde oſſa ſolidata? qd inteſtina, quid uenas fiſtu-

latas, & commeabiles fecerit? cur cum eſſet utilius oculis nos illuminare cõpluribus ad periculum cæcitatis, duorũ ſumus anguſtijs applicati? Beluarũ, *& anguium tam infinita atq; innumerabilia genera, cuius rei ſunt cauſa uel informata, uel prodita? quid in mundo faciunt bubones, immuſſuli, buteones? quid alites et uolucres cæteræ? quid formicarum et uermium genera, in uarias labes perniciesq; naſcentia? quid pulices? quid impudentes muſcæ, araneæ, ſorices, mures, ſanguiſugæ, tipulæ? quid ſpinæ, quid ſentes: quid auenæ, quid lolium? quid herbarum, aut fruticũ, aut adolentia naribus, aut triſtia in odoribus ſemina? immo, ſi aliquid ſciri, comprehendiue aliquid poſſe cenſetis quid ſit triticum dicite: far, hordeum, milium, cicer, faba, lenticula, inula, cuminum, porri, ulpicũ, cepe?* Non enim *ſi fructui uobis ſunt, & ciborum medijs in generibus conſtituta, expeditum, aut promptũ eſt, quid ſint ſingula, ſcire: cur talib. figurata ſint formis? fuerit neceßitas aliqua, ut nõ alios ſapores, alios odores, alios colores, quàm quos habent ſingulæ res, habere debuerint, an & alios potuerint ſumere?* Ipſa *deinde hæc quid ſint, ſapor dico, id eſt, ſapor, & cætera qualitatũ diſtãtias quibus ex rationibus ducant?* Ex *elemẽtis (inquitis) & ex principalibus originibus rerum.* Amara *ſunt enim elementa, uel dulcia, odoris ſunt alicuius, uel coloris, ut ex eorum concretione credamus partitas eſſe in naſcentibus qualitates, quibus aut ſuauitas naſcitur, aut ſenſibus offenſio comparatur.* Cum *igitur & uos ipſos tantarũ ac tot rerũ fugiant origines, fugiant cauſæ, fugiant rationes, neq; dicere, neq; explanare poßitis quid ſit factũ, aut quare, aut cur oportuerit nõ*

eſſe

eſſe, uerecundiam conuellitis & dilaceratis noſtram: qui quæ nequeunt ſciri, neſcire nos confitemur, neq; ea cõquirere aut inueſtigare curamus, quæ cõprehendi liquidiſsimum eſt non poſſe, quãuis mille per corda ſuſpitio ſe porrigat atq; intẽdat humana. Et ideo Chriſtus licet uobis inuitis deus, (deus inquã Chriſtus, hoc enim ſæpe dicendum eſt, ut infidelium diſsiliat & dirũpatur auditus) dei principis iuſsione loquẽs ſub hominis forma, cum mortalium ſciret cæcam eſſe naturam, neq; ullam poſſe cõprehendere ueritatem, poſitarũ nec ante oculos rerũ pro comperto habere, & cognito, quicquid ſibi eſſe ſuaſiſſet: & prorſus ſuſpitionibus hæſitare, litigioſas ſerere atq; intendere quæſtiones: omnia iſta nos linquere & poſthabere præcepit: neq; in res eas, quæ ſint à noſtra procul cognitione dimotæ infructuoſas immittere cogitationes. Sed quantum fieri poteſt, ad dominum rerum tota mente, atque animo proficiſci, ſuſtolli ab his locis, atq; in eum traducere ſuſpẽſas pectoris conuerſiones, memoriam eius habere perpetuã: & licet nulla poſsit imaginatione formari, auras tamen neſcio quas eius ſibi contemplationis affingere. Rebus enim ex omnibus, quas auguſtæ cõtinet diuinitatis obſcuritas, ſolum eſſe indubitabilem, ſolum uerũ, & de quo nullus ambigere, niſi amens poſsit, & deſperationis inſanæ, quem ſatis ſit ſcire, ut nihil aliud noueris: ſiſq; uerum, & maximam ſcientiam conſequutus, in deo rerũ capite, & cognitione defixus. Quid eſt (inquit) uobis ueſtigare, conquirere, quiſnam hominem fecerit? animarũ origo quæ ſit? quis malorũ excogitauerit cauſas? orbe ſit ſol amplior, an pedis unius latitudine metiatur? alieno ex lu

mine, ac proprijs luceat fulgoribus luna? quæ neq; ſcire compendium, neq; ignorare detrimentũ eſt ullum? Remittite *hæc deo, atque ipſum ſcire concedite, quid, quare, aut unde ſit: debuerit eſſe, aut non eſſe: ſupernatũ ſit aliquid, an ortus primogenios habeat: aboleri conueniat, an reſeruari: exuri, diſſolui, an repetita integritate renouari.* Ve*ſtris non eſt rationibus liberum implicare uos talibus, & tam remotas inutiliter curare res.* V*eſtra in ancipiti ſita eſt ſalus animarum ueſtrarum, & niſi uos applicatis dei* Principis *notioni, à corporalibus uinculis exolutos expectat mors ſæua, non repentinã afferens extinctionem, ſed per tractũ temporis cruciabilis pœnæ acerbitate conſumens.* Neq; *illud obrepat, aut ſpe uobis aeria blandiatur, quòd à ſciolis nonnullis, & plurimum ſibi arrogantib. dicitur:* Deo *eſſe ſe gnatos, nec fati obnoxios legibus: ſi uitam reſtrictius egerint, aulam ſibi eius patere, ac poſt hominis functionem prohibente ſe nullo tanquã in ſedem referri patriam: neq; quod* Magi *ſpondent, cõmendaticias habere ſe preces, quibus emollitæ neſcio quæ poteſtates uias faciles præbeant ad cœlum cõtendentibus ſubuolare: neq; quod* Etruria *libris in acheronticis pollicetur, certorum animalium ſanguine numinibus certis dato diuinas animas fieri, & ab legibus mortalitatis educi.* Blandimen*ta hæc caſſa ſunt, & inanium fomenta uotorum.* Seruare *animas alius, niſi* Deus *omnipotens non poteſt: nec prætereà quiſquã eſt, qui longæuas facere perpetuitatis poſſit, & ſpiritum ſubrogare, niſi qui immortalis & perpetuus ſolus eſt, & nullius temporis circũſcriptione finitus.* Cum *enim dij omnes, uel quicũq; ſunt ueri, uel qui eſſe ru-*

more atq; opinione dicũtur, immortales & perpetui uoluntate eius ſint, & beneficij munere: qui fieri poteſt, ut alij præſtare, uel quod ipſi ſunt, ualeant, cum alienum id habeant, & maioris potentiæ commodatum? Cædat licet hoſtias quãtaslibet Etruria: humana ſibi omnia ſapientes negẽt: Magi cũctas emolliant & commulceant poteſtates: niſi à Domino rerũ datum fuerit animis id, quod ratio poſtulat, idq; per mandatũ, multum poſtea pœnitebit fuiſſe irriſui, cum ad ſenſum cœperit interitionis accedi. Sed ſi (inquiunt) Chriſtus in hoc miſſus à deo eſt, ut infelices animas ab interitionis exitio liberaret, quid ſecula cõmeruerunt priora, quæ ante ipſius aduentũ mortalitatis conditione conſumpta ſunt? Poteſtis enim ſcire, quid ſit cum eis animis actũ priſcorum ueterrimorũq; mortaliũ, ſubuentũ & his, an ſit ratione aliqua conſultum atq; prouiſum? Poteſtis (inquam) ſcire id, quod Chriſto potuit docẽte cognoſci: infinita, an finita ſecula ſint, ex quo in terris eſſe genus hominum cœpit: quando primum animæ corporibus illigatæ, quis auctor iunctionis iſtius, quinimmo ipſius quiſnam hominis fabricator? quò priorum abſceſſerint animæ, quibus in mundi partibus, aut regionibus fuerint, corruptibiles, an contrà? potuerintne accedere ad periculum moriendi, niſi tempore neceſſario cõſeruator occurriſſet Chriſtus? Deponite has curas, & incognitas uobis relinquite quæſtiones, miſeratio & illis impertita eſt regia, & æqualiter per omnes diuina beneficia cucurrerũt, conſeruatæ ſunt, liberatæ ſunt, & mortalitatis ſortẽ coditioneq; poſuerunt. Quo genere, quæ, quando? Si arrogantia, ſi typhus, ſi elatio abeſſet à uobis, iamdudum

dudum

dudum hoc ſcire potuiſtis auctore. Sed ſi generis Chriſtus humani (inquitis) conſeruator aduenit, quur omnino non omnes æquali munificentia liberat? Nō æqualiter liberat qui æqualiter omnes uocat, haud ab indulgentia principali quenquam repellit, aut reſpuit, qui ſublimibus, infimis, ſeruis, fœminis, pueris, uniformiter poteſtatem ueniendi ad ſe facit? Patet, inquit, omnib. fons uitæ, neq; ab iure potandi quiſquam prohibetur, aut pellitur. Si tibi faſtidium tantū eſt, ut oblati reſpuas beneficiū muneris, quinimmo ſi tantum ſapientia præuales, ut ea, quæ offerūtur à Chriſto, ludum atq; ineptias nomines: quid inuitans peccat, cuius ſolæ ſunt hæ partes, ut ſub tui iuris arbitrio fructū ſuæ benignitatis exponat? Sortem uitæ eligendi nulli eſt (inquit Plato) Deus cauſa, neq; alterius uoluntas aſſcribi poteſt cuiquam recte, cum uoluntatis libertas in ipſius ſit poſita poteſtate, qui uoluit. An nunquid orandus es, ut beneficium ſalutis ab deo digneris accipere, & tibi aſpernanti, fugientiq; longiſſime, infundenda in gremium eſt diuinæ beneuolentiæ gratia? Vis ſumere quod offertur, atq; in tuos uſus cōuertere, conſulueris tu tibi. aſpernaris, contemnis, et deſpicis, te muneris cōmoditate priuaueris. nulli deus infert neceſſitatem, imperioſa formidine nullū terret. Neq; enim neceſſaria noſtra illi ſalus eſt, ut cōpendij aliquid, diſpēdijúe patiatur: ſi aut deos nos fecerit, aut ad nihilum redigi corruptionis diſſolutione permiſerit. Immo, inquit, ſi deus eſt potens, miſericors, cōſeruator, conuertat nobis mentes, & inuitos faciat ſuis pollicitationibus credere. Vis ergo eſt iſta, non gratia, nec dei liberalitas principis, ſed ad uincendi ſtudium puerilis atq; inanis

contentio. Quid eſt enim tam iniuſtum, quàm repugnantibus, quàm inuitis extorquere in contrariũ uoluntates, inculcare quod nolint, et quod refugiant animis, prius nocere, quàm proſis? & priore detracto, in alienum habitũ ſententiamq; traducere? Tu qui te uerti, & uim deſideras perpeti, ut id quod nolis efficias, atq; arripias coactus: cur reſpuis aſſumere uoluntate id, quod uerſus deſideras atq; immutatus efficere? Nolo, inquit, & uoluntatẽ nõ habeo. Quid ergo criminaris deum, tanquã tibi deſit? opem deſideras tibi ferre, cuius dona, & munera non tantũ aſperneris & fugias, uerum in alia uerba cognomines, & iocularibus facetijs proſequaris. Chriſtianus ergo ni fuero, ſpem ſalutis habere non potero? Ita eſt, ut ipſe proponis. Partes enim ſalutis dandæ, cõferẽdiq; animis quod tribui cõuenit neceſſariumq; eſt applicari, ſolus à deo patre iniunctum habet & traditũ, ita ſe habentibus ſemotis atq; interioribus cauſis. Vt enim dij certi, certas apud uos habent tutelas, licentias, poteſtates, neq; eorum ab aliquo id quod eius nõ ſit poteſtatis ac licentiæ poſtulatis: ita unius pontificis Chriſti eſt dare animis ſalutem, & ſpiritũ perpetuitatis apponere. Si enim patrem creditis Liberũ dare poſſe uindemiam, medicinam nõ poſſe: ſi Cererem fruges, ſi Aeſculapium ſanitatẽ, ſi Neptunũ aliud, aliud poſſe Iunonẽ, Fortunam, Mercuriũ, Vulcanum, rerum eſſe ſingulos certarum ac ſingularũ datores: & hoc neceſſe à nobis eſt ut debeatis accipere, à nullo animas poſſe uim uitæ atq; incolumitatis accipere, niſi ab eo, quem rex ſummus huic muneri officioq; præfecit. hanc omnipotens Imperator eſſe uoluit ſalutis uiã: hanc uitæ, ut ita dixerim, ianuã.

per

per hunc ſolum eſt ingreſſus ad lucem, neq; aliàs datum eſt, uel irrepere, uel inuadere cæteris omnibus clauſis atq; inexpugnabili arce munitis. Licet ergo tu purus, et ab omni fueris uitiorum cõtaminatione purgatus, conciliaueris illas atque inflexeris poteſtates, ne ad cœlum redeunti uias claudant atq; obſepiant tranſitum, ad immortalitatis accedere nullis poteris contentionibus præmiũ, niſi, quod ipſam immortaliatem facit Chriſto attribuente, perceperis: & ueram fueris admiſſus ad uitam. Nam quod nobis obiectare conſueſtis, nouellam eſſe religionem noſtrã, & ante dies natam propemodũ paucos, neq; uos potuiſſe antiquam & patriam linquere, & in barbaros ritus peregrinosq; traduci, ratione iſtud intenditur nulla. Quid enim ſi hoc modo culpam uelimus infligere prioribus illis atq; antiquiſsimis ſeculis, quod inuentis frugibus glandes ſpreuerint & repudiauerint arbuta, quòd corticibus contegi, & amiciri deſierint pellibus, poſtquã ueſtis excogitata eſt textilis, uſu & cõmoditate ſuccinctior? aut quòd ſtructis domibus, & lautioribus ſucceſsibus inſtitutis, non antiquas adamauerint caſulas, nec ſub rupibus & cauernis præoptauerint ut beluæ permanere? Cõmune eſt omnibus, & ab ipſis penè incunabulis traditum, bona malis anteferre, inutilibus utilia præponere, & quod eſſe cõſtituerit precioſius, lætius id conſectari & petere: in eoq; defigere ſpem ſalutis, & ſalutariũ commodorum. Itaq; cum nobis intendetis auerſionem à religione priorũ, cauſam conuenit ut inſpiciatis, nõ factum: nec quid reliquerimus, opponere, ſed ſecuti quid ſimus, potiſsimũ contueri. Nam ſi mutare ſententiã culpa eſt ulla, uel crimen: & à ueteribus

bus inſtitutis in alias res nouas uoluntateſq́; migrare, criminatio iſta & uos ſpectat, qui toties uitam conſuetudinemq́; mutaſtis: qui in mores alios, atq; alios ritus priorum condemnatione tranſiſtis. Nunquid enim quinque in claſſes habetis populum diſtributũ, ueſtri olim ut habuere maiores? Nunquid magiſtratus per populum creatis? militaria, urbana, cõmunia quæ ſint comitia, ſcitis? ſeruatis de cœlo, aut ocioſas facitis obnunciationibus actiones? cum paratis bella, ſignum monſtratis ex arce? aut fecialia iura tractatis? per clarigationem repetitis res aptas? aut martiũ diſcrimen obeuntes ſpem prælij ſumitis, & ex Ominibus auſpicatis? in poteſtatibus obeũdis leges conſeruatis annarias? in donis, in muneribus cincias? in cohibendis cenſorias ſumptibus? in penetralibus Veſtæ ignis perpetuos fouetis focos? ſacras facitis menſas ſalinorum appoſitu, & ſimulacris deorũ? cum in matrimonia conuenitis, toga ſternitis lectulos, & maritorum Genios aduocatis? nubentiũ crinem cælibari haſta mulcetis? puellarum togulas fortunam defertis ad uirginalem? matres familiàs ueſtræ in atrijs operantur domorũ, induſtrias teſtificantes ſuas? potionibus abſtinent uini? affinibus, & propinquis oſculari eas ius eſt, ut ſobrias cõprobent atq; abſtemias ſe eſſe? In Albano antiquitus monte nullos alios licebat, quàm niuei tauros immolare candoris: nonne iſtum morem religionemq́; mutaſtis, atq; ut rufulos liceret dari Senatus conſtitutum ſanctione? Cum, Romulo, Pompilioq́; regnantibus, percocta planè, ac madida concremarentur dijs exta: nonne rege ſub Tullo ſemicruda cœpiſtis, & leuiter animata porricere, priſca obſeruatione

uatione cõtempta? Ante aduentũ in Italiam Herculis; cum ex Apollinis monitu patri Diti ac Saturno humanis capitibus ſupplicaretur: & hunc ſimiliter morem, non fraude callidula, & nominũ ambiguitate mutaſtis? Cũ igitur & uos ipſi modo illos mores, modo alias leges fueritis ſequuti, multaq́; uel errorib. cognitis, uel animaduerſione meliorum ſint à uobis repudiata, quid eſt à nobis factũ contra ſenſum, iudiciumq́; cõmune, ſi maiora, et certiora delegimus, nec ſumus nos paßi falſorum religionibus attineri? Sed nouellum nomen eſt noſtrum, & ante dies paucos religio eſt nata, quam ſequimur. Vt interim cõcedam, id quod nobis obijcitur intentionis eſſe non falſæ, quid eſt enim in negocijs hominũ, quod uel opere corporis & manibus fiat, uel ſolius animi diſciplina & cognitione teneatur, quod nõ ex aliquo cœperit tempore, & in uſum exierit experientiamq́; mortaliũ? Philoſophia, Muſica, cæteræq́; omnes artes, quibus uita eſt exculta & expolita communis, cũ hominibus natæ ſunt, & nõ potius nuper, quin immo penè pauloante, agitari intelligi, celebrariq́; cœperunt? Antequam Tages thuſcus oras contingeret luminis, quiſquam hominũ ſciebat, aut eſſe noſcendum, condiſcendumq́; curabat in fulminũ caſibus, aut extorũ quid ſignificaretur in uenis? Quando ſyderum motus, aut ratio cœpta eſt genethliaca ſciri? non poſt Theutin Aegyptium, aut poſt Atlantẽ (ut quidam ferunt) geſtatorẽ, baiulum, tibicinem illum ac deſtinam cœli? Sed quid ego hæc parua? ipſi dij immortales, quorũ modo aditis templa, & numina ſuppliciter adoratis (ſicut ueſtris literis atq́; opinionibus traditur) non eſſe, non ſciri, ab temporibus cœperunt

certis

certis, & impoſitis nominũ appellationibus nuncupari? Nam ſi uerum eſt ex Saturno atq; eius uxore Iouem ſuis cum fratrib. procreatũ, ante nuptias & partus Opis nuſquam fuerat Iuppiter, Iuppiter tam ſupremus, q̃ ſtygius: nuſquam ſali dominus, nuſquã Iuno: quinimmo alius nullus, genitoribus duobus exceptis, cœli habitabat in ſedibus: ſed ex eorum concubitu concepti, & nati ſunt, & ſpiritum hauſere uitalẽ. Certo ergo à tempore deus eſſe Iuppiter cœpit, certo cultus & ſacrificia cõmereri: certo fratribus in poteſtatibus anteponi. Rurſus uero ſi Liber, Venus, Diana, Mercurius, Apollo, Hercules, Muſæ, Tyndaridæ Caſtores, ignipotensq; Vulcanus, Ioue patre ſunt proditi, & genito Saturno procreati, antequam Memoria, quàm Alcmena, Maia, Iuno, Latona, Leda, Dione, tum & Semele Dieſpitris factæ ſunt cõpreßionibus fœtæ, nuſquã & hi gentiũ, nec in aliqua parte rerum fuere naturæ, ſed ex cõuentu Iouis inſeminati, & nati ſunt, & aliquem ſenſum ſui habere cœperunt. Ergo & hi quoq; tempore eſſe cœperunt certo, & in numero numinũ ſacrorum ad cærimonias inuocari: quod ipſum ſimiliter dicere translatũ in Mineruam licebit. Si enim Iouis (ut aſſeueratis) ex cerebro ſine ullius ſeminis emicuit iactu: antequam eſt Dieſpiter genitus, & in utero matris corpore formam circũſcriptionis accepit, certum eſt utiq; Mineruã non fuiſſe, neq; rerum in numero, aut ulla eſſe in ſubſtantia computatam: ſed ex capite Iouis enata eſt, & eſſe res cœpit nonnulla in eſſentia conſtituta. Habet ergo primogenios ortus, & à certo cœpta eſt tempore Dea dici, ſacris in ædibus ſtatui, & inuiolabili religione ſanciri. Quod cum ita ſe habeat,

cum de nouitate loquimini religionum noſtrarum, ueſtræ uobis in mentē non ueniunt, nec curatis inſpicere quando ſint exorti dij ueſtri, quas origines habeant, quas cauſas, uel ex quibus proruperint emicuerintq́; radicibus. Cuius eſt autē pudoris, quinimmo inuerecūdiæ cuius, quòd agere te uideas, in eo alterum reprehendere, maledicti & criminis loco dare ea, quæ in te poßint reciprocata uiciſſitudine retorqueri? Sed quod agimus nos nouū eſt, quod autem uos priſcum eſt, & nimiæ uetuſtatis. & quid iſtud aut uos iuuat, aut noſtram cauſam rationemq́; contriſtat? Noua res eſt quam gerimus, quandoq; & ipſa uetus fiet. uetus quam uos agitis, ſed tēporibus quibus cœpit noua fuit ac repentina. Religionis autem auctoritas non eſt tempore æſtimanda, ſed numine: nec colere qua die, ſed quid cœperis, cōuenit intueri. Ante quadringentos annos religio (inquitis) ueſtra non fuit. Et dij ueſtri non fuerūt ante milia annorū duo. Quibus iſtud rationibus colligi, aut quibus ſupputationibus poteſt? Non difficilibus, nō obſcuris, ſed quas poßit uidere qui uolet. & contrectare (quemadmodum dicitur) manibus. Quis Iouem cum fratribus genuit? genitalibus opis adiunctus Saturnus (ut uos fertis) cœlo atq; Hecata procreatus. Quis Picum Fauni patrem, atque auum Latini? Saturnus, ut ijdem uos ueſtris ſcriptis atque auctoribus traditis. Ergo ſi hæc ita ſunt, ſequitur ut Picus & Iuppiter germanitatis ſibi ſociati ſint iure: utpote uno ex ſanguine, unoq́; ex ſemine procreati. Conſentaneum eſt ita eſſe quod dicitur. Ab Ioue, & Pico, quot ſunt generis uſque ad Latinum gradus? trini: ut indicat ſeries. Vultis Faunus, Latinus, & Picus, annis uixerint uicenis

atq;

*atq; centenis? ultra enim negatur poſſe hominis uita pro-
duci. æſtimatio iuſta et liquida eſt. Trecẽti ergo ſunt pleni
& ſexaginta poſt hos anni; res ita eſt ut indicat ſupputa-
tio. Cuius ſocer* Latinus *fuit?* Aeneæ, *genitoris* Latini. *cu-
ius?* Albani oppidi cõditoris. *Quot apud* Albam *regnatũ
eſt annis? quadringentis, & propè bis denis.* Aetatis urbs
Roma *cuius eſſe in annalibus indicitur? annos ducit quin
quaginta & mille, aut nõ multũ ab his minus.* Ergo ab Io-
ue, qui frater eſt Pici, *quiq; pater eſt minorũ, et reliquorũ
deorũ, anni ad hæc tempora propè millia duo ſunt, haud
pleni, ut largiamur ætati.* Quod *cũ redargui nõ poſsit, nõ
tantũ recens nata religio oſtenditur, quã obitis: ſed infan-
tes, & paruulos eſſe ipſos adhuc deos, quibus tauros atq;
alias hoſtias cũ periculo corruptiõis ſuggeritis: quos opor
tebat adhuc mãmis, atq; ſtillato lacte nutriri.* At religiones
*ueſtræ multis annis præcedũt noſtrã, & eo ſunt ueriores;
quòd uetuſtatis auctoritate munitæ ſunt.* Et qd eas *prodeſt
annis quãplurimis anteire, cũ à certo cœperint tempore?
aut ſpatij cuius ſunt millia annorũ duo, ſeculorũ tantis cõ
parata cũ millibus?* Ac tamẽ *ne cauſam tam bonã prode-
re diſsimulatione uideamur, niſi moleſtũ eſt, dicite omni-
potens, & primus deus nouella uobis uidetur res eſſe, &
qui eũ uenerantes colũt, inauditas, incognitas, repentinas
agitare atq; inducere religiones?* Eſt *ne illo antiquius quic
quã, aut quod eũ præcedat re, tempore, nomine, poteſt ali
quid inueniri?* Nõne *ſolus ingenitus, immortalis, et perpe
tuus ſolus eſt?* Quis *caput, aut fons rerũ eſt? nõ ipſe? cui de
bet æternitas hoc ipſum, quo nuncupatur æternitas? non
ipſi? infinita ut prodeant ſecula, non ex eius perpetuitate*

P 2 *perfici*

perficitur? indubitabile iſtud & uerũ. nõ ergo quod ſequimur nouũ eſt, ſed nos ſero addidicimus quidnã ſequi oporteat et colere: aut ubinã cõuenire, et ſpem ſalutis affigere, & ſalutaria ſubſidia collocare. Nondum enim affulſerat, qui uiam monſtraret errantibus, & caligine in altiſſima conſtitutis cognitionis lumen immitteret, & ignorationis diſcuteret cæcitatem. Sed cauſa in huiuſmodi uertitur ſola. Quid? uos Aegyptiaca numina, quibus Serapis atq; Iſis eſt nomen, non poſt Piſonem & Gabinium Conſules in numerum ueſtrorum retuliſtis deorũ? Quid Phrygiam matrem, cuius eſſe conditor iudicatur uel Midas uel Dardanus, non, cum Hannibal Pœnus res Italicas raperet, & terrarum expoſceret principatũ, & noſſe, & ſcire cœpiſtis, & memorabili religione ſancire? Sacra Cereris matris non quòd uobis incognita eſſent, aſcita pauloante, obtentum eſt ut Græca dicantur, nouitatẽ ipſam teſtificante cognomine? Non doctorũ in literis continetur, Apollinis nomen Pompiliana indigetamenta neſcire? Ex quo apparet, & liquidum eſt, & hunc uobis fuiſſe incognitũ, poſt autem aliquanto cœpiſſe eſſe & notum. Si quis igitur uos interroget, cur eorũ numinum, quorũ modo fecimus mentionem, tam ſero ſuſceperitis cultum, reſponſuros uos certum eſt, aut quia illos nuper deorũ eſſe in numero neſciebamus, aut quia nunc ſumus à uatibus moniti, aut quia in rebus aſperrimis beneficijs eorũ ſumus auxilijsq; ſeruati. Quod ſi hoc à uobis recte exiſtimabitis dici, & ex noſtris partibus ratione conſimili exiſtimatote eſſe reſponſum. Religio noſtra nunc nata eſt: nunc enim miſſus aduenit, qui eam nobis oſtenderet, qui in eius induceret ueritatem

tem

tem:qui Deus monſtraret quid ſit, qui ad eius nos cultum ab rebus opinabilibus auocaret. Et quid,inquit,eſt uiſum *deo regi atq; principi,ut ante horas(quemadmodum dici tur) pauculas ſoſpitator ad uos Chriſtus cœli ex arcibus mitteretur?* Interrogamus & nos contrà: *quæ cauſa, quæ ratio eſt, ut nòn ſuis aliquando reddantur menſibus temporа,ſed ſerius hyems,ſerius æſtas,atq; autumnitas fiant? Cur poſt meſſes areſactas,atq; extincta frumenta,nonnũquam decidant pluuiæ, quas rebus oportuit incolumibus labi,atq; temporis opportunitatib.miniſtrari:immo illud exquirimus potius,cur ſi* Herculem *oportuit naſci,ſi* Aeſculapium, Mercuriũ, Liberum *aliosq; nonnullos,qui & concilijs adiungerentur deorũ, & mortalibus aliquid uti litatis afferrent, tam ſero à* Ioue *ſint proditi, ut ſola illos poſteritas ſciret, ſuperiorũ uero ignoraret antiquitas?* Rationem aliquam *fuiſſe dicetis*. Ratio ergo & *hic fuit, cur non nuper, ſed hodie ſoſpitator noſtri generis adueniret.* Quænam *igitur ratio eſt?* Non *imus inficias neſcire nos*. Neq; *enim promptũ eſt cuiquam dei mentem uidere, aut quibus modis ordinauerit res ſuas,homo animal cæcũ,& ipſum ſe neſciẽs ullis poteſt rationibus cõſequi.quid oporteat fieri, quando, uel quo genere,ipſe rerum cunctarum pater moderator, & dominus ſcit ſolus.* Nec *ſi ego nequi uero cauſas uobis expromere,cur aliquid fiat illo uel hoc modo,cõtinuo ſequitur ut infecta fiant quæ facta ſunt, & amittat res fidem, quæ generibus uirtutũ tantis & poteſtatum indubitabilis eſſe monſtrata eſt. Tu opponas, & referas, cur tã ſero emiſſus eſt ſoſpitator?* In *infinitis perpetuis ſeculis nihil omnino dicendum eſt ſerum.* Vbi *enim*

finis,& initiũ nullum eſt,nihil præmaturum eſt,nihil tar dum,tempus enim à finib.et extremitatibus noſcitur,quæ habere nõ poteſt ſeries & immoderata cõtinuatio ſeculo rũ. Quid enim ſi res ipſæ, quibus opem cõueniebat ferri, opportunitatẽ iſtam tẽporis exigebant? Quid ſi alterius cõditionis antiqua,alterius fuere ſequẽtia? Quid ſi priſcis aliter ſubueniri, aliter debuit poſteriorib. conſuli? Nonne literas auditis cõmemorantes ueſtras,fuiſſe homines olim Semideos, Heroas, cũ immanibus corporibus atq; uaſtis? Non infantes ſub uberib. matrũ ſtentoreos legitis edidiſſe uagitus, quorũ oſſa uarijs in regionib. eruta,uix reperto rib. fecerũt fidem,humanorum reliquias eſſe membrorũ? Poteſt ergo fieri, ut tum demũ emiſerit Chriſtũ deus omnipotens,deus ſolus,poſtq̃ gens hominũ fractior, & infirmior cœpit noſtra eſſe natura: ſi quod hodie factũ eſt,ante millia fieri potuiſſet, annorum, feciſſet iſtud rex ſummus: aut ſi poſt totidẽ millia id,quod hodie factum eſt,debuiſſet impleri nihil deum cogebat neceſſarias temporũ nõ expectare menſuras. Rationibus fixis peraguntur res eius, & quod ſemel decretũ eſt fieri,nulla poteſt nouitate mutari. Cũ ergo, inquitis,omnipotẽti ſeruiatis deo,& cũ habere cõfidatis ſalutis atq; incolumitatis ueſtræ curam, cur perſecutiões patitur perpeti uos tantas atq; omnia genera penarũ & ſuppliciorũ ſubire? Perquiramus & nos cõtrà, cur & uos cũ tantos & tã innumeros colatis deos, cũq; illis ædes conſtituatis ſacras, ſimulacra effingatis ex auro, animantium mactetis greges,acerras omnes thuris plenis conficiatis altaribus: cur non immunes agitis tot di ſcriminibus,& procellis,quibus quotidie uos agunt exi-

tiabiles

tiabiles multiplicesq́; fortunæ? Cur (inquã) dij ueſtri ceſſant à uobis auertere tot morborũ & ualetudinum genera, naufragia, ruinas, incendia, peſtilentias, ſterilitatem, amißionem pignorum, & proſcriptionẽ bonorum, diſcordias, bella, ſimultates, captiuitates urbium, & ſublatis ingenuitatibus ſeruitutes? Sed & nobis in huiuſmodi caſibus minime auxiliatur deus. Prompta, & manifeſta cauſa eſt. Nihil enim eſt nobis promiſſum ad hanc uitam, nec in caruncul æ huius folliculo conſtitutis, opis aliquid ſponſum eſt, auxilijq́; decretũ: quinimmo edocti ſumus minas omnes, quæcũq; ſunt paruiducere, atq; æſtimare fortunæ. Ac ſi quãdo ingruerit uis quæpiã grauior, q̃ finem neceſſe ſit conſeq, aſcribere infortunio: uoluptatẽ nec timere, nec fugere, quo facilius exui corporalib. poßimus è uinculis, & tenebroſam euadere cæcitatem. Itaq; iſta, quam dicitis perſecutionis aſperitas, liberatio noſtra eſt, non perſecutio: nec pœnã uexatio inferet, ſed ad lucem libertatis educet: ut ſi aliquis brutus ac ſtolidus in carcerẽ hominẽ damnatum ingreſſum, quæſtionũ nunquam afficere ſe grauibus atq; immanibus exiſtimet pœnis, niſi in ipſum ſœuiat carcerem, materiam eius cõminuat, atq; urat tectum, parietem, ianuas, parteſq́; alias operis renudet, deijciat, affligat, neſciens hoc facto ei, cui uideatur officere, dari ab ſe lucem, & ſceleratam eripi cæcitatem: itidem & uos flammis, exilijs, cruciatibus, beluis, quibus corpora lancinatis & diuexatis noſtra, non uitam eripitis nobis, ſed pelliculis reuelatis & cutibus nos: neſcij quòd quantum inſtatis & pergitis in effigies has noſtras ſpecieſq́; ſæuire, tantũ arctis & grauibus reuelatis nos uinculis, & ad lumẽ effi-

citis circumciſis nexibus euolare. Quare homines abſtinete quæſtionibus uacuis impedire ſpes ueſtras: nec,ſi aliter quàm uos putatis, aliquid ſe habet,ueſtris potius opinionibus credere,quàm rei debetis auguſtæ. Vrgent tempora periculis plena, & exitiabiles imminent pœnæ,confugiamus ad ſalutarem deum, nec rationẽ muneris exigamus oblati: cum de animarũ agatur ſalute,ac de reſpectu noſtri,aliquid et ſine ratione faciendum eſt, ut Epictetum *dixiſſe approbat* Arrianus. Dubitamus, *ambigimus, nec eſſe quod dicitur plenũ fidei ſuſpicamur: cõmittamus nos deo,ne plus apud nos ualeat incredulitas uoſtra,quàm illius nominis & potẽtiæ magnitudo: ne dum ipſi nobis argumẽta cõquirimus, quibus eſſe uideatur falſum id, quod eſſe nolimus atq; adnitimur uerũ obrepat dies extremus & inimicæ mortis reperiamur in faucibus.*

ARNOBII DISPVtationum aduerſus Gentes, Liber tertius.

IAMDVDVM *quidẽ criminibus his omnibus,maledictionibus potius (ut uera dicamus) ab excellentibus parte in hac uiris, & ueritatem iſtam commeritis noſſe, ſatis plene accurateq; reſpõſum eſt: neq; apex ullus ullius prætermiſſus eſt quæſtionis,qui non ſit modis mille,& rationibus ualidiſſimis refutatus: non eſt igitur neceſſariũ parte in hac cauſæ diutius immorari.* Neq; *enim ſtare ſine aſſertoribus nõ poteſt religio* Chriſtiana:*aut eo eſſe cõprobabitur uera,ſi aſtipulatores habuerit plurimos,& aucto*

rit atem

ritatem ab hominibus ſumpſerit. Suis illa contenta eſt uiribus, & ueritatis propriæ fundaminibus nititur: nec ſpoliatur ui ſua, etiamſi nullũ habeat uindicem: immo ſi linguæ omnes cõtrafaciant, contráq; nitantur, & ad fidem illius abrogandam conſenſionis unitæ animoſitate conſpirent. Nunc ad ordinem reuertamur, à quo ſumus neceſſario pauloante digreßi: ne diutius interrupta defenſio palmam criminis comprobati calumniatoribus cõceßiſſe dicatur. Subijciunt enim hæc: Si uobis diuina res cordi eſt, cur alios nobiſcum neq; deos colitis, neq; adoratis, nec cũ ueſtris gentibus cõmunia ſacra miſcetis, & religionum coniungitis ritus? Poſſumus interim dicere, ad cultum diuinitatis obeundũ ſatis eſt nobis deus primus: deus (inq̃) primus, pater rerum ac dominus, cõſtitutor moderatórq; cunctorum: in hoc omne, quod colendũ eſt, colimus: quod adorari conuenit, adoramus: quod obſequiũ uenerationis expoſcit, uenerationibus promeremur. Cum enim diuinitatis ipſius teneamus caput, à quo ipſa diuinitas diuinorũ omniũ, quæcũq; ſunt ducitur: ſuperuacuum putamus perſonas ire per ſingulas: cum & ipſi, qui ſint, & quæ habeant nomina, neſciamus: et cuius ſint præterea nũeri, neq; liquidum, neq; cõprehenſum, nec exploratũ habere poſſimus. Atq; ut in terreſtribus regnis neceßitate nulla compellimur, regalibus in familijs cõſtitutos nominatim cum principibus adorare, ſed in regum ipſorũ cultu, quicquid illis annexum eſt, tacita ui ſe ſentit honorificentia cõprehendi: non alia ratione (quicũq; hi dij ſunt) quos eſſe nobis proponitis: ſi ſunt progenies regia, & principali oriuntur è capite, etiam ſi nullos accipiant nominatim à no-

bis cultus, intelligunt ſe tamen honorari cõmuniter cum ſuo rege, atq; in illius uenerationib. contineri. Et hoc quidem à nobis fuerit ita prolatum ſi modo liquet & cõſtat præter ipſum regẽ & principẽ eſſe non alia capita, quæ digeſta & ſeparata per numerũ, uelut quendã populum plebeiæ multitudinis faciant. Neq; nobis in ædibus ſacris effigies pro dijs, & illa ſimulachra uelitis oſtendere: quæ intelligitis uos quoq;, & renuitis confiteri, uiliſſimi eſſe formas luti, & fabrorũ figmenta puerilia. & cum de re loquimur diuina uobiſcum, hoc ut oſtendatis expoſcimus, eſſe deos alios natura, ui, nomine: non in ſimulacris propoſitos, quos uidemus, ſed in ea ſubſtantia, in qua conueniat æſtimari tanti eſſe nominis oportere uirtutẽ. Sed conſilium nõ eſt parte in hac cauſæ diutius immorari: ne lites maximas cõcitare, ac tumultuoſa cõſerere uideamur uel le certamina. Sit iſta (ut prædicatis) plebs numinum, ſint Deorũ innumeræ gẽtilitates: aſtipulamur, acquieſcimus, nec in aliqua quæſtione dubitabile iſtud ambiguũq; configimus. Illud tamẽ à uobis audire expoſcimus, et rogamus, unde uobis compertũ eſt, uel quibus rationib. cõprehenſum, hinc ſint in cœlo, quos eſſe exiſtimatis, & colitis: an neſcio qui alij, opinionis et nominis inauditi? Poteſt enim fieri, ut hi ſint, quos eſſe nõ remini: & quos eſſe cõfiditis, in nulla inueniãtur parte naturæ. Neq; enim cœli aliquando ſubuolaſtis ad ſydera, ſingulorũ facies atq; ora uidiſtis: et quos eſſe memineritis illic deos, eoſdẽ hic colere, tãquã notos inſtituiſtis, ac uiſos. Sed et illud rurſus deſideramus audire à uobis, impoſitane habeãt hæc nomina, qbus eos uocatis, an ipſi hæc ſibi diebus impoſuerint ludicris. Si di

uina hæc ſunt & cœleſtia nomina, quis detulit ad uos ea? Sin autē à uobis appoſitas appellationes has habēt, quemadmodū potuiſtis uocabula his dare, quos neq; uidebatis aliquādo, neq; quales, aut qui eſſent in nulla cognitiōe noratis? Sed ut uultis, & creditis, atq; ut uobis pſuaſum eſt, hi dij ſint: nominibus appellentur his etiā, quibus eos populares cēſeri popularis uulgaritas ducit: unde tamen uobis quæ nominis huius ſenſum cōplent? an ſunt aliqui uobis in cognitiōe, in uſum aliquādo notitiáq; perlati? Neq; enim ſciri eſt facile, definita et certa ſit eorū numeri multitudo: an ſine ulla populoſitatis ſumma ſit, nec computationis alicuius rationibus terminata. Fingamus enim uos deos mille percolere, uel millia potius quinq;: at in rerum natura poteſt forſitan fieri, ut deorū millia centū ſint: poteſt & hoc amplius, immo (quod diximus pauloante) poteſt deorum ſummam eſſe nulla, nec numerabili circumſcriptione finita. Aut igitur et uos impij, qui præter deos paucos reliquorū officia non obitis: aut ſi uobis ueniam cæterorum ignorantiæ poſtulatis, eandem & nobis conciliabitis ueniam: ſi pro parte conſimili eorū religionibus abſtinemus, quos eſſe omnino neſcimus. Et tamē, ne nos quiſquā peruicaciter arbitretur ſacramēta nolle ſuſcipere cæterorum (quæcūq; ſunt) numinum: deuotas etenim mētes & manus protēdimus ſupplices, neq; aſpernamur, quocunq; inuitaueritis, accedere: ſi modo diſcamus quinā iſti ſunt diui, quos nobis ingeritis, et quos par ſit adiungi ſummi regis ac principis uenerationi. Saturnus, inquit, & Ianus eſt, Minerua, Iuno, Apollo, Venus, Triptolemus, Hercules, atque alij, & cæteri, quibus magnificas ædes cun-

ctis

ctis penè in urbibus religioſa conſecrauit antiquitas. *In-uitare nos forſitan ad iſtorum numinum potuiſſetis cultū ſi non ipſi uos primi opinionū turpium fœditate talia de illis cōfingeretis, quæ non modo illorum polluerēt digni tatem, ſed minime illos eſſe qualitatibus cōprobaretis ad iunctis*. *Adduci enim primū hoc ut credamus non poſſu-mus:immortalem illam præſtantiſsimamq́; naturam diui ſam eſſe per ſexus, & eſſe partem unam mares, partem eſſe alteram fœminas. Quē quidem locum plene iamdu-dum homines pectoris uiui, tam Romanis literis explica uere, quàm Græcis: & ante omnes* Tullius *Romani diſer tiſsimus generis, nullam ueritus impietatis inuidiam, inge nue, conſtanter, & libere, quid ſuper tali opinatione ſen-tiret, pietate cum maiore monſtrauit. à quo ſi res ſumere iudicij ueritate conſcriptas, non uerborū luculentias per geretis, perorata eſſet & hæc cauſa: nec ſecundas (ut dici tur) actiones nobis ab infantibus poſtularet. Sed quid au-cupia uerborū, ſplendoreq́; ſermonis peti ab hoc dicā, cū ſciā eſſe non paucos, qui auerſentur & fugiant libros de hoc eius, nec in aurem uelint admittere lectionem opinio num ſuarū præſumpta uincentē? cumq́; alios audiā muſſi tare indignāter, & dicere: oportere ſtatui per Senatum, aboleantur ut hæc ſcripta, quibus Chriſtiana religio com probetur, & uetuſtatis opprimatur auctoritas? Quinim mo ſi fiditis exploratū uos dicere quicquā de dijs ueſtris, erroris conuincite Ciceronem, temeraria & impia dicta refellitote, redarguite, reprobate. Nam intercipere ſcri-pta, & publicatā uelle ſubmergere lectionē, non eſt deos defendere, ſed ueritatis teſtificationē timere. Ac ne tamen*

& nobis inconſideratus aliquis calumniam moueat, tanquam deum, quem colimus, marem eſſe credamus: ea ſcilicet cauſa, quod eum, cum loquimur, pronunciamus genere maſculino: intelligat non ſexum, ſed uſu, & familiaritate ſermonis appellationem eius, & ſignificantiam promi. Non enim deus mas eſt, ſed nomē eius generis maſculini eſt: quod idem uos dicere religione in ueſtra non quitis. Nam cõſueſtis in precibus, ſiue tu deus es, ſiue tu dea, dicere: quæ dubitationis exceptio dare uos dijs ſexū diſtinctione ex ipſa declarat. Adduci ergo nõ poſſumus, ut corpora credamus deū. Nam neceſſe eſt corpora, ſi ſunt mares ac fœminæ, ui ſignificata ex generū diſtinctione. Quis enim uel exigui ſenſus neſcit terrenorū ab illo animantiū conditore non alia de cauſa generis diuerſi ſexus inſtitutos eſſe, atq; formatos, niſi ut per coitus, & connubia corporum, res caduca & labilis ſucceßionis perpetuæ innouatione duraret? Quid ergo dicemus? Deos procreare? Deos naſci? & icciro his additas genitalium mēbrorum partes, ut ſufficere prolem poſſent, & noua quaq; ſuboriēte fœtura, quicquid prior ætas abſtuliſſet, recidiua ſubſtitutio ſubrogaret? Ergo ſi hæc ita ſunt, id eſt ſi Dij procreant ſuperi, & ſi per has leges experiuntur ſe ſexus, ſuntq; immortales, nec frigoribus fiunt ſenectutis effœti, ſequitur ut debeant plena eſſe dijs omnia: neq; innumeros cœlos eorum capere multitudinē poſſe: ſiquidem & ipſi perpetuo generant, & per ſoboles ſobolum multiplicata ſemper innumerabilitas ampliatur, aut ſi obſcœnitas coeundi (ita ut decet) ab Dijs abeſt, quæ cauſa ratioq; monſtrabitur, cur inſigniti ſint his locis, quibus ſexus ſe ſolēt

libi-

libidinum propriarũ admonitionib. recognoſcere? Neq; enim ueri eſt ſimile haberi hæc fruſtra, aut improuidentiam in illis ſuam ludere uoluiſſe naturam: ut eos his partibus aggeraret, quibus utendũ non eſt. Sed enim ut ad uſus certos, manus, pedes, oculi, cæteraq; conſtructio mẽbrorum ſua quæ in officia conſtituta eſt, ita conuenit credere in ſui muneris functionẽ comparatas eſſe has partes: aut confitendum eſt in deorũ corporibus eſſe aliquid uacuum, quod ſit fruſtra atq; inaniter fabricatũ. Quid dicitis ô ſancti atq; impolluti Antiſtites religionum? Habent ergo dij ſexus, & genitaliũ membrorum circũferunt fœditates, quas ex oribus uerecundis infame eſt ſuis appellationib: promere? Quid ergo iam ſupereſt, niſi ut eos credamus immundorum quadrupedum ritu, in libidinũ furias geſtire, cupiditatibus rabidis ire in mutuas cõplexiones, & poſtremũ fractis diſſolutisq; corporibus uoluptatis eneruatione langueſcere? Et quoniã quædam ſunt fœminarum generis propria, ſequitur ut eas quoq; credamus circũactis perſoluere ſuas mẽſibus leges: faſtidioſos ducere atq; habere conceptus: aboriri, perferre, & præpropero partu ſeptimanas edere aliquãdo fœturas. O pura, ô ſancta, atq; ab omni turpitudinis labe diſparata atq; abiuncta diuinitas, auet animus, atq; ardet in Chalciœcis illis magnis, atq; in palatijs cœli deos deasq; cõſpicere intectis corporibus atq; nudis, apud Iacchum Cererem (muſa ut prædicat Lucretij) mãmoſam, Helleſpontiacũ Priapum inter deas uirgines atq; matres circumferentem res illas, præliorũ ſemper in expeditiõe paratas. Auet inquã uidere deas grauidas, deas fœtas, gliſcẽtibusq; p dies aluis inte-

inteſtini põderis moroſitate cunctari, parturire alias tractu longo, & manus obſtetricias quærere: illas telis grauibus, & dolorum acuminibus fixas eiulare, & hortari, et inter hæc omnia ſuppetias Iunonis implorare Lucinæ. Nónne multo eſt rectius maledicere, conuitiari, atq; alia ingerere dijs probra, quàm obtẽtu pio talia de his mõſtra opinionum indignitate præſumere? Et audetis aſcribere cauſam nobis offenſionis deorum? cũ ſi iudicatio fiat, certiſsima in uobis reperiatur hæc eſſe, & in cõtumelia, quã opinamini ſtare. Nam ſi dij (ut dicitis) afficiũtur ira, & animorum indignationibus incaleſcũt: cur eos non putemus ægre atq; acerrime ſuſtinere, dari ſibi à uobis ſexus, quibus canes porciq; formati ſunt? & cum ita credatis, non aliter ſe fingi, & ignominioſa cum oſtentatione proponi? Ergo cum hæc ita ſint, miſeriarũ omniũ cauſa uos eſtis, uos deos impellitis, uos excitatis inſiſtare omnibus malis terras, & noua quæque quotidie ſtruere, quibus ulciſci ſe poßint tot à uobis iniurijs et maledictionibus exaſperati. Maledictionibus, inquam, & iniurijs, quas partim fabulis turpibus, partim opinionibus indecoris, quas ueſtri Theologi, quas poetæ, quas ipſi uos quoq; ignominioſis celebratis in ritibus, res perditas inuenietis humanas, & abieciſſe clarum deos: ſi modo illorum curam ſpectat, mortalium regere atq; adminiſtrare fortunas. Nam nobis quidem cur iraſcantur non habent: quos uident & ſentiunt, neq; ſe colere, neq; deridere, quod dicitur, & honeſtius quã uos multo de ſui nominis dignitate exiſtimare & credere. De ſexu hactenus. Nũc ad ſpeciem ueniamus & formas, quibus eſſe deſcriptos deos ſuperos creditis: quibus

quibus immo formatis, & templorũ ampliſsimis colloca tis in ſedibus. Neq; quiſquã Iudaicas in hoc loco nobis op ponat & Sadducæi generis fabulas, tanquam formas tribuamus & nos deo: hoc enim putatur in eorum literis di ci & lege, certaq; auctoritate firmari: quæ aut nihil ad nos attinent, nec ex aliqua portione quicquã habent com mune nobiſcum: aut ſi ſunt creditæ ſociæ, quærẽdi ſunt uo bis altioris intelligentiæ doctores, per quos poſsitis addiſcere, quibus modis cõueniat literarũ illarum nubes, atq; inuolucra relaxare. noſtra de hoc ſententia talis eſt. Naturam omnem diuinam, quæ neq; eſſe cœperit aliquando nec uitalem ad terminum ſit aliquãdo uentura, liniamentis carere corporeis, neq; ullas formarum effigies poſsidere, quibus extima circũſcriptio membrorũ ſolet coagmẽta finire. Quicquid enim tale eſt, mortale eſſe arbitramur & labile: nec obtinere perpetuã poſſe credimus æuitatem, quod extremis coercitum finibus neceſsaria cicũcludit extremitas. At uero uos deos parum eſt formarum quòd amplectimini menſione, filo etiam atterminatis humano: & quod indignius multo eſt, terrenorũ corporum circũceſura finitis. Quid ergo dicemus? Caput deos geſtare tereti rotunditate collectum, retinaculis neruorũ dorſo illigatum ac pectori, & ad ceruicũ neceſſarias flexiones cõſertionibus uerticum, atq; oſſea ſubſtructione fulciri? Quod ſi accipiemus ut uerum ſit, aures etiã ſequitur ut habeant curuis perterebratas anfractibus: oculorũ orbiculos mobiles, ſuperciliorũ marginibus obũbratos: ſuſpenſum imbricem narium, munctionibus mucculentis et ſpiritali cõmeabilem tractui: ſubactionibus ciborũ dẽtes trini-

trini generis, atq; in officia trina cõpoſitos: manus miniſtras operum articulis, digitis, & cubitorũ mobilitate tractabiles: corporibus ſuſtinendis pedes, explicandis greſſibus, & ſuggerendis anticipationibus itionũ. Quod ſi ea, quæ prõpta ſunt, conſentaneũ eſt & illa putari, quæ ſub coſtis, earũq; ſub cratibus cutes cõtegunt, atq; omentorũ membranulæ: gurguliones, uentriculos, uenas, pulmones, ueſiculas, iecora, inteſtinorũ uolubiliũ tractus, & per omnia uiſcera cõmeantes purpurei ſanguinis uenas cũ arterijs ſpiritalibus coniugatas, An nunquid cœleſtiũ corpora fœditatibus his carẽt: & quoniã cibis mortalibus abſtinent, edentulos eos eſſe paruulorũ credendum eſt ritu? & uiduatos interioribus cunctis, tanquã utres ſufflatos, turgidorũ corporũ inanitate pendere? Quid quòd, ſi hæc ita ſunt, erit uobis neceſſarium contueri, ſimileſne ſint dij omnes, an formarum diſpari circunſcriptione teneantur: Si enim par cũctis, atq; una eſt omnibus ſimilitudinis ſpecies, non abſurdum eſt credere errare eos, fallíq; cognitionis in mutuæ cõprehenſione. Sin autẽ gerũt diſcrimen in uultibus, ſequitur ut intelligi debeat non alia de cauſa diſſimilitudines his datas, niſi ut ſinguli ſe poſſent differentium ſignorũ proprietatibus noſcitare. Ergo eſſe dicendũ eſt quoſdam capitones, ſilunculos, frontones, labeones: in his alios mentones, næuios, atq; naſicas. Hos diſploſis naribus, illos reſimis, nõnullos turgentibus malis aut buccarum cumulatione acriuoces, nanos, longos, medios, macilentos, pingues, craſſos: hos capillorũ intortionib. criſpulos, caluitijs alios et glabritatibus raſos. neq; opinari nos falſo ueſtræ produnt atq; indicant officinæ. Siquidẽ cum,

facitis atq; informatis deos, hos crinitos effingitis, alios le ues, ſenes, iuuenes, pueros, aquilos, cæſios, rauos, ſeminudos, intectos, aut (ne frigus incõmodet) fluidarũ ueſtium ſuperiectione perfuſos. Quiſquamne eſt hominũ rationis alicuius ſapore cõtactus, qui pilos & lanugines credat in deorum corporibus naſci? qui annorũ in illis ineſſe diſcrimina? qui & per uarias tegminũ atq; amictuum formas ueſtitos hos ire, atque ab æſtibus ſeſe frigoribusq; tutari? Quod qui habet uerum, & hoc neceſſe eſt tanquam uerũ accipiat: eſſe deos fullones, eſſe tonſores: qui uel ſacras eluant ueſtes, uel capillos imminuant ſylueſcentiũ crinium uelleribus inuolutos. Itane iſtud non turpe, non impietatis & contumeliæ plenum eſt, moribundi & caduci animantis liniamenta dijs dare? inſignire his partibus, quas enumerare, quas perſequi probus audeat nemo, nec ſine ſummæ fœditatis horrore, mentis imaginatione concipere? Hoccine eſt illud faſtidium ueſtrum, ſapiẽtia hæc arrogans, qua deſpicitis nos ut rudes, atq; omnẽ ſcientiã remini rerum uobis diuinarum patere? Aegyptiorũ ridetis ænigmata, quòd mutorum animantiũ formas diuinis inſeruerint cauſis, eaſdemq; quòd ſpecies multo thure accipiant, & reliquo cærimoniarũ paratu: uos effigies hominum tanquam deorum ueneramini poteſtates: nec pudet his ora terreni animalis imponere, erroris alios. & ſtultitiæ condemnare, & in erroris eiuſdem ſimilitudine ac uitio deprehendi. Niſi forte dicetis alias quidẽ ineſſe dijs formas, & honoris, & dotis cauſa ſpecies uos eis accommodauiſſe mortalium, quod maioris multo eſt cõtumeliæ quàm erroris aliquid ignoratione feciſſe. Nam ſi uos fatemini

remini

remini id, quod ueſtra ſuſpitio credidiſſet, formam mentis attribuiſſe diuinis, minus erat iniuriæ præſumpta in opinatione peccaſſe. Nūc uero, cū aliud creditis, & aliud fingitis, & in eos eſtis contumelioſi, quibus id attribuitis quod eos confitemini non eſſe: & irreligioſi eſſe mōſtramini, cū id adoratis quod fingitis, nō quod in re eſſe ipſaq́; in ueritate eſſe cenſetis. Si aſelluli, canes, porci, humanū aliquid ſaperent, fingendiq́; haberent artes: iidemq́; nos uellent cultu aliquo proſequi, & ſtatuarū conſecrationibus honorare, quantas nobis irarū flammas, indignationum quos turbines concitarent, ſi ſuorum corporum formas noſtra uellēt portare atq; obtinere ſimulacra? Quātas inquam irarum flammas ſuffunderēt, excitarent, ſi urbis cōditor Romulus aſinina ſtaret in facie, ſi ſanctus Pōpilius in canina, ſi porcina ſub ſpecie nomē eſſet Catonis, aut Marci Ciceronis inſcriptum? Ita ergo ſtoliditatem ueſtram non rideri (ſi rident) ueſtris ab numinibus remini? aut, quoniam cenſetis affici eos ira, non inſanire, non furere, neq; pro iniurijs & contumelijs tantis ultum ire ſe uelle, iaculariq́; in uos ea, quæ dolor ſuetus eſt iacere, & offenſionis acerbitas comminiſci: Quāto fuerat rectius elephantorū his formas, pantherarum, aut tigridum, taurorum, equorumq́; donare? Nam quid in homine pulchrum eſt, quid quæſo admirabile, uel decorum, niſi quod & ueterino cum pecore neſcio quis auctor uoluit eſſe commune? Sed ſi uobis (inquiunt) noſtra opinatio diſplicet, uos demonſtrate, uos dicite, qua ſit deus præditus forma. Si ueram uultis audire ſententiam, aut nullam habet Deus formam: aut ſi informatus eſt aliqua, ea quæ ſit, profectò

neſcimus. Neq; *enim quod uidimus nunquam, neſcire eſſe ducimus turpe: aut ea re prohibemur aliorum ſententias refutare, quia ſuper hoc noſtram nullam ipſi ſententiam promimus.* Vt *enim ſi uitreus eſſe dicatur mundus, ſi argenteus, ferreus, uel ex fragili condolatus & fabricatus teſta, non dubitemus falſum eſſe cõtendere, quamuis quæ ſit eius materia neſciamus: ita cum de ſpecie agatur* Dei, *quam perhibetis cõuincimus non eſſe, etiam ſi quæ ſit minus poßumus explicare.* Q*uid ergo (inquiet aliquis) non audit deus? non loquitur? nõ ante ſe poſitas res uidet? nõ intuetur? Suo forſitan genere, nõ noſtro.* Neq; *enim ueri aliquid ſcire tanta in re poßumus, aut ſuſpitionibus indagare: quas eſſe apud nos liquet inſtabiles, lubricas, & uanorum ſimilitudines ſomniorũ.* Si *enim dixerimus ijſdem illum rationib. uidere, quibus & nos uidemus: ſequitur ut intelligi debeat ſuperiectas pupillis eũ habere mẽbranulas, cõniuere, nictare, radijs, aut imaginibus cernere, aut quod oculis cõmune eſt omnibus, ſine alterius luminis cõmixtione nihil omnino cõſpicere.* Q*uod ipſum ſimiliter de auditu, ac de eloquij forma, & uerborũ prolatione dicendum eſt.* Si *per aures audiat, eas quoq; habere flexuoſis tramitibus perforatas, quà irrepere uox poßit ſenſum nũciatura ſermonis: aut ſi uerba ore funduntur, labia habere cum dentibus, quorũ inflictu & mobilitate multiiuga lingua ſonos articulet, & uocem in uerba conformet.* Si *noſtri animi motũ non recuſatis audire, tantũ abeſt ut nos deo corporalia liniamenta tribuamus, ut animorum etiam decora, ipſasq; uirtutes (quibus eminere uix cõceſſum eſt paucis) tantæ rei uereamur aſcribere.* Q*uis enim*

deum

Deum dixerit fortem, conſtantem, frugi, ſapientem? quis probum? quis ſobrium? quis immo aliquid noſſe? quis intelligere? quis prouidere? quis ad fines officiorũ certos actionum ſuarũ decreta dirigentem? Humana ſunt hæc bona, & ex oppoſitione uitiorũ exiſtimationẽ meruerunt habere laudabilem. Quis eſt autem tam obtuſi pectoris, tam bruti, qui humanis bonis deum eſſe dicat magnũ? aut ideo nominis maieſtate præcellere quod uitiorum careat fœditate? Quicquid de deo dixeris, quicquid tacitæ mentis cogitatione cõceperis, in humanum tranſilit & corrũpitur ſenſum: nec habet propriæ ſignificationis notam, quod noſtris dicitur uerbis, atq; ad negocia humana compoſitus. Vnus eſt hominis intellectus de dei natura certiſſimus, ſi ſcias, & ſentias nihil de illo poſſe mortali oratione depromi. Et hæc uero prima eſt ueſtrorũ numinũ contumelia, quã de formis, & ſexibus boni ſcilicet uindices, et religioſi cõſtituiſtis auctores. Illud uero, quòd ſequitur, quale eſt, quòd deos uobis inducitis alios fabros, alios medicos, alios lanarios, nautas, citharistas, aulœdos, uenatores, paſtores, & quod ſuperat, ruſticos? Et ille, inquit, muſicus deus eſt: & hic alter diuinus eſt. Cæteri enim dij nõ ſunt, & uentura prædicere inſcitia neſciunt, atque ignorantia futurorum. Obſtetricis ille informatus artibus, medicorum alius inſtitutus eſt diſciplinis. Ergóne ſinguli ſua in re pollent, nec in auxilium uocati alienis poſſunt in partibus ſubuenire? Hic in ſermone facundus eſt, atq; in uerborũ continuationibus promptus: bardi enim ſunt alij, nec poſſunt aliquid ſcitum (ſi oratio faciẽda eſt) eloqui. At rogo quæ ratio eſt, quæ tam dura neceſſitas, quæ

cauſa,ut artificia hæc ſuperi tanquam uiles nouerint atq; habeant ſellularij? In cœlo enim cantatur & pſallitur,ut interualla & numeros uocum nouem cõferant ſcitulæ ac modulentur ſorores. Sũt in ſydereis mõtib. ſyluæ, ſunt luſtra, ſunt nemora, ut uenationũ præpotẽs habeatur in expeditionib. Diana. *Imminentia dij neſciũt: & ſortibus uiũt agitãturq; fatalibus, ut quid cuiq; craſtinus dies ferat, aut hora,* Latonius *explicet atque aperiat uates: ipſe alio impletur deo, et ui numinis premitur exagiturq; maioris, ut merito dicatur habeaturq; diuinus.* Corripiũtur *dij morbis, & uulnerari, uexari aliqua ex re poſſunt: ut cũ exegerit ratio, auxiliator ſubueniat* Epidaurius. Parturiunt, *pariunt: ut difficiles puerperiorũ tricas* Iuno *mulceat corripiatq;* Lucina. Rem *ruſticam tractant, aut curant militaria munera: ut flammipotens* Vulcanus *fabricetur his enſes, aut ruris ferramenta procudat. Veſtis indigent tegmine: ut uirgo* Tritonia *curioſius ſtamen neat: & qualitate pro tẽporis, aut trilices tunicas, aut de ſerico imponat.* Accuſant, *& diluunt crimina: ut* Atlantea *progenies eloquij primas ferat ſtudioſa exercitatiõe quæſiti.* Erras, *inquit, & falleris: non enim ipſi opifices dij ſunt, ſed ingenijs hominum ſubijciũt has artes, atq; ut uita ſit inſtructior, tradunt ſcienda mortalibus. Sed qui aliquã ſubijcit ignaro ac neſcio diſciplinã, ſolertẽq; his efficere non nullius operis ſcientia cõtendit, ſciat ipſe neceſſe eſt primus id, quod alterum colere cõſtituit. Neq; enim traditor alicuius eſſe ſcientiæ potis eſt, ut nõ eius quod tradit præcepta habeat cognita, & rationẽ teneat exercitatiſſime cõprehẽſam. Dij ergo ſunt artifices primi: ſiue quòd, ipſi ut*

dicitis

dicitis,ſubdũt ſcientiam mentibus:ſiue quòd immortales, & geniti nunquã, genus omne terrenũ uetuſtate temporis antecedunt. Hoc eſt ergo quod quæritur, cũ ſit nullus apud ſuperos artibus his locus:neq; uſus illorũ,neq; natura depoſcat ingenioſum aliquid,aut ſellularium ſcire:cur eſſe dicatis in alijs perceptionibus gnariores, & habere ſolertias,in quibus ſingulis euincant ſcientiarũ cognitione diſcreti? Niſi forte hoc dicitis, deos artifices non eſſe, ſed eos his artibus præſidere, curare:immo ſub illorũ poſita eſſe tutela omnia,quæ adminiſtramus, quæ gerimus: atq;,ut bene ac feliciter cedant, illorũ prouiſione curari. Quod quidẽ merito dici ac probabiliter uideretur, ſi ad uoluntatem ſemper ſententiãq; procederent ea,quæ obimus,quæ gerimus,aut in negocijs periclitamur humanis. Cũ uero in contrariũ quotidie res uertantur,neq; ad propoſitum uoluntatis actionum reſpondeant fines, ludentis eſt dicere deos nobis ſupereſſe cuſtodes, quos ſuſpitio finxit noſtra, non explorata ueritas comprehendit. Per maria tutiſſimas præſtat Portunus commeantibus nauigationes: & cur inſanum mare tam frequentes expoſuit crudelium naufragiorum ruinas? Salutaria, & fida conſilia noſtris ſuggerit cogitationibus Conſus: & in contrarios exitus cur aſſidue uertitur placitorum inopinata mutatio? Armentorum, & pecorum gregibus Pales præſunt Inuusq; cuſtodes: & cur ſæua contagia, & peſtilentes morbos ab æſtiuis auertere ceſſatione inimica non curant? Flora illa genitrix,& ſancta obſcœnitate ludorum bene curat ut arua floreſcãt: & cur quotidie gemmulas, & pubeſcentes herbas adurit atque interficit nocentiſſi-

mum frigus? Puerperijs Iuno præpoſita eſt, & auxiliatur genitricibus fœtis, & matrum intereunt cur quotidie mil lia parricidalibus nixibus interemptæ? In tutela Vulcani eſt ignis, & materies eius in illius regimine cõſtituta eſt: & cur ædes frequentiſsime ſacras, atq; urbiũ potiores ad cinerem patitur flammarũ uoracitate collabi? Diuinatio nis ſcientiam largitur hariolantibus Pythius, & cur obli quata dubia, cur obſcuritatibus ſubmerſa caligine dat ſæ pius ſubmonſtratq; reſponſa? Aeſculapius officij & me dendi artibus præeſt: & cur plura morborum & ualetu dinum genera ad ſanitatẽ nequeunt incolumitatẽq; per duci, immo ſub ipſis fiunt curantiũ manibus atrociora cu ræ? Mercurius ceroma pugillatibus & luctationib. præ ſtat, & cur inuictos omnes nõ perficit, quibus præeſt? cur unius in officio præſidiatus, hos uictoriæ cõpotes, alios ue ro perpetitur ignominioſa infirmitate rideri? Tutelari bus, inquit, ſupplicat dijs nemo, & iccirco ſinguli familia ribus officijs atq; auxilijs deſunt. Niſi enim thura, & ſal ſas accipiant fruges, benefacere dij nequeunt? & niſi pe corum ſanguine delibutas ſuas conſpexerint arulas, ſuos deſerũt atq; abijciunt præſidiatus? At quin ego rebar pau lo ante, ſpontaneas eſſe numinum benignitates, ultroq; ab his fluere inexpectata beneuolentiæ munera. Nũquid e nim rex poli libamine aliquo exãbitur, aut hoſtia, ut o mnia iſta, quib. uiuitur, cõmoda mortaliũ gentibus largia tur? Non feruorem genitalem ſolis deus, noctis & tempo ra, uentos, pluuias, fruges, cunctis ſubminiſtrat æqualiter bonis, malis, iniuſtis, ſeruis, pauperibus, diuitibus? Hoc eſt enim propriũ dei potentis ac ueri, inexorata benefi

tia præbere feſſis atq; inualidis rebus, & multiformi ſem per aſperitate uallatus. Nam ſacrificijs editis id quod po-ſcaris annuere, non eſt iſtud poſtulantibus ſubuenire, ſed benignitatis propriæ munificentiam uenditare. Ludimus & laſciuimus tanta in re homines, & quid ſit deus obli-ti, quid iſtius magnificētia nominis, quicquid uile uel ſor-didum ſuſpitioſa potuimus credulitate cōfingere, diuis tu telaribus arrogamus. Vnctionibus, inquit, ſupereſt Vn-xia, cingulorum Cinxia replicationi, Victa & Potua ſan ctiſſimæ uictui potuiq; procurant. O egregia numinū, & ſingularis interpretatio poteſtatum, niſi poſtes uirorum adipali unguine oblinerētur ab ſpōſis: niſi uirginalia uin cula iam feruentes diſſoluerent, atq; imminentes mariti, niſi potarent, & manderent homines, diſ nomina non ha berent? Quid? quod non contenti tam deformibus ſubdi-diſſe atq; implicuiſſe deos curis, naturas his etiam feras, truculentas, immanes, malis gaudentes ſemper, & huma-ni generis attribuitis uaſtitatem. Non commemorabimus hoc loco Deam Lauernam furum, Bellonas, diſcordias, fu rias: & læua illa quæ conſtituitis numina taciturnitatis ſi lētio præterimus. Martē ipſum ponemus in medio, et ſpe-cioſam illam cupidinū matrem: ex quibus unum præfici-tis prælijs: amoribus alteram & cupiditatis ardori. Pote ſtatem, inquit, bellorum Mars habet. utrūmne ut mota cō peſcat, an ut ceſſantia & quieta cōmoueat? Nam ſi ſeda-tor militaris inſaniæ eſt, cur quotidie bella nō deſunt? Sin autem cōditor illorū eſt, Deum ergo dicemus in uolupta-tis ſuæ dulcedinem collidere orbem totū: diſcordiarū & diſcriminū cauſas inter gentes ſerere terrarū longinqui-

tate diſiunctas: cōducere ex diuerſo tot mortalium millia, & intra uerbi unius moras campos cadaueribus aggerare, ſanguineos præcipitare torrentes, fundatiſſima delere imperia, æquare urbes ſolo, libertatē ingenuis abrogare, & ſeruitutis conditionem imponere, diſſenſionib. gaudere ciuilibus, cōmorientium fratrum parricida nece, & ad ultimum filiorū & patrum parricidali cōgreſſionis horrore. Quod ipſum licebit in Venerē pari atq; eadem ratione traducere. Nam ſi amoris hæc flammas (ſicut perhibetis & creditis) cogitationibus ſubdit humanis, ſequitur ut intelligi debeat, quicquid labis & criminis ab inſania proficiſcitur, talibus uenereis debere uulneribus imputari. Ergone Dea cogēte in uiliſſimi nominis ſcorta ſuam ſæpius produnt etiam nobiles dignitatē, diſſuuntur tenaciū, matrimoniorū nexus, inceſta libidine neceſſitudo ſanguinis inardeſcit, inſaniunt in liberos matres, patres uirginū ſuarum uota in ſe uertunt, cōtra decus ætatis ſenes in obſcœnos ingemunt curis iuuenilib. appetitus, ſapientes & fortes uiri ſoluūt decreta cōſtantiæ uirilitatis uigore mollito, innectūtur ceruicibus laquei, cōſcenduntur ardentes rogi, & per uaſtas atq; altiſſimas rupes iaciunt ſe paſſim uolūtarijs ſaltibus præcipitati? Quiſquā ne eſt hominum rationis alicuius primordijs imbutus, qui diuinitatis conſtantiā tam fœdis polluat aut contaminet moribus? qui naturas attribuat dijs tales, quas in agreſtibus beluis lenitudo ſæpe permulſit atq; extenuauit humana? Vbinam quæſo eſt illud, quod ab omni perturbationis affectu dij procul amoti ſunt? quod lenes, placidi, mites, quod in genere uirtutis unito perfectionis apicem, atq; ipſius retinent ſa-

pientiæ

pientiæ ſummitatē? aut cur eos oramus, ut à nobis aduerſa atq; inimica propellant, ſi malorũ omniũ, quibus quotidie carpimur, ipſi eſſe nobis reperiũtur auctores? Quãtumlibet nos impios, irreligioſos uocetis, aut atheos, nunquam fidem facietis eſſe amorũ deos, eſſe bellorũ, eſſe qui diſcordias conſerant, qui furialib. ſtimulis animos inquietent. Aut enim uerißime dij ſunt, & ea quæ cõmemoraſtis non faciunt: aut ſi ea quæ dicitis faciunt, ſine ulla dubitatione dij non ſunt. Et tamẽ poſſemus utcũq; accipere à uobis has mentes impiarũ plenißimas fictionũ, ſi non multa de dijs ipſi tam cõtraria promentes, diſſoluẽtiaq; ipſa, ſuſtinere animi cõpelleretis aſſenſum. Cum enim ſinguli ſingulos anteire interioris cõtenditis ſcientiæ laude, & deos ipſos, quos opinamini, tollitis: & reponitis alios, quos maniſeſtum eſt non eſſe: & alius aliud de eiuſdem dicitis rebus, & innumeros eſſe cõſcribitis, quos eſſe ſingulos ſemper cõſenſio accepit humana. Incipiamus ergo ſolenniter ab Iano & nos patre, quẽ quidam ex uobis mũdum, annũ alij, ſolem eſſe prodidere nõnulli. Quod ſi accipiemus ut uerum ſit, ſequitur, ut intelligi debeat nullũ unquam fuiſſe Ianum, quem ferunt cœlo atq; Hecate procreatũ in Italia regnaſſe primum, Ianiculi oppidi cõditorem, patrem Fauni, Vulturni generum, Iuturnæ maritum: atq; ita per uos Dei nomen eraditur, quem in cũctis anteponitis precibus, & uiam nobis pandere deorum ad audientiam creditis. Rurſus uero ſi Ianus eſt annus, Deus eſſe nec ſic poteſt. Quis enim annum ignorat temporis eſſe circunſcriptionem ſtatam, nec habere uim numinis id, quod ſpacijs menſium, & dierum dinumeratione concluſum eſt?

quod

quod ipſum licebit in Saturnum non abſimili ratione traducere. Nam ſi tempus ſignificatur hoc nomine (græcorũ ut interpretes autumant) ut quod chronos eſt, habeatur Cronos, *nullum eſt Saturniũ nomẽ. Quis eſt enim tam demens, qui tempus eſſe dicat deum, quod menſura cuiuſdã eſt ſpacij in continua ſerie perpetuitatis incluſi? atque ita ex ordine tolletur & iſte cœleſtiũ, quem cœlo eſſe editum patre, magnorũ eſſe procreatorẽ deorum, uitiſatorẽ, falciferum uetuſtas edidit priſca, & minorũ tranſmiſit ætati. Nam quid de ipſo dicemus* Ioue, *quem ſolem eſſe dictitauere ſapiẽtes agitantẽ pinnatos currus, turba cõſequente diuorum? æthera nonnulli flagrantem ui flammea, atq; ardoris inextinguibili uaſtitate? Quod ſi liquet, & conſtat: nullus ergo omnino eſt uobis auctoribus* Iuppiter: *qui patre editus* Saturno, *atq;* Ope *matre, ut genitoris euaderet rabiem, in Cretenſium finibus memoratur eſſe cœlatus. Iam uero* Iunonem *opinatio nonne cõſimilis deorum tollit è cenſu? Nam ſi aer illa eſt (quemadmodũ uos ludere ac dictitare conſueſtis, Græci nominis præpoſteritate repetita) nulla ſoror & coniux omnipotentis reperietur* Iouis, *nulla* Fluuionia, *nulla* Pomona, *nulla* Oſſipagina, *nulla* Februtis, Populonia, Cinxia, Caprotina: *atq; ita reperietur inaniſſima eſſe iſtius nominis fictio opinionis uacuæ celebritate uulgata.* Ariſtoteles (ut Granius memorat) *uir ingenio præpotens, atq; in doctrina præcipuus,* Mineruam *eſſe* Lunam *probabilibus argumentis explicat, & literata auctoritate demonſtrat. Eandem hanc alij ætherium uerticem, & ſummitatis ipſius eſſe ſummam dixerunt: memoriam nonnulli: unde ipſum nomen*

Minerua

Minerua, quaſi quædam Meminerua formatū eſt. Quod ſi accipit res fidem, nulla eſt ergo mentis filia, nulla uictoriæ, nulla Iouis elata de cerebro inuentrix oleæ, nulla magiſterijs artium, & diſciplinarum uarietatibus erudita. Quod aqua nubat terram, appellatus eſt (inquiūt) cognominatusq; Neptunus. Si ergo liquoris obtētio nominis huius appellatione ſignatur, nullus deus eſt omnino Neptunus: atque ita tollitur, & remouetur è medio ſtygij frater Iouis, Olympijq; Germanus, tridenti armatus ferro, piſtricum dominus atq; menarum, rex ſalſorum gurgitum, & tremebundi motator ſali. Mercurius etiam quaſi quidam medicurrius dictus eſt: &, quod inter loquentes duos media currat & reciprocetur ratio nominis huius concinnata eſt qualitas. Ergo ſi hæc ita ſunt, non eſt dei Mercurius nomen, ſed ſermonis reciprocantis & uocis, atq; ita hoc pacto aboletur & extinguitur caduceator ille Cyllenius in algido fuſus monte: uerborum excogitator & nominum: nundinarū, mercium, commerciorumq; mutator. Terrā quidam è uobis, quòd cunctis ſufficiat animantibus uictum, matrē eſſe dixerunt magnā: eandē hanc alij, quòd ſalutarium ſeminum frugem gerat, Cererem eſſe pronunciāt: nonnulli aūt Veſtam, quòd in mundo ſtet ſola, cæteris eius partibus mobilitate in perpetua conſtitutis. Quod ſi ratione profertur & aſſeueratur certa, trina pariter numina uobis interpretibus nulla ſunt: non Ceres, non Veſta deorum eſſe cōputabuntur in faſtis: non ipſa deniq; mater deûm, quam Nigidius autumat matrimonium tenuiſſe Saturni, dea recta poterit nūcupari: ſiquidē unius terræ hæc ſunt omnia nomina, & his ſola prædicationibus indicatur

tur. Prætermittimus hoc loco ſatietatis fuga Vulcanum: quem eſſe omnes ignem pari uocum pronũciatis aſſenſu: quòd ad cunctos ueniat, Venerem, & quòd ſata in lucem proſerpant, cognominatã eſſe proſerpinã: qua rurſus in parte trium capita numinũ tollitis: ſiquidem primum elementi eſt nomen, non ſentientis uocabulũ poteſtatis: libidinis alterum per cuncta animantia diffuſæ: tertium uero ſignificat attollentia ſe germina, frugũ ſubcreſcentiũ motiones. Quid cum Liberum, Apollinem, Solem, unum eſſe cõtenditis numẽ uocabulis amplificatũ tribus? nonne ſententijs ueſtris deorum imminuitur cenſus, & opinio prædicata dilabitur? Nam ſi uerum eſt ſolem eundẽ Liberum eſſe, eundemq; Apollinẽ, ſequitur ut in rerum natura neq; Apollo ſit aliquis, neq; Liber: utq; ita per uos ipſos aboletur, eraditur, Semelius, Pythius: alter feculentæ hilaritatis dator, ſminthiorũ alter pernicies murum. Non indocti apud uos uiri, neq; quod induxerit libido garrientes, Dianam, Cererem, Lunã, caput eſſe unius dei triuiali germanitate pronunciant: neq;, ut ſunt trinæ diſsimilitudines nominum, perſonarum differentias tres eſſe: Lunam in his omnibus uocari, atq; in eius uocamen reliquorum ſeriem coaceruatam eſſe cognominum. Quod ſi exploratũ, ſi fixum eſt, atq; ita ſe eſſe rei ueritas mõſtrat, caſſum iterum nomen eſt Cereris, caſſum Dianæ: atq; ita perducitur res eò, ut & illa frugũ (ſicut perhibetis) inuentrix, uobis ducibus atq; auctoribus nulla ſit: & expolietur Apollo germana, quã quondam puris in fontibus abluentẽ membrorum ſordes corniger ille uenator inſpixit, & pœnã curioſitatis inuenit. In Philoſophiæ memorabiles ſtudio, atque

ad iſtius nominis culmen uobis laudatoribus eleuati, uniuerſam iſtam molem mundi, cuius omnes amplexibus ambimur, tegimur, ac ſuſtinemur, animal eſſe unum, ſapiens, rationabile conſultum probabili aſſeueratione definiunt: quorum ſi eſt uera & fixa certa ſententia, etiam illi continuo deſinet dij eſſe, quos in eius portionibus pauloante immutatis nominibus conſtituebatis. Vt enim homo unus nequit permanente ſui corporis integritate in homines multos ſcindi: neq; homines rurſus multitudinis iunctionis differentia cōſeruata in unius ſenſus ſimplicitatē conflari: ita ſi mundus unum eſt animal, & unius mentis agitatione motatur: nec in plura poteſt numina diſsipari, nec (ſi eius particulæ dij ſunt) in unius animantis conſcientiam cogi, atq; uerti. Luna, ſol, tellus, æther, aſtra, membra ſunt, & mundi partes: quod ſi partes & mēbra ſunt, animalia utiq; ſui nominis non ſunt: neq; enim partes hoc ipſum eſſe, quod totū eſt, aliqua in re poſſunt: aut ſibi ſapere, ſibi ſentire, quod ſine totius animantis aſſenſu nullis proprijs afficiatur è motibus; quo conſtituto, ac poſito, ſumma omnis illuc redit: ut neque Sol deus ſit, neq; Luna, neq; Aether, Tellus & cætera. Sunt enim partes mundi, non ſpecialia numinum nomina: atque ita perficitur, omnia uobis turbantibus miſcentibusq; diuina, ut in rerum natura unus deus conſtituatur mundus exploſis omnibus cæteris: quinimmo inaniter, uacue, & ſine ulla ſubſtantia conſtitutis. Si totidem nos modis, totidēq; ſententijs deorum ueſtrorum ſubrueremus fidem, nulli eſſet dubium, quin ira & rabie concitati, ignes, feras, & gladios, atque alia poſtularetis ſuppliciorum in nos genera, quibus ſitim

tim ſoletis ueſtram noſtri ſanguinis appetitione proluere. Cum uero per uos ipſos propè omnis gens numinum ſub oſtentatione tollatur ingeniorũ atq; doctrinæ, audetis intendere noſtri nominis cauſa res humanas ab dijs premi: cum quidam (ſi uerum eſt eſſe illos uſpiam, atq; incaleſcere irarum flammis) nihil habeãt iuſtius, propter quod in uos ſæuiãt, quàm quod eos negatis ſubſiſtere, neq; ulla eſſe in parte naturæ. Muſas Mnaſeas eſt auctor filias eſſe telluris & cœli: Iouis cæteri prædicant ex Memoria uxore, uel mente: has quidem uirgines, alij matres fuiſſe conſcribũt. Libet enim iam paucis etiã illas partes attingere, quibus alius aliud eadẽ de re dicere opinionũ diuerſitate mõſtramini. Ephorus has igitur numero eſſe tris effert: Mnaſeas quem diximus, quatuor: Myrtilus inducit ſeptẽ: octo aſſeuerat Crates: ad extremũ Heſiodus *nouem cũ nominibus prodit, dijs cœlum & ſydera locupletans.* Niſi *fallimur, iſta diſſenſio nihil ſcientiũ uerum eſt, non ab rei ueritate deſcendens.* Nam *ſi liquido ſciretur, quid ſit unanimis uox omnium, & in eiuſdem ſententiæ finem cunctorum pergeret & cõueniret aſſenſio. Quonam modo igitur religionis poteſtis integrare uim plenã, cum circa ipſos erretis deos? aut ad uenerabiles inuitare nos cultus cũ nihil nos certi de ipſorum numinum comprehenſione doceatis? Vt enim de medijs cõticeſcamus auctoribus, aut ille primus eradit atq; interficit ſex diuas muſas, ſi eſſe illas conſtat nouem: aut iſte ultimus & extremus ſex apponit, quæ nullæ ſunt, tribus ſolis in ueritate conſtantibus: ut neq; ſciri poßit, aut comprehendi, quænam debeant addi, quæ demi, et in periculũ deducatur religionis ipſius ſuſceptio*

ptio, aut id quod non eſt colens, aut quod ſit fortaſſe præteriens. Nouẽſileis, Piſo deos eſſe credit nouem in Sabinis apud Trebiam conſtitutos: Hos Granius muſas putat, conſenſum accommodans Aelio: nouenariũ numerum tradit Varro, quod in mouendis rebus potentiſsimus ſemper habeatur & maximus, nouitatũ Cornificius præſides, quòd curantibus his omnia nouitate integrentur, & conſtent: deos nouem Manilius, quibus ſolis Iuppiter poteſtatem iaciendi ſui permiſerit fulminis. Cincius numina peregrina nouitate ex ipſa appellata pronunciat: nam ſolere Romanos deos omnes urbium ſuperatarũ partim priuatim per familias ſpargere, partim publice conſecrare. ac ne aliquid deorũ multitudine aut ignorantia præteriretur, breuitatis & cõpendij cauſa uno pariter nomine cũctos Nouenſiles inuocari. Sunt præterea nonnulli, qui ex hominibus diuos factos hac prædicãt appellatione ſignari, ut eſt Hercules, Romulus, Aeſculapius, Liber, Aeneas. Sentẽtiæ (ut apparet) diuerſæ ſunt hæ omnes: neq; fieri per rerum naturam poteſt, ut qui opinionibus differunt, ueritatis unius habeantur auctores. Si enim Piſonis ſententia uera eſt, Aelius & Granius mentiuntur: ſi quod dicitur ab his certum eſt, peritiſsimus errat Varro, qui rebus in ſubſtantia conſtitutis inaniſsimas ſubdit & res caſſas. Si nouenarius numerus cognomen Nouenſilium ducit, Cornificius balare conuincitur, qui nouitati præſidentibus diuis alienæ potentiæ uim donat. Quod ſi opinio Cornificij uera eſt, imprudens Cincius inuenitur, qui urbium uictarum deos poteſtate afficit Nouenſilium numinum. Quod ſi hi ſunt, quos Cincius prædicat, Manilius dicere reperietur

falſum, qui alieni fulminis iaculatores ſub iſtius uocaminis appellatione concludit. Quòd ſi exploratū & uerum eſt id quod Manilius autumat, in errore ſunt hi maximo, qui honoribus diuinis auctos, conſecratosq́; mortales ob nouitatem honoris exiſtimant nūcupari. Quòd ſi Nouenſiles hi ſunt, qui meruerunt ad ſydera ſubleuari, poſtquā ſunt uitæ mortalitate defuncti, nulli prorſus Nouenſiles dij ſunt. Vt enim ſerui, milites magiſtri non ſunt perſonarum ſubiacentium nomina, ſed officiorum, conditionū, et munerum: ita cum Nouenſiles dicimus eſſe nomen eorum qui ex hominibus meruerunt dij eſſe, manifeſtū & promptum eſt non perſonas ſpecialiter definitas, ſed nouitatem ipſam cognomine Nouenſilium nūcupari. Nigidius Penates deos Neptunū eſſe atq; Apollinem prodidit, qui quondam muris urbem Ilium conditione adiuncta cinxerunt. Idem rurſus in libro ſexto exponit & decimo diſciplinas ethruſcas ſequens, genera eſſe Penatium quatuor, & eſſe Iouis ex his alios, alios Neptuni, inferorum tertios, mortalium hominū quartos, inexplicabile neſcio quid dicens. Cæſius & ipſe aſſequens Fortunam arbitratur, & Cererem, Genium Iouialem, ac Palem, ſed non illam fœminam, quam uulgaritas accipit, ſed maſculini neſcio quem generis miniſtrum Iouis, ac uillicū. Varro, qui ſunt introrſus, atq; in intimis penetralibus cœli deos eſſe cenſet, quos loquimur, nec eorum numerum, nec nomina ſciri. Hos conſentes, & complices Ethruſci aiunt, & nominant, quod unà oriantur, & occidant unà: ſex mares, & totidem fœminas nominibus ignotis, et ijs nationis barbariſſimæ: ſed eos ſummi Iouis cōſiliarios, ac principes exiſtimari. Nec

defuerunt

deſuerunt qui ſcriberent Iouem, Iunonē, ac Mineruā, deos penates exiſtere: ſine quibus uiuere, ac ſapere nequeamus: ſed qui penitus nos regant ratione, calore, ac ſpiritu. Vt uidetis, & hic quoq; nihil continens dicitur, nihil una pronūciatione finitur: nec eſt aliquid fidum, quo inſiſteré mens poſsit ueritati ſuæ proxima ſuſpitione cōijciens. Ita enim labant ſententiæ, alteraq; opinio ab altera conuellitur: ut aut nihil ex omnibus uerū ſit: aut ſi ab aliquo dicitur, tot rerum diuerſitatibus neſciatur. Poſſumus ſi uidetur, ſummatim aliquid & de Laribus dicere quod arbitratur uulgus uicorū atq; itinerū deos eſſe, ex eo quod Græci uicos cognomināt lauras. In diuerſis Nigidius ſcriptis modo tectorum domuūq; cuſtodes; modo curetas illos qui occultaſſe perhibētur Iouis æribus aliquādo uagitum, indigetes Samothracios, quos quinq; indicāt Græci idæos dactylos nuncupari. Varro ſimiliter hæſitans, nūc eſſe illos Manes, et ideo Maniam matrē eſſe cognominatā Larum: nunc aerios rurſus deos, & heroas pronunciat appellari: nūc antiquorum ſententias ſequēs laruas eſſe dicit Lares, quaſi quoſdā genios defunctorū animis mortuorū. Infinitū eſt & immenſum ſpecies ire per ſingulas, atq; ipſis facere promptum libris, nullum eſſe à uobis deū, neq; exiſtimatum, neq; creditum; de quo ambiguas, diſcrepanteſq; ſententias opinionū mille uarietatib. non prōpſeritis. Sed breuitatis & faſtidij cauſa ſatis hæc eſt dixiſſe, quæ dicta ſunt: & eſt operoſum nimis coacernare in unū multa, cum ex uno & ex altero manifeſtū fiat & pateat, labare nec quicquā uos certi de his reb. quas aſſeritis dicere: niſi forte dicetis, etiā ſi perſonaliter ignoramus, ꝙ ſunt Lares

qui Nouenſiles, qui penates, eſſe illos tamẽ conſenſio ipſa uindicat auctorum, & in numeris cœlitũ formã ſui generis obtinere. Et quemadmodum *poterit an ſit deus aliquis ſciri, ſi ignorabitur & neſcietur quid ſit? aut poſtulatio ipſa beneficiorũ ualere, ſi exploratum non erit, non certum, quis ad quanq; debeat conſultationẽ uocari? Omnis enim, qui quærit alicuius numinis impetrare reſponſum, debet neceſſario ſcire cui ſupplicet, quem imploret, à quo rebus auxilia & neceßitatibus expoſcat humanis: maxime cum uòs ipſi, & non omnes omnia deos poſſe præſtare, & dißimilibus ritibus ſingulorũ animos refertis offenſionesq; placari.* Etenim *ſi hic atram, ille albam deſiderat pellẽ, huic capite uelato, illi ſacrificandũ eſt nudo, de matrimonijs ille conſulitur, hic medelas incõmoditatibus præſtat, intereſſe non poteſt nihil, an ſit ille nouenſilis, an ille, cum ignoratio rerũ, & perſonarũ confuſio deos offendat, cogat & neceſſario piaculum contrahi?* Finge e*nim me ipſum incõmoditatis alicuius & declinandi periculi cauſa horũ cuipiam numinum ſupplicare dicentẽ, adeſte, adeſtote dij* Penates, *tu* Apollo, *túque* Neptune, *omniaq; hæc mala, quibus uror, terreor, uexor, ueſtri numinis aberuncate clementia: erit ne ſpes aliqua referendæ ab his opis, ſi* Ceres, Pales, Fortuna, Iouialis *aut* Genius, *non* Neptunus & Apollo Penates *dij erunt? aut ſi curetas pro laribus inuocaro, quos indigetes ſamothracios pars ueſtrorum aſſeuerat auctorum, quemadmodũ his potero auxiliatoribus & propitijs uti, cum neq; his ſua, & aliena illis impoſuero cognomina?* Vſq; *adeo res exigit propriatim deos ſcire, nec ambigere, nec dubitare de uniuſcuiuſq;*

ui

ui,nomine, ut ſi alienis ritibus & appellationibus fuerint inuocati, & aures habeant ſtructas, & piaculis nos teneant inexpiabilibus obligatos. Quare ſi uobis liquet,in ſublimibus palatijs cœli habitare, cõſiſtere multitudinem iſtam,quam enumeratis deorum, in unius proloquij finibus cõuenit uos ſtare:nec per uarias diſtractos,repugnantesq́; ſententias fidem ipſis rebus, quas ſtruitis,derogare. Si Ianus eſt,Ianus ſit: ſi Liber eſt,Liber ſit:ſi Summanus, Summanus *ſit: hoc eſt enim confidere,hoc tenere,exploratæ in rei cognitione defigi, nõ more cæcorum atq; errãtium dicere,* Nouenſiles *Muſæ ſunt,* Trebiani *quinimmo dij ſunt,immo nouennarius numerus,ſubuerſarum potius urbium præſides,& in id periculum ducere res tantas,ut dum alios tollitis, & reponitis alios, poßit iure de cunctis,an ſint ulla in parte,dubitari.*

ARNOBII DISPVtationum aduerſus Gentes Liber quartus.

INTERROGARE *uos libet, ipſosq́; ante omnia* Romanos *dominos rerũ ac principes, utrúmne exiſtimatis pietatẽ, cõcordiam, ſalutẽ, honorem,uirtutem,fœlicitatem, cæteraq́; huiuſmodi nomina, quibus aras uidemus à uobis cũ magnificis exædificatas delubris, uim habere diuinam,cœliq́; in religionibus degere? an ita ut aſſolet dici cauſa, ex eo, quod optamus & uolumus bona iſta nobis contingere, ſuperorum retuleritis in cenſum?* Nam *ſi uerba exiſtimantes hæc caſſa,& nullius ſubſtantiæ no-*

mina, diuinis tamẽ in regionib. cõſecratis: erit uobis uidẽdum utrúmne iſtud puerile ſit ludicrũ, an ueſtrorũ ad numinum deluſionẽ ſpectans, quibus coæquatis & adiungitis inanium figmenta uerborũ? Sin aũt ex animi certiore ſententia deos eſſe & hæc rati, tẽplis & puluinaribus honoraſtis, inſcitiam noſtram ut doceatis oramus, uictoria, pax, æquitas, & cætera quæ in ſuperiorib. dicta ſunt, quanam ratione, qua uia intelligi poſſunt dij eſſe, atq; ad ſuperorũ concilium pertinere? Nos enim (niſi forte cõmunem tollitis nobis atq; eripitis ſenſum) nihil horum ſentimus et cernimus habere uim numinis: neq; in aliqua cõtineri ſui generis forma: ſed eſſe uirtutẽ uiri, ſalutem ſalui, honorẽ honorati, uictoris uictoriã, concordis concordiam, pietatem pij, memoriã memoris: feliciter uero uiuentis ac ſine ullis offenſionibus felicitatẽ. Quòd à nobis ueriſsime dici ex cõtrarijs promptũ eſt oppoſitionib. noſcitare, infelicitate, diſcordia, obliuiõe, iniquitate, impietate, ignauia pectoris, & ualetudine corporis minus fauſta. Vt enim hæc accidũt, hominũ quæ ſunt poſita in actionibus affectibus fortuitis, ita quod illis aduerſum ex qualitatib. benignioribus nominatur, in alijs neceſſe eſt hæreat, ex quibus ita formatis figuratio iſta cõcepta eſt nominũ. Nã quòd nobis cæteruas ignotorũ aliàs inducitis deorũ, exiſtimare nõ poſſumus, utrúmne iſtud ſerio, atq; ex rei cõpertæ faciatis fide: an fictionib. ludentes caſsis ingeniorũ laſciuiatis luxu. Quod abiectis infantib. pepercit lupa nõ mitis, Luperca, inquit, dea eſt auctore appellata Varrone. Ex rerũ ergo prouentu, non ex ui naturæ dea iſta eſt prodita? & poſtq̃ feros morſus immanis prohibuit bellua, & ipſa eſſe hoc

cœpit,

cœpit, & ipſius nominis ſignificantiam traxit? aut ſi fuit iamdudũ dea, prius quàm Romulus naſceretur & frater: cuius fuerit nominis atque appellationis expromite. Præſtana eſt (ut perhibetis) dicta, quòd Quirinus in iaculi miſſione cunctorum præſtiterit uiribus: et quòd Tito Tatio, capitolinum ut capiat collem, uiam pandere atq; aperire permiſſum eſt: dea Panda eſt appellata, uel Pãtica. Et hæc ergo nunquã fuerant numina: & niſi Romulus tenuiſſet teli traiectione palatiũ, niq; Tarpeiam rupẽ rex Sabinus potuiſſet accipere, nulla eſſet Pantica, nulla Præſtana? Et ſi ad has dicitis ante ſui cauſam fuiſſe cognominis, quod in priore quæſitum eſt capite, cuius & hæ fuerint uocaminis indicate. Pellendorum hoſtium dea potens Pellonia eſt: quorũnam (niſi moleſtum eſt) edite. cõfligunt partes, atq; inter ſe cominus armorũ collatione decernũt: et hæc illi eſt pars hoſtis, et illa huic hoſtilis: quos ergo Pellonia, cũ hinc & inde pugnabitur, pellet, aut in gratiam cõceſſura eſt quorum? cũ utriq; debeat parti ſui nominis uires, officiũq; præſtare. Quod ſi utrinq; fecerit, id eſt partibus ſi utriſq; fauorem ac ſuffragium commodarit, nominis ſui uim perdet, quod partis unius impulſione formatum eſt. Niſi forte dicetis, Romanorũ tantùm eſt dea hæc, & cum ſolis Quiritibus faciens gratioſis ſemper opitulationibus preſto eſt. eſſe quidẽ hoc ita, quòd nomini fauemus, optamus: at quæſtionem non exiguã res habet. Quod enim Romani deos poßident peculiares, qui aliarum gentium non ſint? & quemadmodum poterunt dij eſſe, ſi nõ omnibus, quæ ubiq; ſunt gentes, æquabilitatem ſui numinis exhibebunt? & ubi quæſo iamdudũ Pellonia hæc fuit, cùm apud

furculas caudinas decus publicũ ſubiugatum eſt? cũ apud Thraſimenum lacum ſanguinei cucurrere torrentes? cum Diomedis campi Romanis cadaueribus aggerati ſunt? cũ mille alia uulnera præliorũ innumeris accepta ſunt cladi bus? dormiebat, ſtertebat, aut quod uilia facere conſueta ſint capita, in hoſtilia caſtra defugerat? Dij læui, et læuæ, ſiniſtrarum tantũ regionũ ſunt præſides, & inimici partium dexterarũ. Quod quanã iſtud ratione dicatur, quo ue animi ſenſu, neq; ipſi nos aſſequimur, nec à uobis confidimus poſſe in aliquã lucem cõmunis intelligẽtiæ perdu ci. Iam primũ enim mundus ipſe per ſe ſibi neq; dexteras, neq; læuas, neq; ſuperas regiones, neq; imas, ueq; anticas habet, atq; poſticas. Quicquid enim teres eſt, atq; ex omni parte rotunditatis ſolidæ conuexione cõcluſum nullum habet initium, nullum finem: ubi finis, & initium nullum eſt, eſſe aliqua portio ſui nominis, & initium non poteſt. Itaq; cum dicimus dextera hæc regio eſt, & illa læua: non ad mundi habitũ dicimus qui ſui ſimillimus totus eſt, ſed ad poſitionem noſtram, ſitumq; reuocamus: qui informa ti ſic ſumus, ut alia dextera, alia in nos dicantur eſſe læua: quæ tamẽ hæc ipſa quæ læua appellamus, et dextera alia, in nobis nihil habẽt perpetuũ, nihil fixum: ſed prout nos caſus, atq; euẽtus collocauerit temporis, ita noſtris ſumũt ab lateribus figurationes. Si orientẽ ſolem reſpexero, car do mihi frigoris, & Septẽtrio fit læuus: in quẽ ſi ora traduxero, erit mihi ſiniſter Occaſus, qui ab ſole poſterganeus habebitur. Rurſus uero ſi iecero plagam in occiduã lumina, uocabulum ſiniſtri Auſter, & meridies trabet: in quam ſi me partem neceſſaria temporis circumegerit ratio

tio,ſit ut oriens læuus immutata corporis conuerſione di catur. qua ex re poterit facillime recognoſci, neque læua natura eſſe ulla,ſed poſitionis & temporis,& prout noſtri corporis habuerit ſe ſitus rerum ad circumſtantiã col locatus.Quod cum ita ſe habeat,quanam ratione,quo pacto ſiniſtrarum partium dij erunt,cum eaſdem conſtiterit regiões modo dexteras fieri,modo læuas? Aut quid dexteræ meruerunt de immortalib.dijs partes,ut ſine ullis præſidibus degerẽt,quas eſſe fauſtas, & proſperis ſemper cũ ominibus ediderunt? Lateranus (ut dicitis) deus eſt focorum & Genius,adauctusq; hoc nomine, quòd ex laterculis crudis ab hominibus caminorũ iſtud exædificetur genus.Quid ergo ſi argilla, aut materia fuerint quacunque alia fabricati foci? Genios non habebũt? & ab officio tutelæ (quiſquis iſte eſt Lateranus) abſcedet,quòd regni ſui poſſeſſio non luteis conſtructa eſt formis? Et quid(quæſo) ut faciat,præſidatum focorũ deus iſte ſortitus eſt? Per humani generis coquinas currit, inſpiciẽs & explorãs quibusnam lignorũ generib. ſuis ardor in foculis excitetur: habitudinem fictilibus cõtribuit uaſculis,ne flammarum diſiliant ui uicta:curat ut ad ſenſum palati ſuis cũ iucunditatibus ueniant rerum incorruptarũ ſapores, et an rite pulmenta condita ſint,prægustatoris fungitur, atq; experitur officio. Itane iſtud non fœdum,quinimmo(ut uerius dixerim)non cõtumelioſum,non impium,ad hoc tantum inducere deorum neſcio quas fictiones? nõ quas dignis honoribus proſequare, ſed quas rebus turpibus, & infami præficias actioni? Etiamne militaris Venus caſtrẽſib. flagitijs præſidet,& puerorũ ſtupris? Etiamne Perfica una

 eſt

eſt è populo numinũ, quæ obſcœnas illas & luteas uoluptates ad exitum perficit dulcedine inoffenſa procedere? Etiamne Pertunda, quæ in cubiculis præſto eſt, uirginalem ſcrobem effodientibus maritis? Etiamne Mutunus, cuius immanib. pudendis, horrentiq; faſcino, ueſtras inequitare matronas, & auſpicabile ducitis, & optatis? Quod ſi minime uos admonent ad intellectum ueritatis res ipſæ: nec ex ipſis ſaltem poteſtis nominibus noſcere inaniſſimæ ſuperſtitionis figmenta hæc eſſe, & falſorum imaginationes deorum? Putationibus arborum Puta (inquitis) præſto eſt, rebus petendis Peta: Deus nemorum Nemeſtrinus eſt: Patellana numen eſt, & Patella, ex quibus una eſt patefactis, patefaciendis rebus altera præſtituta: Nodutis dicitur deus, qã ad nodos perducit res ſatas: & quæ præeſt frugibus ferendis, Noduterenſis: ab erroribus uiarũ dea Vibilia liberat: in tutela ſunt Orbonæ orbati liberis parentes, in Næniæ, quibus extrema tempora. Nam quæ durat & ſolidat infantibus paruis oſſa, Oſſilago ipſa memoratur. Mellonia dea eſt pollens potenſq; in apibus, mellis curans cuſtodienſq; dulcedinem: Dicite (ô quæſo ut ita uobis propitiæ faueant, Peta, Puta, Patella) ſi omnino nõ eſſent apes ullæ in terris, aut ſi exos humanum, uelut quidam uermiculi naſceremur, dea Mellonia non eſſet: aut Oſſilago ſolidatrix oſſium nomẽ proprium nõ haberet? Etenim quæro, & rogito, utrumne uobis uideantur antiquiores dij eſſe natura, tempore, uetuſtate, an homines, an apes, fruges, uirgulta, & cætera? Dubitabit hominum nemo, quin innumeris dicatis deos ætatibus, ſæculis, cuncta quæcunq; ſunt anteire. Quod ſi habet ſe ita, qui fieri

per

per rerum naturam poteſt, ut ex rebus poſtea procreatis acciperēt nomina ea, quæ ſunt priora tēporibus? aut tutelas ſortirētur earum dij rerū, quæ nondum eſſent genitæ, & in uſum mortalib. attributæ? An nūquid iamdudū ſine nominibus dij erant, & poſtquā res naſci, terriſq; ineſſe cœperūt, his à uobis dignati ſunt ſignis atq; appellationibus nūcupari? Et unde ſcire potuiſtis quæ nomina ſingulis inderetis, cū eſſe illos ignoraretis omnino, aut ineſſe potentias his certas: cū eſſet uobis ſimiliter neſciū, quisnam eorum quid poſſet, & cui rei deberet pro ſui numinis poteſtate præponi. Quid ergo (inquitis) hos deos nuſquam eſſe geniū iudicatis, & falſis opinationibus conſtitutos? Non iſtud nos ſoli, ſed ueritas ipſa dicit, & ratio: & ille cōmunis, qui eſt cunctis in mortalibus, ſenſus. Quis eſt enim qui credat eſſe deos Lucrios, et lucrorū cōſecutionibus præſidere, cū ex turpibus cauſis frequētiſsime ueniāt, & aliorum ſemper ex diſpendijs cōſtent? Quis Libentinam, quis Liburnum libidinum ſupereſſe tutelis, quas iubet ſapiētia fugere, & quas mille per ſpecies propudioſa expetit & exercet obſcœnitas? Quis Limentinum, quis Limam cuſtodiam liminum gerere, & ianitorum officia ſuſtinere: cum fanorum quotidie uideamus, & priuatarum domorū conuelli & ſubrui: nec ſine his eſſe flagitioſos ad lupanaria commeatus? Quis curatores obliquitatum Limos? quis Saturnū præſidem ſationis? quis Montinum montiū? quis ſegnium Murciam? quis ad extremum deam Pecuniam eſſe credat, quam uelut maximū numen ueſtræ indicant literæ donare annulos aureos, loca in ludis atq; in ſpectaculis priora, honorū ſuggeſtus ſummos,

amplitudinē magiſtratus, & quod maxime pigri ament, ſecurū per opulentias ociū. Quid ſi haberent in ſedibus ſuos proprios præſides, oſſa, mella, et limina, cæteraq; alia, quæ uel curſim perſtrinximus, uel nimietatis non attigimus tædio? licet conſimili ratione mille alios deos inducere, qui rebus innumeris debeant ſuam curam, cuſtodiamq; præbere. Cur enim deus præſit melli uni tantummodo, non præſit cucurbitis, rapis, nō cunilæ, naſturtio, nō ficis, betis, caulibus? Cur ſola meruerint oſſa tutelam, non meruerint ungues, pili, cæteraq; alia locis poſita in obſcuris, & uerecundiorib. partibus? & ſunt caſibus obnoxia plurimis, & curam magis deorū, diligentiāq; deſiderant. Aut ſi & has dicitis partes ſuis agere ſub tutelaribus diuis, incipient totidem dij eſſe, quot res ſunt: nec explicabitur ratio, cur nō rebus omnibus diuinæ præſideāt curæ. Si certas res eſſe, quibus præſint numina & prouideant, dixeritis: quid dicitis ô patres nouarū religionum, qui poteſtatū obſcœne à nobis deos uiolari, & negligi ſacrilege clamitatis, quiritaminiq; contemni Larem Geniū ſocorum, Limentinū præſidem liminū, Pertundam, Perficam, Noduterenſem? & quia nō ſupplices Mutuno procumbimus atq; Tutuno, ad interitū res lapſas, atq; ipſum dicitis mundū leges ſuas & conſtituta mutaſſe? At quin uidete, perſpicite, ne dū talia cōfingitis monſtra, taliaq; mo limini, deos offenderitis certiſſimos (ſi modo ſunt ulli, qui iſtius nominis mereantur ſuſtinere atq; habere faſtigium) nec propter aliam cauſam mala iſta, quæ dicitis, ferueāt, & quotidianis acceſſionibus inoleſcant. Cur ergo, è uobis fortaſſe aliquis dixerit, eſſe falſos iſtos deos cōtendis, ſi in-

ſi inuocati ab haruſpicibus parent, & ſuis acciti nomini
bus ueniunt, & fidelia reddũt reſponſa quærẽtibus? poſ-
ſumus obtinere falſum eſſe quod dicitur, uel quòd ſuperſti
tionibus pleniſsima res tota eſt: uel quòd multas quotidie
prædictionũ uidemus, aut aliter cadere, aut in contrarios
exitus fruſtrata expectatione torqueri. Sed ſint (ut aſſeri
tis) uera nunquam tamen facietis fidem Melloniam (uer
bi cauſa) uel Limentinum inſerere ſe fibris, & ad rerum,
quas quæritis, ſignificantias aptare. Nunquid illorum ali
quando uidiſtis os, habitũ, faciem? aut eadem hæc poſſunt
in pulmonibus, aut iecuſculis cõſpici? Nonne accidere, ſie
ri (licet aſtu diſsimiletis) poteſt, ut alter pro altero ſubeat,
fallens, ludens, decipiens, atq; inuocati ſpeciem præſtans?
Si magi haruſpicum fratres ſuis in actionibus memorant
antitheos ſæpius obrepere pro ueris: eſſe autẽ hos quoſ-
dam materijs ex craſsioribus ſpiritus, qui deos ſe fingant,
neſciosq; mendacijs & ſimulationibus ludant: cur ratio-
ne non pari credamus hic quoq; ſubijcere ſe alios pro eis
qui non ſunt, ut & ueſtras opiniones firmẽt, & ſibi ho-
ſtias cædi alienis ſub nominibus gaudeant? Aut ſi ſic acci-
pere rei nouitate renuitis, unde uobis eſt ſcire, an ſit unus
aliquis, qui ſuccedat pro omnibus quos inuocatis, parti-
busq; ſe cunctis locorũ diuiſionũq; ſupponẽs, multorum
uobis ſpeciem diuorũ præbeat & poteſtatũ? Quiſnã iſte
eſt unus? interrogabit. Forte poſſumus iſtum ueris aucto-
ribus dicere: ſed ne nobis fidẽ habere nolitis, Aegyptios,
Perſas, Indos, Chaldæos, Armenios interroget, omnesq;
illos alios, qui in interioribus uiderũt & cognouerũt hæc
artibus: iam profecto diſcetis, quiſnam ſit Deus unus, uel

ſub

ſub eo qui plurimi, qui deos ſe fingant, & humani generis imprudentiã ludant. Iamdudum nos pudet ad eum locũ uenire, in quo riſum tenere nõ poſſunt nõ tantũ puerculi, & procaces, uerumetiam ſerij, atq; in mores tetricos aſperitate durati. Nam cũ à doctoribus omnes noſtris inſinuatũ acceperimus et traditũ, in declinationibus deorũ pluratiuos numeros non eſſe, quod eſſent dij ſinguli, nec cõmuniter ire p plurimos uniuſcuiuſq; nominis proprietas quiret: immemores uos facti, & puerilium diſciplinarum recordatione ſepoſita, & cõplures ſubditis uocabulis iiſdem deos, & cum ſitis aliàs in eorum numero reſtrictiores, multiplices eos rurſus cognominũ ſocietate feciſtis: quam quidem olim partẽ iudicij acres uiri, atq; ingenio perſpicaci, tam ſermone Italo explicuere, quam Græco. Et dare nobis cõpendium potuiſſet res iſta, ſi nõ & aliquos uideremus literarũ eſſe iſtarũ expertes: & inſtitutus à nobis ſermo nos quoq; cõpelleret nonnihil de his rebus (quamuis ab illis ſumptum, cõmemoratumq́;) depromere. Aiunt igitur Theologi ueſtri, & uetuſtatis abſcõditæ conditores, tres in rerũ natura Ioues eſſe: ex quibus unus æthere ſit patre progenitus, alter cœlo, tertius uero Saturno, apud inſulam Cretam & ſepulturæ traditus, & procreatus. Quinq; Soles, & Mercurios quinq;: ex quibus (ut referrunt) Sol primus Iouis filius dicitur, & ætheris habetur nepos: ſecundus Rea & Hyperione proditus genitore: tertius Vulcano, nõ Lemnio, ſed Nili qui fuerit filius: quartus Ialyſi pater, quem Rhodi peperit heroicis temporibus Achanto: quintus Scythici regis, & uerſipellis habetur Circes. nam Mercurius primus, qui in Proſer

pinam,

pinam dicitur genitalibus adhinnuiſſe ſubrectis, ſupremi progenies cœli eſt. Sub terra eſt alter, Trofonius qui eſſe iactatur. Maia tertius matre, & Ioue procreatus ſed tertio: quartus ſoboles Nili eſt, cuius nomen Aegyptia gens horret & reueretur expromere. Quintus Argi eſt interemptor, fugitiuus, atq; exul, & proditor apud Aegyptũ literarum. Sed & Mineruæ (inquiũt) ſicut Soles & Mercurij, quinq; ſunt: ex quibus prima nõ uirgo, ſed ex Vulcano Apollinis procreatrix: Nili altera proles, et quæ eſſe perhibetur Aegyptia Sais. Saturni tertia eſt, et quæ uſum excogitauit armorum: Iouis quarta progenies, quam Meſſenij Coryfaſiam nũcupant: & quæ Pallantẽ occidit patrem, inceſtorum appetitorẽ, eſt quinta. Ac ne longum uideatur, et nimiũ minutum, uelle capita ire per ſingula, aiũt ijdem Theologi quatuor eſſe Vulcanos, & tres Dianas, Aeſculapios totidẽ, et Dionyſos quinq;, ter binos Hercules, & quatuor Veneres, tria genera Caſtorũ, totidẽq; muſarum, pinnatorũ cupidinũ trigas, & quadrigas apollinariũ nominum: quorũ ſimiliter genitores, ſimiliter matres, loca quibus nati ſunt, indicant, & originem ſingulorum ſuis cum proſapijs monſtrant. Quod ſi uerum & certum eſt, & ex rei cognitæ aſſeueratione monſtratur: aut omnes dij non ſunt, quoniam plures ſub eodem nomine quemadmodum accepimus eſſe non poſſunt: aut ſi aliquis ex his eſt, ignorabitur & neſcietur: quia ſit cõſimilium nominum confuſione cæcatus. Atq; ita per uos ipſos (quãuis fieri nolitis) efficitur, ut hæc ſit religio conturbata: neque habeat finem certum, in quem dirigere ſe poſſit, nullis eluſa ambiguitatis erroribus. Fingite nos enim

uel

uel auctoritate idonea motos, uel uiolẽtia terroris ueſtri, induxiſſe in animum Mineruã (uerbi cauſa) ſacris uobis ſolennibus & ritu uelle adorare uulgato: res ſi cum diui nas apparamus, aggredimurq́; aris flammãtibus ſua red dere conſtituta, Mineruæ omnes aduolent, ac de iſtius no minis poſſeßione certantes poſcant ſibi ſingulæ appara tum illum ſacrorũ reddi: quid in medio faciemus nos ani mal tenue, uel in partes quas potius pij muneris officia transferemus? Dicet enim forſitan prima illa, quam dixi mus, meum nomen eſt Mineruæ, tum numen, quæ Apolli nem genui, quæ Dianam, & ex mei uteri fœtu cœlum nu minibus auxi, & deorum numerũ multiplicaui. Immo, in quiet quinta, Minerua tu ſis, quæ marita, & puerpera to ties caſtitatis puræ imminuta es ſanctitate? Nõne uides in Capitolijs omnibus uirginaleis eſſe ſpecies Mineruarum, nec nuptarum his formas ab artificibus cunctis dari? De ſiſte igitur nomẽ iuris tibi aſciſcere non tui. Nam Miner uam me eſſe genitore ex Pallante procreatam, teſtis om nis eſt poetarum chorus, qui Palladem me nuncupat, deri uato à patre cognomine. Quid dicis (inquiet ſecũda hæc audiens) ergóne Mineruiũ nomen tu fers parricida petu lans, & ex amoris inceſti contaminatione polluta? quæ dum te fucis, atq; artibus excolis meretricijs, etiam patris in te mentem furialibus plenã cupiditatib. excitaſti. Per ge igitur, aliud tibi quære ſignũ: nam mea res iſta eſt, quã Nilus maximus fluminũ aquis generauit ex liquidis, & in uirgineos habitus roris cõcretione conduxit. Quod ſi fidem inquiris facti, Aegyptios & ego teſtes dabo, quo rum Nili lingua dicor, Platonis teſtificãte Timæo. Quid

deinde arbitramur fore? deſiſtétne & illa Mineruã ſe dicere, cui Coryfaſiæ nomen eſt, uel ex Coryfæ matris ſigno, uel quòd ex uertice ſummo Iouis parmam ferens emicuit, atq; armorũ accincta terroribus? Aut illam quæ tertia eſt, ceſſuram patientia nomen, & nõ dictis talibus hábituram rationẽ ſui, & primarũ arrogantiam refutaturam? Itane tu audes maieſtatẽ tibi mei nominis uſurpare, quæ ex cœno & ex gurgitibus prodita, coagulataq; è limo ſis? aut tibi tu alienam dignitatẽ aſſumis, atq; de uertice procreatam mentiris te Iouis, & rationẽ te eſſe mortálibus ineptiſſimis ſuades? ex capite conceptos filios procreat? aut, ſi arma quæ geſtas procudi poſſunt & fabricári, in uerticis ipſius cauo officina fabrilis fuit, incudes, mallei, fornaces, folles, carbones, & forfices? aut ſi uerum eſt quod aſſeueras, rationẽ te eſſe, deſiſte tibi nomen id, quod meum eſt, uindicare. nam quam dicis ratio, nõ eſt ſpecies numinis certa, ſed obſcurarũ intelligentia cauſarũ. Si ergo (ut diximus) officia nobis adeuntibus religioſa Mineruæ adſint quinq; ac de huius nominis proprietate rixantes, ſibi quæq; deſideret aut thuris ſuffimẽta libari, aut ex pateris aureis in ſeriam uina defundi, quo diſceptatore, quo iudice controuerſias tollemus tantas? aut quis quæſtor, quis arbiter ceruicibus tantis erit, qui inter perſonas huiuſmodi, aut uindicias iuſtas dare, aut ſacramenta conetur pronunciare non iuſta? nónne potius ibit domum, ſeſéq; abſtinens ab negocijs talibus tutius eſſe arbitrabitur nihil horum contingere, ne aut uni dando, quòd omnium eſt, inimicas efficiat cæteras, aut ſtultitiæ crimen incurrat, ſi id attribuat cũctis, quod eſſe oportebat unius? Poſ-

ſumus hæc eadē de Mercurijs, Solibus, imò de alijs omnibus, quorum numeros tenditis & multiplicatis, expromere. Sed ſatis eſt ex uno rationē in cæteris eandem eſſe ſcire: & ne forte prolixitas faſtidium audientiæ pariat, ceſſabimus ire p ſingula: ne dū uos arguimus nimietatis, loquacitatis immodicæ ſuſcipiamus & nos culpā. Quid dicitis ô iſti, qui ad deorū nos cultū membrorum laniatib. inuitatis, & ſuſcipere nos cultū ueſtrorum cōpellitis numinum? Poſſumus difficiles nō eſſe, ſi modo aliquid nobis dignum tanti nominis opinione mōſtretur. Oſtendite nobis Mercuriū, ſed unum: date Liberum, ſed unum: unā Venerem, atq; unam ſimiliter Dianam. Nam eſſe Apollines quatuor, aut tres Ioues, nunquā nobis facietis fidem: nec ſi teſtem ipſum citetis Iouē, aut Pythium conſtituatis auctorem. Sed ex diuerſo neſcio quis unde inquit ſcimus, an explorata et cognita theologi ſcriptitarint, an ut uiſum eſt, atq; ſedit, libidinoſam extulerint fictionem? nihil iſtud ad cauſam: nec ſermonis iſtius in eo eſt ratio cōſtituta, utrum ne res ita ſint, theologorū ut indicant ſcripta, an aliter ſe habeant, & multo diſſociatæ diſcrimine. nobis enim ſatis eſt rebus de publicatis loqui: neq; quærere quid ſit in uero, ſed refutare, cōuincere id, quod in medio poſitum eſt, atq; opinatio cōcepit humana. Sed ſi mēdaces illi, uos, ueritas quæ ſit, exponite, & irrefutabile aperite ſecretum. Et qui fieri poteſt remotis magiſterijs literarum? Quid eſt enim quod dici de immortalibus dijs poßit, quod non ex hominū deſcriptis ad humanas peruenerit notiones? Aut quicquam uos ipſi de illorū ritibus poteſtis, cærimonijsq; narrare, quod relatū in literas nō ſit, & ſcriptorū

cōmentarijs publicatū? aut ſi ponderis exiſtimatis nullius hæc eſſe, aboleantur omnes libri, quos de dijs habetis cōpoſitos theologorū, pontificum, nonnullorū etiam philoſophiæ deditorū: quinimmo potius fingamus ab exordio mundi nullū aliquando mortaliū meminiſſe de dijs quicquam, experiri uolumus, & cupimus ſcire, an mutire, an hiſcere deorū in mentione poſſitis, an cōcipere eos mēte, quos in animis ueſtris nullius ſcripti informauerit notio. Cū uero nomina, & potētias illorū ſuggerentib. uobis libris addidiciſſe uos cōſtet, iniquū eſt detrahere literis his fidem, quarū ea quæ dicitis teſtimonio atq; auctoritate firmatis. Niſi forte hæc falſa, & ea, quæ à uobis dicuntur, erunt uera. Quo argumento, quo ſigno? Cū enim homines utrinq;, & qui hæc, & illa cōmentati ſunt, fuerint: & de rebus incertis ab utraq; ſit diſputatū parte: arrogātis eſt dicere id quod tibi placeat eſſe uerū: quod uero animū lædit, id libidinis & falſitatis arguere. Per humani generis iura, atq; ipſius mortalitatis cōſortia, cū auditis & legitis, ex illo, atq; ex illa matre deus ille eſt proditus: nonne animi ueſtri ſenſus tāgit humanū neſcio qd dici, & ex terreni generis humilitate proficiſcēs? Aut cū eſſe arbitramini uos ita, ſolicitudinē cōcipitis nullā, ne offenſionis aliqd apud ipſos (qcūq; ſunt) cōtrahatis deos: quòd ex turpi cōcubitu creditis, atq; ex ſeminis iactu ignoratā ſibi ad lucē beneficijs obſcœnitatis exiſſe? Nos. n. (ne quis forte exiſtimet ignorare, neſcire, qd iſtius nominis cōueniat dignitati) ſanè natiuitatis exptes deos eſſe oportere cenſemus. Aut ſi aliquos ortus habēt, à dominó rerū ac principe, ratioib. quas ipſe nouit, ipſos ducimus atq; exiſtimamus eſſe

miſſos, immaculatos, caſtiſſimos, puros, neſcientes quæ ſit fœditas iſta coeundi, & uſq; ad illos ipſos principali pro creatione finita. At uero uos cõtrà maieſtatis immemores & ſublimitatis tantæ, eas illis adiungitis natiuitates, ortusq; eos aſcribitis, quos ingenijs lautioribus homines et execrationi habeant & horrori. Ex Ope (inquitis) matre, & ex genitore Saturno, cum ſuis eſt natus Dieſpiter fratribus. Vxores enim dij habent, atq; in coniugalia fœdera conditionibus ueniunt ante quæſitis? uſu farreo, coemptione, genialis lectuli ſacramenta conducunt: habent ſperatas, habent pactas, habent interpoſitis ſtipulationibus ſponſas? Et quid de ipſis coniunctionibus loquimur? quando & quoſdã nuptias celebraſſe, & feſtas habuiſſe frequentias dicitis, & luſiſſe in his deas: & quòd participes feſceninorum non eſſent, perturbaſſe diſcordijs omnia: & in humanũ in poſterum genus exitiorũ ſæuiſſe diſcrimina? Sed in cæteris forſitan minus huius eluceat turpitudinis fœditas. Ergóne ille rector poli, pater deorũ et hominũ, ſupercilio & nutu totum motans & tremefaciens cœlum, ex uiro concretus & fœmina eſt? Et niſi ambo ſexus in obſcœnas diſſoluerẽtur copulatis corporibus uoluptates, Iuppiter ille maximus non eſſet, & uſque ad hos dies, & regem numina non haberent, & cœlum ſine domino ſtaret? Et quid Iouem miramur ex fœminæ effuſum dictitare uos aluo, quando auctores ueſtri et nutricẽ habuiſſe conſcribũt: et ex alieni uberis alimonia mox traditam retinuiſſe uitam? Quid dicitis ô uiri? Ergóne (iterũ dicam) tonans, fulgens, & fulminans, & nubila terribilia conducens, ſuxit flucta mammarũ, uagitum edidit, re-

pſit

pſit? atq; , ut fletum poneret ineptiſsime tractũ, crepitacu lis obticuit auditis: & ad ſomnos inductus eſt in molliſsimis cunis iacens, & uocibus delinitus infractis? O deorũ aſſertio religioſa: ô amplitudinis metuendæ uenerabilem mõſtrans atq; inſinuans dignitatẽ. Siccine apud uos quæſo ſupernarũ naſcitur eminentia poteſtatũ? his in lucem prodeunt generationibus dij ueſtri, quibus aſini, porci, canes, quibus immunda hæc omnis cõceptatur & gignitur terrenarũ proluuies beſtiarũ? Nec cõtenti hos coitus *grauitati attribuiſſe ſaturniæ, etiam ipſum regem mundi flagitioſius liberos procreaſſe natum atq; editũ prædicatis:* Ex Hyperiona *(inquitis) matre, & ex* Ioue *iaculatore fulminis, ſol aureus & flagrantiſsimus natus eſt: ex Latona & eodẽ* Arquitenens Delius, *& ſyluarum agitatrix* Diana: *ex Leda, & eodẽ quibus græcè* Dioſcoris *nomen eſt: ex Alcmena & eodem* Hercules *ille* Thebanus, *quẽ claua pelliſq; tutatæ ſunt: ex Semela, atq; ipſo,* Liber, *qui* Bromius *dicitur: ex ipſo rurſus, &* Maia, Mercurius *ore facundus, & geſtator affabiliũ colubrarum. Poteſt ulla grauior contumelia* Ioui *ueſtro infligi, aut quicquã eſt aliud, quod labefactet, aut deſtruat deorũ principis auctoritatẽ, quàm quod eũ creditis uoluptatib. aliquando libidinoſis uictum, & in fœmineos appetitus inflammati pectoris incaluiſſe feruore?* Et *quid regi Saturnio matrimonijs fuerat cum alienis rei?* Nõ *illi fuerat ſatis* Iuno, *nec ſedare impetum cupiditatũ in regina poterat numinũ, cum nobilitas eam cõmendaret tanta, facies, oris dignitas, & ulnarum niuei marmoreiq; cãdores? An uxore cõtentus haud una, cõcubinis, pellicibus, atq; amiculis delectatus impa-*

ſtientiam ſuam ſpargebat paſſim (ut bacchari adoleſcētes ſolēt) ſalax deus, & canus ex infinitis corporibus flacceſcentiū uoluptatū reſtituebat ardorem? Quid dicitis ô impij, uel quas de ueſtro Ioue opinionū confingitis fœditates? Ita non animaduertitis, non uidetis, cuius, eum notetis probri? cuius criminis conſtituatis auctorem? uel quas in eum labes flagitiorū, quantas coaceruetis infamias? Ad libidinē homines proni, atq; ad uoluptatū blanditias naturæ infirmitate procliues, adulteria tamen legibus uindicant, & capitalibus afficiūt eos pœnis, quos in aliena cōprehenderint fœdera genialis ſe lectuli expugnatione iecisse. Subſeſſoris, & adulteri perſona cuius eſſet turpitudinis, notæ cuius, regū maximus neſciebat, & ſpeculator ille (ut fama eſt) bene meritorū, ac peſſime, quidnam deceret ſe uelle rationibus pectoris non perſpiciebat amiſſi. Et tolerari forſitan maletractatio hæc poſſet, ſi eum ſaltem perſonis cōiūgeretis cōparibus, et adultera uobis immortaliū cōſtitueretur dearū. In humāis uero corporib. quidnam quæſo inerat pulchritudinis, quid decoris, quid irritare, quod flectere oculos poſſet inde Iouis? cutes, uiſcera, pituita, atq; omnis illa proluuies inteſtinorum ſub inuolucris cōſtituta: quā nō modo Lynceus ille penetrabili acie poßit horreſcere, uerūetiā quiuis alter ſola uel cogitatiōe uitare, ô egregia merces culpæ, ô digna & precioſa dulcedo, propter quā Iuppiter maximus cygnus fieret, & taurus, et candidorū procreator ouorū Si apire oculos mentis, & ueritatē propriam intueri ſine ulla uultis gratificatione priuata, miſeriarū omnium cauſas, quibus genus (ut dicitis) iamdudum afflictatur humanū, ex huiuſmodi

repe-

reperietis opinationibus fluere, quas habebatis antiquitus de dijs ueſtris: & quas in melius reformare ante oculos poſita ueritate renuiſtis. Nam nos quidē quidnam de illis aliquādo, aut incōueniens ſenſimus, aut cōſcriptionibus edidimus indecoris, ut in inuidiā iaciātur noſtrā labores generis humani, et cōmoditates, quibus uiuitur, imminutæ? Nūquid à nobis dicitur, ut ciconias, ut palumbes, ex Ioue eſſe progenitos quoſdā deos? Nūquid ex pelagi ſpuma, & ex cœli genitalibus amputatis cythereæ Veneris concretū coaluiſſe candorē? Nūquid parricidij cauſa uinctum eſſe Saturnū, & ſuis diebus tantis uinculorū ponderibus releuari? Nūquid beneficio curetū ab interitu ſeruatum Iouem? Nūquid expuliſſe regno patrem, & alieni iuris imperiū uiolentia & fraude tenuiſſe? Nūquid pulſum à Ioue ſenē Italorū delituiſſe in finibus, et quòd tutus fuiſſet à filio, nomen latio impoſuiſſe pro munere? Nunquid inceſtas nuptias cum ſorore Iouem ipſum dicimus feciſſe nos? aut inuitatū ad eius mēſam pro iuillis uiſceribus prolem neſcium Lycaoniam pranſitaſſe? Nūquid altero claudum pede apud inſulam Lemnū fabrilia opera exercuiſſe Vulcanum? Nunquid cupidinis atq; auaritiæ cauſa (ſicut canit Bœotius Pindarus) Aeſculapium fulminis transfixum eſſe telo? Nūquid Apollinem ditem factū, eos ipſos reges, quorū gazis fuerat locupletatus & donis, ambiguitate feſelliſſe reſponſi? Nūquid furem Mercuriū publicauimus? num nos eſſe Lauernā, atq; cū hoc ſimul fraudib. præſidere furtiuis? Nūquid ex nobis Myrtilus eſt auctor, q̃ Macari filias, Megalcōis ancillulas, profitetur fuiſſe muſas? Quis rege à cyprio, cuius nomē Cyniras eſt, ditatā me

retriculam Venerem *diuorũ in numero cõſecratam, quis ex reliquijs* Pelopis *cõpactum eſſe palladiũ, prodidit? nõ uos? Quis* Spartanũ *fuiſſe* Martem,*nõne* Epicharmus *au ctor ueſter? qs in* Thraciæ *finib. procreatũ, nõ* Sophocles Atticus *cũctis conſentientibus theatris? Quis mẽſibus in* Arcadia *tribus & decẽ uinctũ? non* Melæ *fluminis filius? quis ei canes ab* Caribus, *quis ab* Scythis *aſinos immola-rit? nõ principaliter cum cæteris* Apollodorus? *Quis dum genitalibus inſultat alienis, hæſiſſe in laqueis inuolutum? non cõmentarij ueſtri, non ſcænæ?* Nunquid *aliquando à nobis cõſcriptum eſt mercenariã deos ſeruitutẽ ſeruiſſe. ut* Herculem *ſordidi amoris & petulantiæ cauſa, ut* Admeto Apollinem Delium, *ut* Laomedonti *troico* Iouis *fratrem, ut eidem ſed cum patruo* Pythiũ, *ut cõiugalia ſecreta miſcẽtibus* Mineruã *luminis miniſtram, & lucernarũ modulatricẽ? Nónne ille ueſter eſt uates, qui* Martẽ *fecit &* Venerem *mortaliũ manibus uulneratos? Nõ ex uobis* Panyaſis *unus eſt, qui ab* Hercule Ditem *patrẽ, & reginã memorat ſauciatã eſſe* Iunonem? *Non uiraginẽ ab* Orny-to *cæſam. cruentatam, uexatã,* Polemonis *ueſtri indicant ſcripta? Nõ ab* Hippocoontis *liberis ipſum* Soſibius Herculem *cruciatũ retuliſſe pronũciat, & illati uulneris, & doloris? Apud inſulam* Cretam *ſepulturæ eſſe mandatum* Iouem *nobis editũ traditur?* In Spartanis & Lacedæmonijs *finibus nos dicimus cõditos, in cunis coalitos fratres? Noſter ille eſt auctor, qui* Patrocles Hurius *ſcriptorum in titulis indicatur, qui tumulos memorat, reliquiasq́;* Saturnias *tellure in* ſicula *contineri?* Chæroneus Plutarchus *noſtrarum eſſe partiũ comprobatur, qui in œteis uerticib.*

Herculẽ

Herculem, poſt morborũ comitialiũ ruinas diſſolutum in cinerẽ prodidit? Nam quid de illis amoribus dicam, quibus in fœminas ſanctos incaluiſſe cœleſtes, ueſtris proditum literis, atq; auctorib. cõtinetur? Nunquid enim à nobis arguitur rex maris Amphitritas, Hippothoas, Amymonas, Menalippas, Alcyonas, per furioſæ cupiditatis ardorẽ caſtimoniæ uirginitate priuaſſe? Nũquid Apollo Latonius immaculatus ille, caſtiſsimus, atq; purus, Arſinoas, Chryſas, Hypſipylas, Marpeſſas, Zeuſippas, & Prothoas, Daphnas, & Steropas, incõſulti pectoris appetiſſe feruoribus? Nũquid ſenex Saturnus iamdudũ obſitus canis, atq; annorũ uetuſtate iam frigidus, noſtris carminibus indicatur ab uxore in adulterio comprehenſus induiſſe formam feri, & ſub pecoris ſpecie hinnitibus euolâuiſſe iactatis? Iuppiter ipſe rex mundi, nonne à uobis infamis eſt iſſe per innumeras ſpecies, & petulantis amoris flammã ſeruilibus obumbrauiſſe fallacijs? Nũquid à nobis aliquando cõſcriptus eſt libidinoſa ut perficeret furta, modò eſſe in aurum uerſus, modo in ſatyrum ludicrũ, in draconem, in alitem, in taurũ, & quod omnia genera contumeliarũ tranſiliat, in formiculam paruulam, ut Clitoris uidelicet filiã Myrmidonis redderet apud Theſſalos matrẽ? Quis illum in Alcmena nouem noctibus fecit peruigilaſſe continuis? non uos? Quis in amoribus deſidem derelicta cœli ſtatione iacuiſſe? non uos? Et ſanè adiungitis beneficia nõ parua: ſiquidẽ uobis deus Hercules natus eſt, qui in rebus huiuſmodi patris ſui tranſiret exuperaretq; uirtutes. ille noctibus uix nouem unam potuit prolem extundere, concinnare, compingere, at Hercules ſanctus deus natas quin

quaginta de Teſthio nocte una perdocuit, & nomen uirginitatis ponere, & genitricum pondera ſuſtinere. Quid quòd non contenti fœminei generis attribuiſſe dijs curas, etiam ſexus adiungitis adamatos ab his mares? Hylam ne ſcio quis diligit. Hyacintho eſt alius occupatus, ille Pelopis deſiderijs flagrat, hic in Chryſippũ ſuſpirat ardẽtius, Catamitus rapitur deliciarũ futurus, & poculorũ cuſtos. Et ut Iouis dicatur pullus, in partib. Fabius aduritur mollibus obſignaturq́; poſticis. Sed ſoli amant apud uos mares, & fœmineo ſexui ſua conſeruata eſt ſanctitas. Nonne ueſtris cautum eſt literis adamatum eſſe ab aurora Tithonum, arſiſſe in Endymionem Lunam, Nereidem in Aeacum, in Achillis genitorẽ Thetim, Proſerpinam in Adonẽ marem eius, Cererem in Iaſionẽ neſcio quem ruſticanum, & poſt Vulcanũ, Phaonem, Martem, in Anchiſæ nuptias ipſam illam Venerem Aeneadum matrẽ, & Romanæ dominationis auctorem? Cum talia igitur uos probra, & flagitioſa prodigia, non in unum aliquem nominatim, ſed in omnem pariter ſuperorũ gentem, quam eſſe uos remini, ſino ullius exceptione iaciatis, audetis ſalua uerecũdia dicere, aut eſſe nos impios, aut uos pios? cũ multo maiores ferãt à uobis offenſas ex omnib. probris, quæ in illorũ maledicta conducitis, quàm amplitudinis & honoris ex ritu atq; officio cultionis? Aut enim falſa illa ſunt cuncta, quæ ſunt prompta de ſingulis exiſtimationem illorũ maieſtatemq́; lædentia: & res digna omnino eſt, propter quã dij funditus genus omne debeant abolere mortaliũ: aut ſi explorata & uera ſunt, & ſine ullis dubitationibus comprehenſa, ad eam perducitur res ſummam, ut inuitiſſimis uobis

his non generis ſuperi, ſed humani eos fuiſſe credamus. Vbi enim nuptiæ, matrimonia, puerperia, nutrices, artificia, debilitates, ubi ſtatus capitis, & cōditio ſeruitutis, ubi uulnera, cædes, cruor, ubi amores, deſideria, uoluptates, ubi omnis animorū affectio ab inquietis perturbationib. ueniens, neceſſe eſt diuinū nihil iſtic eſſe: nec quod proprium caduci eſt generis, & terrenæ fragilitatis, præſtantiori poſſe adhærere naturæ. Quis eſt enim qui credat, ſi modo agnoſcit ac percipit uis iſtius potentiæ quæ ſit, aut genitales habuiſſe partes deū, & abſciſsione fœdiſsima priuatum his eſſe: aut ex ſe proditas aliquando intercepiſſe proles, & uinculorū coercitum pœnis: aut cū patre quodammodo cōſeruiſſe bella ciuilia, & eum iure abſtinuiſſe regali: aut exterritū minoris metu uertiſſe exuperatum terga, & tanquā fugitiuum & exulem in ſubmotis delituiſſe ſecretis? Quis eſt inquā, qui credat ad humanas accubuiſſe deum menſas, interemptū auaritiæ cauſa, feſelliſſe ſupplices ambiguitate reſponſi? præcellere in furū ordine, adulteraſſe, ſeruiſſe, uulneratū eſſe, & adamaſſe: & per omnes libidinū formas inceſtarū cupiditatum circum egiſſe pellaciā? Atquin omnia uos iſta & fuiſſe, & ineſſe in dijs aſſeueratis ueſtris: neq; ullā prætermittitis ſpeciē uitioſitatis, maleficij, lapſus, quā non in conuitiū numinum opinionū petulantia confcratis. Aut igitur uobis quærendi ſunt dij alij, in quos omnia iſta nō cadant: in quos enim hæc cadūt, humani ſunt generis atq; terreni: aut ſi hi ſunt tantūmodo, quorū nomina publicaſtis & mores, opinionibus tollitis ueſtris, Mortalia ſunt enim quæcunque narratis. Et poſſumus quidem hoc in loco omnes iſtos nobis

quos inducitis, atq; appellatis deos, homines fuiſſe monſtrare, uel agragātino Euhemero replicato, cuius libellos Ennius, clarum ut fieret cunctis, ſermonē in Italū tranſtulit: uel Nicagora cyprio, uel Pellæo Leonte, uel Cyrenenſi Theodoro, uel Hippone ac Diagora melijs, uel auctoribus alijs mille, qui ſcrupuloſæ diligētiæ cura in lucem res abditas libertate ingenua protulerūt. Poſſumus inquam, ſi placet, & Iouis res geſtas, & Mineruæ expromere bella, uirginis & Dianæ: quibus dolis Liber Indorū affectauerit regnum, cuius fuerit cōditionis Venus, cuius operæ, cuius quæſtus: matrimoniū magna cuius tenuerit mater: quidnam ſpei, quid uoluptatis ſpecioſo ab Atye conceperit. Vnde Serapis Aegyptius, unde Iſis, uel ex quibus cauſis appellatio ipſa concinnata ſit nominum. Sed non iſtam ſuſcepimus in eo ſermone, quē facimus, uel operulam, uel uoluntatē, ut oſtendamus, & publicemus, quinam fuerint hi omnes. Illud nobis propoſitū eſt, quoniam nos impios & irreligioſos uocatis, uos contrà pios & deorum contenditis eſſe cultores, demonſtrare, atq; in medio ponere ab hominibus magis nullis ignominioſius eos tractari, q̄ à uobis. Quod ſi habere ſe ita ex ipſis maledictionibus promptum eſt, ſequitur ut intelligi debeat uos ſuperis ſtimulos indignationū furialium cōmouere: qui tam fœdas de illis uel auditis, uel creditis, & ignominioſas ipſi compingitis fabulas. Non enim qui ſolicite relegit, & immaculatas hoſtias cædit, qui aceruos thuris dat cōcremandos igni, numina conſentiendus eſt colere: aut officia ſolus religionis implere. Cultus uerus in pectore eſt, atq; opinatio de dijs digna: nec quicq̄ prodeſt illatio ſanguinis & cruoris

ris, ſi credis de his ea quæ nõ modo ſint longe ab eorũ diuina præſtantiq; natura, uerumetiã labis & turpitudinis aliquid, & maieſtati eorũ concilient, & decori. Interrogare enim uos libet, & ad ſermonis exigui reſponſionem uocare, utrúmne grauius exiſtimetis nullas cædere his hoſtias, quia putes naturam tantã neq; uelle, neq; appetere iſtas: an talia de his probra opinionũ fœditate cõcipere, quæ cuiuſuis animũ in ultionis poßint rabiem concitare? Si rerum momenta pendantur, nullum reperias tam inuidum iudicẽ, qui non criminoſius exiſtimet maledictis inſignibus cuiuſpiam famã carpi, q̃ à quoquã ſilentio præteriri. Hoc enim forſitan rationis exiſtimari poßit & credi: illud ſacrilegæ mentis eſt, & deſperatæ in fictionib. cæcitatis. In cærimonijs ueſtris, rebusq; diuinis, poſtulationibus locus eſt. & piaculis dicitur cõtracta eſſe cõmißio, ſi per imprudentiæ lapſum, aut in uerbo quiſpiã, aut ſympinio decrarit: aut ſi curſu in ſolennibus ludis, curriculisq; diuinis. cõmiſſum omnes ſtatim in religiones clamatis ſacras, ſi ludius conſtitit, aut tibicen repente conticuit: aut ſi patrimus ille qui uocitatur puer, omiſit per ignorãtiam lorum, aut terrã tenere nõ potuit. & audetis abnuere in delictis tam grauib. uiolari ſemper à uobis deos, cũ in leuioribus cauſis iraſci eos ipſi cũ pernicie ſæpius cõfiteamini ciuitatis? Sed poetarũ inquiunt figmẽta ſunt hæc omnia, & ad uoluptatẽ cõpoſitæ luſiones. Non eſt quidẽ credibile homines minus brutos, & uetuſtatis remotißimæ ueſtigatores, aut nõ eas inſeruiſſe ſuis carminibus fabulas, quæ in notionibus hominũ ſupereſſent, atq; in auribus collocatæ: aut ipſos ſibi tantũ licentioſi uoluiſſe iuris

aſci-

aſciſcere, ut confingerent per ſtultitiã res eas, quæ nec ab inſania procul eſſent remotæ, & quæ illis à dijs metum, et periculum poſſent ab hominibus comparare. Sed cõcedamus, ut dicitis, deformitatũ tantarum concinnatores eſſe atq; inuentores poetas: immunes tamen à deorũ maletractatione nec ſic eſtis, qui talia ceſſatis maleficia uindicare: aut non legibus latis, & ſeueritate pœnarũ tantæ itis obuiam temeritati conſtitutumq; à uobis eſt, ne quis poſthac hominũ id quod eſſet turpitudini proximũ, aut eorũ indignũ maieſtatibus loqueretur. Quiſquis enim patitur peccare peccantẽ, is uires ſubminiſtrat audaciæ: & maioris cõtumeliæ res eſt, falſis quenquã notare atq; inſignire criminibus, q̃ uera ingerere atq; obiectare delicta. Quod enim ſis dici, & quod eſſe te ſentias, morſum habet minorem teſtimonio tacitæ recognitionis infractum. Illud uerò acerbiſſime uulnerat, quod inurit innoxios, & quod decus nominis atq; exiſtimationis infamat. Scribuntur dij ueſtri in triclinijs cœleſtibus, atq; in chalcidicis aureis cœnitare, potare, & ad ultimũ fidibus & uocum modulatione mulceri. Vos aures patientiſſimas cõmodatis: nec iudicatis indignum uoluptates attribui dijs eas, quibus corpora terrena fulciũtur, & quas aures expetũt eneruati pectoris diſſolutione mollitæ. Inducuntur ex his alij amatores, adulteri caſtitatis, nec cũ fœminis tantum, ſed cum uiris etiam propudioſos flagitioſosq; miſcere cõcubitus. Vobis nulla eſt cura quid ſuper rebus dicatur tantis, neq; ullo ſaltem caſtigationis metu luxuriantiũ literarũ coercetis audaciam. Per inſanias, per furores orbare alij ſe, & tanquã hoſtili de ſanguine, ita ſe proprio parricidio cruẽtare. Sacrile-

crilegia uos illa miramini elata ſublimiter,et quod pœnis omnibus cõueniebat plecti, ut animoſius cõſurgat audacia incentiua extollitis laude. Illa uulnera orbitatis ingemere,& cum eiulatibus indecoris fata incuſare crudelia. uos ſtupetis eloquentiæ uiribus,& quod penitus oportebat ex humani generis coalitu tolli,percenſetis:ac ne ulla intercidat obliuione curatis. Vulnerari, uexari,bella inter ſe gerere furialium memorãtur ardore diſcriminum: uobis illa eſt deſcriptio uoluptati, atq; ut ſcriptorum tantam defendatis audaciam, allegorias res illas, & naturalis ſcientiæ mentimini eſſe doctrinas. Sed quid ego neglectas aliorum cõqueror contumelias numinũ? Ipſe ille Iuppiter,cuius uos numen effari nõ ſine metu decuit & totius corporis cõcußione,amaſius captus ab uxore deſcribitur confiteri culpas ſuas,& uelut demens ac neſcius, quas amiculas coniungi,quas uxori antepoſuerit pellices,obduratus inuerecundia publicare: uos talia qui extulere prodigia, poetarum eſſe principes atq; reges diuinis ingenijs præditos, capita eſſe memoratis ſanctißima:tantum: ab officio religionũ,quas inducitis,euolaſtis,ut grauioris põderis ſint apud uos uerba quàm cœlitum uiolata ſublimitas.Ita ergo nõ decuit (ſi modo ullus deorũ eſſet apud uos metus,aut ſi eſſe illos uſpiã præſumptionis certæ confidentia crederetis) rogationibus, plebiſcitis,conſultorũ ſenatus metu intercedere, prohibere,ſancire,ne quis uellet de dijs paßim niſi quod eſſet plenũ religionis,effari,ac à uobis ſaltem iſtũ mererent honorẽ, ut quibus expelletis à uobis, eiſdẽ ab his legibus propulſaretis iniurias.Maieſtatis ſunt apud uos rei,q de ueſtris ſecus obmurmurauerint ali

quid

quid regibus. Magiſtratum in ordinẽ redigere, Senatorẽ aut cõuitio proſequi, ſuis eſſe decreſtis periculoſiſſimum pœnis. Carmen malũ conſcribere, quo fama alterius coinquinetur & uita, decemuiralibus ſcitis euadere noluiſtis impune: ac ne ueſtras aures conuitio aliquis petulantiorẽ pulſaret, de atrocibus formulas conſtituiſtis iniurijs. Soli ſunt apud uos ſuperi inhonorati, contemptibiles, uiles: in quos ius eſt à uobis datum, quæ quiſq; uoluerit dicere: turpitudinum iacere, quas libido confixerit, atq; excogitauerit formas. Et incuriam nobis intendere tam infamiũ non erubeſcitis numinum, cum ſit rectius multo deos eſſe non credere, q̃ eſſe illos tales, taliq; exiſtimatione ſentire. Sed poetis tantummodo licere uoluiſtis indignas de dijs fabulas, & flagitioſa ludibria cõminiſci. Quid pantomimi ueſtri, quid hiſtriones, quid illa mimorum, atq; exoleti generis multitudo? Nonne ad uſum quæſtus ſui abutitur dijs ueſtris, & lenocinia uoluptatũ ex iniurijs attrahit cõtumelijsq; diuinis? Sedent in ſpectaculis publicis ſacerdotũ omniũ, magiſtratuũq; collegia, põtifices maximi, & maximi curiones: ſedent quindecimuiri laureati, & diales cũ apicibus flamines: ſedent augures interpretes diuinæ mentis & uoluntatis: necnon & caſtæ uirgines, perpetui nutrices & cõſeruatrices ignis: ſedet cunctus populus & ſenatus: cõſulatibus functi patres, dijs proximi atq; auguſtiſſimi reges: & quod nefariũ eſſet auditu, gentis illa genitrix martiæ, regnatoris & populi procreatix amans ſaltatur Venus, & per affectus oẽs meretriciæ utilitatis impudica exprimitur imitatione bacchari. Saltatur & magna ſacris cõpta cum infulis mater: & contra decus ætatis

tis

tis illa Peßinũtia Dyndimene, in bubulci unius amplexũ flagitioſa fingitur appetitione geſtire: necnõ & illa proles Iouis à Sophocle in Trachinijs Hercules peſtiferi tegminis circunpetitus indagine miſerabiles edere inducitur eiulatus, uiolentia doloris frangi, atq; in ultimã tabem diffluentiũ uiſcerum maceratione cõſumi. Quin & ille in fabulis maximus ipſe regnator poli ſine ulla nominis maieſtatisq; formidine adulterorũ agere introducitur partes; atq; ut fallere caſtitatẽ alienarum poßit familiàs matrum; ora immutare fallacia, & in ſpecies coniugum ſubdititij corporis ſimulatione ſuccedere. Nec ſatis hæc culpa eſt; etiam mimis, & ſcurrilibus ludicris ſanctißimorũ perſonæ interponũtur deorum. Et ut ſpectatoribus uacuis riſus poßit atq; hilaritas excitari, iocularibus feriuntur cauillationibus numina, conclamãt, & aſſurgunt theatra, caueæ omnes concrepant fragoribus atq; plauſibus. Et quod nullis poßit ſatisfactionib. expiari, exoletis, atq; irriſoribus numinum dona inſtituuntur, & munera ab officijs ocium publicis, immunitas, et uacatio cũ coronis. Et audetis poſt iſta mirari, unde oriantur hæc mala, quibus inũdatur & premitur ſine ulla intermißione mortalitas: cũ omnis res eas, quibus ſunt inuoluta probra numinũ, & maledictionis elogia, & quotidie refertis, & ediſcatis quotidie: & ſi quando animũ deſidem ocioſis uultis hallucinationibus occupari, dies uobis poſcatis dari, & ſine ullis intermißionibus exhiberi. Quod ſi haberet uos aliqua ueſtris pro religionib. indignatio, has potius literas, hos exurere debuiſtis olim libros, iſtos demoliri, diſſoluere theatra hæc potius, in quibus infamiæ numinum propudioſis quotidie

publicantur in fabulis. Nam noſtra quidē ſcripta cur igni bus meruerint dari? cur immaniter cōuenticula dirui? in quibus ſummus orator deus, pax cūctis & uenia poſtula= tur magiſtratibus, exercitibus, regibus, familiaribus, ini= micis, adhuc uitam degentibus, & reſolutis corporū uin= ctione: in quibus aliud auditur nihil, niſi quod humanos faciat, niſi quod mites, uerecundos, pudicos, caſtos, familia res, cōmunicatores rei cū omnibus, quos ſolidet germani tatis neceſſitudine copulatio. Verū ita ſe res habet, ut quo niam plurimum gladijs, & poteſtate ualetis ferri, anteire uos etiam ueritatis ſciētia iudicetis: & eſſe pro dijs pios, quorum potētias primi opinionum obſcœnitate fœdaſtis. Hoc in loco, ſi ferocitas ueſtra permittit, et rabies patitur illud nobis ut reſpondeatis, oramus: utrúmne iras cadere in naturam exiſtimetis deorū, an ab affectibus his longe diuinam eſſe beatitudinem diſiugatam? Nam ſi cōcipiunt has faces, & motibus exaſperātur irarū (ſicut ueſtræ opi nationes ferunt, nā ſæpe illos dicitis & propter ludos mi= nus ſolicite factos, & propter præſules non probatos, & propter quædam ſpatiola deſanata, & propter cærimo= nias non rite perfectas, tremoribus infremuiſſe terrarum: & contagione peſtilentiæ corruiſſe auras temporum lu= ctuoſa cū populi uaſtitate) ſequitur ut intelligi debeat ira cundias non paruas ex opinionibus eos concipere prædi= ctis. Quod ſi datur, & illud neceſſario conſequens, miſe= rias has omnes, quibus olim genus accumulatur humanū, ab huiuſmodi fluere fictionibus: quod ſi ab his cauſis indi gnatio proficiſcitur numinum, miſeriarum tantarum uos eſtis auctores, qui animos cœlitum nō ceſſatis offendere,

&

& ultionis in rabiẽ concitare. Sin autẽ ab huiuſmodi neſtrijs deorũ eſt genus immune, neq; quid ſit iraſci dij omnino nouerunt: & nobis ergo iraſci ſine ulla ratione dicuntur, qui ira quid ſit, ignorant, & ab eius contenta, & permixtione ſunt abſoluti. Neq; enim fieri per rerum naturam poteſt, ut quod unum eſt, fiat duo, & in diuerſas reſeat unitas ingenita ſimplicitate diuiſa.

ARNOBII DISPVtationum aduerſus Gentes Liber quintus.

ESTO *ab ludentibus poetis cuncta illa ſint prodita de immortalib. dijs probra. Quid illa, quæ hiſtoriæ cõtinent graues, ſeriæ, curioſæ, quæq; in arcanis myſterijs traditis; poetarum ſunt excogitata laſciuia? Quæ ſi uobis uiderentur ineptiarum talium fabulæ, neq; in uſu retineretis quædam ſuo, neq; per curſus annuos lætitias exerceretis ut feſtas, neq; ut rerũ ſimulacra geſtarum ſacrorũ conſeruaretis in ritibus: ex quibus tam multis unũ interim ponã moderaminis temperamentũ ſecutus: in quo ſtolidus & imprudens ipſe ille inducitur* Iuppiter, *uerborũ ambiguitatibus luſus. In ſecũdo* Antiatis *libro (nequis forte nos exiſtimet concinnare per calũnias crimina) talis perſcripta eſt fabula:* Numã *illum regẽ, cũ procurãdi fulminis ſcientiã non haberet, eſſetq; illi cupido noſcẽdi,* Egeriæ *monitu caſtos duodecim iuuenes apud aquam cœlaſſe cum uinculis: ut cum* Faunus, & Martius Picus *ad id locorum ueniſſent hauſtum (nam illis aquandi ſolenne iter hic fuit) inuade-*

rent,conſtringerent,colligarent. Sed quo res fieri expeditius poſſet, regem pocula nō parui numeri uino, mulſoq; compleſſe,circaq; acceſſus fontis inſidioſam uenturis oppoſuiſſe fallaciam. illos more de ſolito bibendi appetitione correptos ad hoſpitia nota ueniſſe.Sed cum liquoribus odoratis offendiſſent fragrātia pocula, uetuſtioribus ante poſuiſſe res nouas, inuaſiſſe auiditer, dulcedine potionis captos hauſiſſe plus nimio, obdormiuiſſe factos graues: tum bis ſenos incubuiſſe ſopitis, inieciſſe madidatis uincla: expergitosq; illos ſtatim perdocuiſſe regē, quibus ad terras modis Iuppiter *poſſet ſacrificijs elici, & accepta regem ſcientia rem in auentino feciſſe diuinā, elexiſſe ad terras* Iouem, *ab eoq; quæſiſſe ritum procurationis.* Iouē *diu cunctatum expiabis dixiſſe capite fulgurita: regē reſpondiſſe, cæpitio.* Iouem *rurſus, humano: retuliſſe regē, ſed capillo. deum contrà, anima: ſubieciſſe* Pompilium, *piſcis. Tunc ambiguis* Iouem *propoſitionib. captū extuliſſe hanc uocem, decepiſti me* Numa, *nam ego humanis capitibus procurari conſtitueram fulgurita, non capillo cæpitio: quoniam me tamen tua circūuenit aſtutia, quem uolui ſti habeto morem: & his rebus, quas pactus es, procurationem ſemper ſuſcipies fulguritorū.* Quid *primum, quid ultimum, uel exequatur animus, uel conticeſcat, nec facile dictu eſt, neq; ullis cōſiderationibus expeditū.* Ita *enim ſunt omnia & excogitata, & cōparata deriſui: ut ſit uobis connitendum falſa ut credantur hæc eſſe etiam ſi ſunt uera, quàm obtinere uelle pro ueris, & uelut quiddam mirabile non ſine ipſius numinis inſinuare cōtemptu.* Quid *enim dicitis, ô iſti, credimúsne illum* Faunū, & Martium

Picum (ſi ex numero ſunt deorum, & ex illa perpetua immortaliq; natura) ſitis aliquando ariditate ſiccatos, atq; ut æſtum poſſent irrigare uenarũ, fluenta iſſe per fontiũ? Credimús ne captos mero, & dulcedine illectos mulſi, tan diu ſe poculis ingurgitauiſſe fallacibus, ut uſq; ad ebrieta tis periculum ueniretur? Credimúsne uinctos ſomno, atq; altiſsimi ſoporis obliuione demerſos, uinciẽdi copiam ſui animalib. præbuiſſe terrenis? quibus deinde partibus uin culorum illæ iniectæ ſunt nexiones? ſoliditatis habebant quicquam, aut ex duris oſsibus informatæ fuerant eorum manus, quæ conſtringi laqueis, & nodorũ poſſent illigationibus coerceri? Nõ enim requiro, nõ exigo, an aliquid potuerint fari ebrietatis alienatione nutantes: an Ioue inuito, uel potius neſcio, protrahẽdi ad terras eius ritũ quiſ quam potuerit publicare: illud ſolũ audire deſidero, cur ſi Faunus & Picus ſunt diuini generis & poteſtatis, non ipſi potius edidere quærẽti id quod ab ipſo Ioue periculo ſuus Numa cupiebat audire? An nũquid Iuppiter ſolus hu ius rei ſcientiam nouerat, (ab ipſo enim decidũt fulmina) ut imminentia procurare alicuius debeat ſcientiæ diſcipli na? An cum ipſe iaculetur hos ignes, aliorũ ſit operis ſcire, quibus modis cõueniat iras eius, atq; animos tempora re? Etenim reuera ſtultiſsimũ credere eſt, ipſum remedia ſcire, quibus auerti poſsint, quæ per fulminis iactũ in humanis fieri conſtituerit rebus. Hoc eſt enim dicere, illo ri tus genere minas has placabitis: & ſiquando per fulgura ſignificauero aliqd imminere, facite hoc, & illud, ut quod fieri ſtatui inane fiat & uacuum, & ſacrum uaneſcat. Sed concedamus (ut dicitur) ipſum aduerſum ſe Iouem reme

 dia

dia ſciſſe, atq; artes, quibus iri obuiam ſuis ſignificationibus conueniret: etiámne credemus deū numinis tanti tractum eſſe ad terras, et in uerriculo collis unius cū homunculo ſtantem altercabilem cōſeruiſſe ſermonem? Et quaenam illa quaeſo diuina res fuit, quae ab impetu rerū tanto Iouem cōpulit auocari, & mortaliū ſeſe denūciationibus ſiſtere? mola ſalſa, thus, ſanguis, uerbenarū ſufficio, & nominum terribiliū fremores? & potētiora quam Iuppiter fuerunt haec omnia: ut eum cōpellerent inuitū parere praeceptis? aut uoluntariū ſeſe circūuentionib. traderet? quid quod ſequitur, fidem ſumet? tam improuidū fuiſſe Saturnium: ut aut ea proponeret, quorum ambagibus ipſe caperetur, aut neſciret futurum quibus luſura ſe modis aſtutia eſſet calliditasq; mortalis? Expiabis (inquit) capite fulgurita. imperfecta adhuc uox eſt, neq; plena proloquij, circumſcriptaq; ſententia. Scire enim neceſſario cōuenit, utrúmne capite ueruecino, an ſuillo, an quolibet alio, expiationem iſtam ſciſcat Dieſpiter perpetrari: quod cum nōdum ſpecialiter ſtatuiſſet, eſſetq; adhuc pendens, & nondum ſententia terminata, qui potuit Numa ſcire hominis Iouem dicturum caput, ut anteuerteret, anteiret, & in caput coepitium ambiguitatis illius incerta traduceret? Niſi forte dicetis regē fuiſſe diuinum: nūquid ipſo poterat eſſe Ioue diuinior? Niſi homo praeſumens quid dicturus eſſet Iuppiter, circunſcripſit: deus ſcire non poterat quibus modis pararet circūſcribere ſe homo. ita non in prōptu eſt, & apparet puerilium eſſe ingeniola fictionū: quibus cum acquiritur cordis Numae uiuacitas, imprudentia maxima importatur Ioui. Quid enim tam imprudens, quàm confi-

teri

teri te captũ argutia cordis humani? & cũ deceptum te doleas, in uictoris concedere uoluntatem: & medicinam quam obtuleras ponere? Nam ſi fuit ratio, & quædã conuenietia naturalis, cur humano capite procuratio debuerit ſuſcipi fulguriti, non uideo cur ab rege relatio ſit facta cœpitij: ſin autem poterat & cœpitio tranſigi, libidinoſe hominis inhiatum eſt cruori. Atq; ita incontrarium pars utraq; traducitur, ut nec Numam mõſtretur uoluiſſe ſcire, quod uoluit, & crudelis Iuppiter fuiſſe doceatur, qui quod Numa potuiſſe cœpitio ſuſcipi, uoluiſſe dixerit humanis capitibus expiari. Apud Timotheum non ignobilem theologorum uirum, nec non apud alios æque doctos ſuper magna deorũ matre, ſuperq́; ſacris eius, origo hæc ſita eſt: ex recõditis antiquitatũ libris, & ex intimis eruta (quemadmodum ipſe ſcribit, inſinuatq́;) myſterijs. In Phrygiæ finibus inauditæ per omnia uaſtitatis petra, inquit eſt quædam: cui nomẽ eſt Agdus, regionis eius ab indigenis ſic uocatæ. Ex ea lapides ſumptos, ſicut Themis mandauerat præcinens, in orbem mortalibus uacuũ Deucalion iactauit & Pyrrha: ex quibus cum cæteris & hæc, magna quæ dicitur, informata eſt mater, atq; animata diuinitus. Hanc in uertice ipſo petræ datam quieti & ſomno, quàm inceſtis Iuppiter cupiditatibus appetiuit. Sed cum obluctatus diu id, quod ſibi promiſerat, obtinere nequiſſet, uoluptatem in lapidem fudit uictus. Hanc petra concepit, & mugitibus editus multis prius mẽſe naſcitur decimo materno ab nomine cognominatus Acdeſtis. Huic robur inuictum, & ferocitas animi fuerat intractabilis, inſana & furialis libido, & ex utroq; ſexu. ui rapta diua

ſtare, diſperdere immanitas quò animi duxerat: non deos curare, non homines, nec præter ſe quicquã potentius credere: terras, cœlum, & ſydera contemnere. Cuius cum audacia quibúsnam modis poſſet uel debilitari, uel comprimi, ſæpenumero eſſet deorum in deliberatione quæſitum, hæſitantibus cæteris huius muneris curam Liber in ſe ſuſcipit: familiarem illi fontem, quo ardorem fuerat ſuetus & ſitiendi lenire flagrantiam, ludo & uenationibus excitatam, ualidiſſima ſuccendit ui meri: neceſſitatis in tempore hauſtum accurrit Acdeſtis, immoderatius potionem biantibus uenis rapit: fit ut in ſolita re uictus ſoporem in altiſſimum deprimatur. Adeſt ad inſidias Liber, ex ſetis ſcientiſſime complicatis unum plantæ inijcit laqueũ: parte altera proles cũ ipſis genitalibus occupat: exolutus ille ui meri corripit ſe impetu, & adducẽte nexus planta, ſuis ipſe ſe uiribus, eo, quo fuerat, priuat ſexu: cũ diſſidio partium ſanguis fluit immẽſus: rapiuntur, et cõbibuntur hæc terra: malum repente cũ pomis ex his punicum naſcitur: cuius Nana ſpeciem cõtemplata regis Sangarij fluminis filia carpit mirãs, atq; in ſinu reponit: fit ex eo prægnans, tanquam uitiatam claudit pater, & curat ut inedia moriatur, pomis, atq; alijs bacculis deum ſuſtẽtatur à matre, enititur paruulũ. Sed exponi Sangarius præcipit: repertum neſcio quis ſumit, format, lacte alit hirquino: & quoniã Lydia ſcitulos ſic uocat, uel quia hircos Phryges ſuis Atagos elocutionibus nuncupãt, inde Atys nomen ut ſortiretur, effluxit, hunc unice mater deum, ore fuerat quod excellentiſſimo, diligebat, & Acdeſtis blandus adulto comes, & quà ſolum poterat amans, tectis aſſentationibus

uinctus

uinctus, ſaltuoſa ducens per nemora, & ferarum multis muneribus donans, quæ puer Atys primo ſui eſſe dicebat laboris, atq; operis glorians: per uinum deinde cõfitetur, & ab Acdeſti ſe diligi, & ab eo donis ſylueſtribus honorari: unde uinum, quod ſilentiũ prodidit, in eius nefas eſt ſanctuariũ inferre pollutis. Tunc peſſinuntius rex Midas alienare cupiens tam infami puerum cõiunctione, matrimonio eius ſuam filiam deſtinat: ac ne ſcæuus aliquis nuptialia interrũperet gaudia, fecit oppidum claudi. uerum deum mater adoleſcentuli fatũ ſciens, interq; homines illum tamdiu futurum ſaluum, quandiu eſſet ſolutus à matrimonij fœdere, ne quid accideret mœſti, ciuitatẽ ingreditur clauſam muris eius capite ſubleuatis: quod eſſet turritũ ratione ab hac cœpit. Acdeſtis ſcatens ira conuulſi à ſe pueri, & uxoris ad ſtudium deriuati, cõuiuantibus cunctis furorem & inſaniam ſuggerit: conclamant exterriti adorandorũ Phryges: mammas ſibi demetit galli filia pellicis, rapit Atys teſtulam, quam inſtigator ipſe geſtitabat inſaniæ: furiarũ & ipſe iam plenus, per bachatus iactatus proijcit ſe tandẽ, & ſub pini arbore genitalia ſibi deſecat, dicẽs: tibi Acdeſti hæc habe, propter quæ motus tantos furialium diſcriminũ concitaſti. euolat cum profluuio ſanguinis uita: ſed abſciſa quæ fuerãt, magna legit mater deum, & inijcit his terram, ueſte prius tectis, atq; inuolutis defuncti. Fluore de ſanguinis uiola flos naſcitur, & redimitur ex hac arbos. Inde natũ & ortum eſt, nũc etiam ſacras uelarier & coronarier pinos. uirgo ſpõſa quæ fuerat, quam Valerius põtifex Iam nomine fuiſſe cõſcribit, ex animat i pectus lanis mollioribus uelat, dat lachrymas

cum Acdeſti, interficitq; ſe ipſam. purpurantes in uiolas cruor uertitur interēptæ:mater ſuffodit eam deum,unde amygdalus naſcitur amaritudinē ſignificans funeris. tūc arborem pinum,ſub qua Atys nomine ſpoliauerat ſe uiri in antrū ſuū defert,& ſociatis planctibus cū Acdeſti tundit & ſauciat pectus pauſatæ circū arboris robur. Iuppiter rogatus ab Acdeſti,ut Atys reuiuiſceret,nō ſinit:quod tamen fieri per fatū poſſet, ſine,ulla difficultate cōdonat, ne corpus eius putreſcat,creſcant ut comæ ſemper,digitorum ut minimiſſimus uiuat,et perpetuo ſolus agitetur motu.quibus contentū beneficijs Acdeſtim cōſecraſſe corpus in Peſſinunte:cærimonijs annuis, & ſacerdotū antiſtibus honoraſſe. Si cōtemptor aliquis numinū, & ſacrilegi pectoris immanitate furioſus, intendiſſet animū maledicere dijs ueſtris:auderet in eos quicquam grauius dicere, q̃ iſta prodit hiſtoria, quā uelut quiddam mirabile cōmentarij cōtuliſtis in formulam? ac ne illam uis temporis, & uetuſtatis obſoleſaceret longitudo, perpetuitatis honore mactaſtis.Quid eſt enim de dijs in ea poſitū,quidue conſcriptum, quod nō ſi in hominē dixeris pudibundis moribus & diſciplinis horridioribus educatū,& contumeliæ reus ſis,& iniuriæ,& offenſionis odium ſimultatib.ſubeas inexpiabilib.cōparatum? ex lapidibus, inquitis, quos Deucalion iactauit & Pyrrha, deum procreata eſt mater. Quid ô theologi dicitis quid ſupernarū antiſtites poteſtatum? Ergóne deum mater diluuij tēpore nulla fuit in parte naturæ? & niſi omne mortaliū genus interemiſſet uis imbriū, procreationis illius cauſa atq; origo ceſſaret? Humanū eſt ergo munus quod eſſe ſe ſentit; & beneficijs

debet

debet Pyrræ quod orari ſe cōſpicit in alicuius ſubſtantiæ qualitate:quod quidem(ſi uerum eſt)& illud erit neceſſario non falſum, hominem illam fuiſſe non diuam. Nam ſi certū eſt homines ex illo lapidū iactu natiuitatis ſuæ originē ducere, & hanc neceſſe eſt credi unam fuiſſe de nobis,cōſimilium cauſarū rationibus procreatā. Neq; enim fieri rerum per repugnātiam quit, ut ex uno lapidum genere, & ex eadem ratione faciendi, immortaliū quidam ſortis, conditionis alij ſubſtituerētur humanæ. Varro ille Romanus multiformibus eminens diſciplinis, & in uetuſtatis indagatione rimator, in librorum quatuor primo quos de gente conſcriptos Romani populi dereliquit, curioſis cōputationibus edocet,ab diluuij tempore cuius ſupra fecimus mētionem,ad uſq; Hircij cōſulatum & Panſæ,annorū eſſe millia nondum duo:cui ſi conſtat fides,mater quoq; dicenda eſt magna intra huius numeri fines æuitatem ſuam habere concluſam:atq; ita perducitur res eò, ut quæ omnium numinum genitrix eſſe narratur, non ſit mater, ſed filia: quinimmo infans & paruula, ſiquidem deos concedimus neq; initia neq; fines ſeculorum perpetua in cognitione ſortitos. Sed quid terrenis obuoluiſſe uos ſordibus deum loquimur matrem, cum ab Iouis ipſius maledictis nullā pauſam facere uel exigui temporis intercapedine quiueritis? Cum in ſummo Agdi uertice deum dormiret tum genitrix, obrepere conquieſcentis pudori filius (inquitis) inſidiator enixus eſt. Poſt innumeras uirgines, & ſpoliatas caſtitate matronas, etiam ne in matrem cupiditatis infandæ ſpem Iuppiter cœpit, nec ab illius appetitionis ardore horror eū quiuit auertere, quē

non

non hominibus ſolis, ſed animalibus quoq; nõnullis natũra ipſa ſubiecit, & ingeneratus ille cõmuniter ſenſus? An reſpectus pietatis & honeſti capitoliorũ deſpuitur præſidi, nec quid ſceleris cuperet cõturbatis per inſaniã mentibus, aut retractare poterat, aut peruidere? Sed ut res eſt ponderis & maieſtatis oblitus, ad furta illa flagitioſa correpens ibat, pauens ac trepidus anhelitu oris preſſo, ſuſpenſis per formidinem greſsibus, & inter media conſtitutus ſolicitudinis ſpeiq; confinia palpabat res intimas, altitudinem dormientis & matris patientiã tentans. O rerum imaginatio indecora: ô habitus fœdi Iouis ad obſcœni certaminis expeditionem parati: ergóne ille rex mũdi cum incautus, & properus obiectiõis eſſet reiectus à furto, in impetum ſe uertit, & quam rapere uoluptatem inſidioſa fraude nõ quiuit, ui matrem aggreſſus eſt, & apertiſsime cœpit uenerabilem ſubruere caſtitatẽ? Colluctatus ergo diutiſſime cum inuita eſt, uictus, fractus, ſuperatusq; defecit: & quem pietas dijugare ab infando matris nõ ualuit appetitu, effuſa libido deuinxit? Niſi forte dicetis, conuentionis in huiuſmodi cœptũ genus uitat atq; execratur humanũ: apud deos inceſta ſunt nulla. Et cur mater acerrime repugnabat inferenti uim filio? cur ab illius amplexibus tanquam illicitos uitans refugiebat attactus? Nam ſi nihil eſſet in re mali, tam gerere illa morẽ ſine ulla retractione debuerat, quã uolebat hic cupidæ appetitionis ſuæ irritamenta cõplere. Et ſanè hoc loco frugalitatis magnæ uiri, et circa res etiam flagitioſi operis parciores, ne ſancta illa femina fruſtra uideantur effuſa, ſilex (inquit) ebibit Iouialis incõtinentiæ fœditatẽ. Quid deinde quæſo

conſecu-

conſecutū eſt? dicite. In ſinu medio lapidis, atq; in illa cotis duritie informatus atq; animatus eſt infans, Iouis magni futura progenies. Non eſt facile cōtradicere tam prodigioſis cōceptionibus, tamq; miris. Cum enim genus humanum ex lapidibus apud uos ortū, procreatūq; dicatur neceſſe eſt credere, & receptacula lapides habuiſſe genitalia, & iacilatū combibiſſe ſementem, & cōpletus temporibus ſuſtuliſſe aluos graues, & ad poſtremū peperiſſe fœminei moris difficultate connixos. Illud noſtram ſubigit curioſitatem requirere, cū poſt decem menſes redditū eſſe dicatis partum: illo tempore quo in utero lapidis fuit clauſus, quibus alimonijs irrigatus eſt, quibus ſuccis: uel ex rigore quæ ſaxeo nutricia potuit ducere, ut eſt fœtibus ſolenne de matribus. Nondum, inquit, contigerat lucem, & tonitrus patrios iam mugiens, imitatusq; referebat. Et poſtquam illi datum eſt cœlum diemq; conſpicere, obuia quæq; uaſtabat incurſans, atq; ipſos ſibi ſpondebat deos cœli poſſe à regione detrudere. O cauta et prouida deum mater, quæ ne nati inuidiā tam inſolentis ſubiret, aut mugiens fœtus ſomnis ſuis officeret, aut interpellaret quietem, ſubtraxit ſe ipſam, & ſeminis illud nocentiſſimū uirus tranſmiſit ab ſe longe, & ſaxorū aſperitatibus propinauit. Aeſtuatū eſt in concilijs deorum, quibuſnam modis poſſet intractabilis illa feritas edomari: & cum uia nullaupereſſet, ad opem cōcurſum eſt unicā, ut mero madidaretur, & uirilibus ſpoliaretur abſciſſis: quaſi uero affecti corporalibus his damnis, fiant languidioris audaciæ, & non quotidie uideamus eos qui ſibi demeſſuerint has partes maioris petulantiæ fieri, atq; omnibus poſtpoſitis pudoris

doris & uerecundiæ frenis, in obſcœnam prorũpere uili tatem, flagitiorũ confeßione uulgata. Vellem tamen uidere, ſi eſſet mihi his naſci tẽporibus datum, patrẽ illum Liberum debellatorẽ ferocitatis Acdeſtiæ, poſt deorũ auguſtißimas curias cœli ab culminibus lapſum, peniculantem decuramenta cantheriorum, innectentẽ laqueos mobiles, aquarum innoxias puritates multa ſauciantẽ ui meri: & poſtquam ebrietas potu emerſit, inſeruiſſe cautè manus, contrectauiſſe uirilia dormientis, atq; ut omnia cingerẽt circumpoſiti laqueorum morſus, artificij curas tũ rebus adhibuiſſe perituris. Hoccine de dijs quiſquã uel exigua dixerit eorum opinione pollutus? aut ſi talibus occupati ſunt negocijs, cogitationibus, curis, quiſquam eos ſapiens aut deos eſſe crediderit, aut mortalium ſaltem in numero computauerit? Acdeſtis iſte (oro) cuius obſcœnitas amputata ſecuritatẽ fuerat illatura cœleſtibus, ex terrenis animantibus unus fuit? an deorũ aliquis, & immortalitatis præditus honore? Si enim noſtræ ſortis, & cõditionis habebatur humanæ, cur terrorẽ tãtum numinib. inferebat? Deus autem ſi fuerat, qui potuit decipi, aut de diuino aliquid corpore deſecari? Sed quæſtionẽ mouemus parte in hac nullam, fuerit licet de diuino genere, uel ex nobis aliquis, ſi hoc rectius exiſtimabitis dici: etiamne flore de ſanguinis, & ex genitalibus amputatis arbor mali enata eſt punici: an tum quum uis illa telluris cooperta eſt gremio ſolum radice complexa eſt, in ſtipitis exiliuit robur, oneratos fudit balauſtijs ramos, & in pũctiſtitio poma extulit mitia perfectiõis propriæ maturitate cõpleta: & quia de rubro exorta ſunt hæc ſanguine, iccirco illis color eſt pura-

purpurei luminis ſuffectione ſubluteus: addite huc etiam iccirco eſſe uuida, iccirco uinoſa, quod ex ſanguine ſaburrato genus ducant, & fabulam conuenienter impletis, O Abdera Abdera, quàm fias mortalibus irridẽda, talis ſi apud te eſſet fabula ita cõflata? dicunt eã cũcti patres, et ſuperciliosæ perlegũt ciuitates, et eſſe tu fatua, et ſtoliditatis frigidiſsimæ iudicaris. per ſinũ inquit Nana filiũ cõcepit ex pomo. ſequitur ſe ratio: ubi enim cautes, et ſaxa pariũt dura, poma ibi neceſſe eſt ſurgant. Glãdibus, atq; ficis alebat Berecyntia religatã. cõuenienter et recte: pomis enim debuerat uiuere, quæ mater fuerat facta de pomo. Poſtq̃ fœtus emiſſus eſt, lõge iuſſus eſt ab Sangario proijci: quẽ conceptũ diuinitus credidit eſſe iamdudũ, & ſi gnatus eſſet ſobolem ſui pignoris nũcupari. Lacte infans educatus hirquino eſt. ô fabulam ſexui inimicam ſemper atq; infeſtiſsimã maſculino: in qua ſexus uiriles nõ ſolum homines ponũt, ſed pecudes etiã fiunt exmares. Pulchritudine inclyta, & prædicabili fuit inſignitus decore. admirabilis res ſatis, quod nõ illũ fœtor uitabilẽ reddidit fugiẽdumq; caprinus. Mater eum dilexit magna. ſi nepotẽ ut auia, res ſimplex: ſin theatra ut percrepẽt, infamis et flagitioſa dilectio eſt. Diligebat et Acdeſtis uenatorijs eũ muneribus locupletans. à ſemiuiro quidem nullum eſſe poterat periculum caſtitatis: ſed quid Midas horruerit, nõ eſt facile ſuſpicantibus exiſtimare. Ipſis mater eſt ingreſſa tum mœnibus. admiramur quidem in hac parte uires, & fortitudinem numinis: ſed culpamus negligentiam regis, quòd cum legis meminiſſet & fati Atys, fecerit hoſtibus minus prouidam ciuitatem. Nuptialia celebrantibus uota furias

Acdeſtis

Acdeſtis, inſaniamq́; ſubijcit. ſi Midas rex offenderat, quí uxore adoleſcentulū uinciebat: quid admiſerat gallus, qd pellicis filia, ut ille ſe uiro, hæc mammarū honeſtate priuaret? tibi habe hæc inquit, propter quæ res tantas animorū ſubuerſionib. cōcitaſti. neſciremus adhuc omnes quid in adulti corpore furor deſideraſſet Acdeſtius, niſi puer abſciſſæ ſatietatis obieciſſet offenſam. Quid dicitis ô gentes: quid huiuſmodi deditæ opinionib. nationes? nónne cū iſta promūtur, arripit uos pudor, & tantarū uerecundia fœditatum? Nos auemus *à uobis quid de dijs dignū uel audire, uel diſcere: at uero uos nobis mammarū expromitis exectiones, amputationes uirilīū ueretrorū, iras, ſanguinem, furias, interitus uirginum uoluntarios, & ex ſanguine mortuorū flores, atq; arbores procreatas. Dicite ô iterum, ergóne deum mater genitalia illa diſiecta, cū florib. ipſa per ſe mœrēs officioſa ſedulitate collegit, ipſa ſanctis manibus, ipſa diuinis cōtrectauit ac ſuſtulit flagitioſi operis inſtrumenta fœdiq́;, abſcōdenda etiā mandauit terræ? ac ne nuda in gremio diffluerēt ſic ſoli, priuſquā ueſte uelaret, ac tegeret, lauit utiq; balſamis, atq; unxit?* Vnde e*nim uiolæ naſci potuiſſent, odore niſi putorē membri unguentorū illa ſuffectio temperaret? Cum hiſtorias quæſo perlegitis tales, nōne uobis uidemini aut textriculas puellas audire tædioſi operis circūſcribentes moras: aut infantibus credulis auocamenta quæritātes anus longæuas, & uarias fictiones ſub imagine ueritatis expromere? Cū Ioue locutus eſt* Acdeſtis, *ut amato reſtitueret uitam. annuere* Iuppiter *recuſauit, quia fatis potentioribus prohibebatur: ac ne eſſet omnino duriſſimus, unā largitus eſt gratiā*

ne

ne putore corpus diſſolueretur ullo, ſuccreſcerent comæ ſemper, minimiſsimus digitorũ ſolus ut in corpore uiueret, ſolus motus perpetuos exhiberet. Hoccine quiſquam admiſerit, aut credulitatis aſſenſiõe firmarit, pilũ in mortuo creſcere, partẽ interiſſe, & ſeiunctũ à lege putredinis immortale corpus adhuc uſq; durare? Vrgere uos iam dudum ad iſtius rei comparationẽ poſſemus, niſi ſtultitiæ pars eſſet, & talia diſcere, & huiuſmodi rerũ indicia poſtulare. Sed hiſtoria hæc falſa eſt, neq; ullam continet ueritatis in ſe partem. Noſtra quidem nihil intereſt, quorum cauſa cõtenditis exterminatos eſſe à terris deos: utrumne ſit conſtans, & fidei firmitate cõnixa: an contra mendaciter, & falſitatis alicuius fictione cõpoſita. Nobis enim ſatis eſt, quibus hodie manifeſtare propoſitũ eſt, numina iſta, quæ promitis, ſi ſunt uſpiam gentiũ, atq; irarũ feruoribus incaleſcunt, nõ magis à nobis, quã à uobis accipere offenſionũ furialiũ cauſas: & eſſe illam in rebus, & à uobis in cõmentarios relatam, & à uolẽtibus quotidie perlegi, & futuri tẽporis per ſtructionem, per ordinẽ ſuccedentiũ tradi. Quæ ſi utiq; uera eſt, nullã uidemus ſubeſſe rationem, cur nobis iraſci perhibeãtur dij cœlites, cũ turpitudines illorũ tantas neq; prodiderimus, neq; in literas contulerimus ullas, neq; in publicã teſtificationem ſacrorum celebritatibus miſerimus. Sin autem (ut remini) falſa eſt, & mendacijs interpolata fallacibus, ambigere hominum nullus poteſt, quin cauſa uos ſitis offenſæ, qui uel talia quoſdam cõſcribere ſiueritis, aut cõſcripta durare ſeculorum in memoria ſitis paſsi.. Et tamẽ qui poteſtis falſitatis arguere conſcriptionẽ iſtam, cum ipſa ſacra ſint te-

ſtimonio,quæ per curſus annuos factitatis,& credi à uobis eſſe uera,& explicatæ fidei iudicari? Quid enim ſibi uult illa pinus, quam ſemper ſtatis diebus in deum matris intermittitis ſanctuario? Nónne illius ſimilitudo eſt arboris,ſub qua ſibi fures manus & infelix adoleſcétulus intulit,& genitrix diuum in ſolatiū ſui uulneris conſecrauit? Quid lanarum uellera,quibus arboris colligatis et circū uoluitis ſtipitem? Nónne illarum repetitio lanarū eſt, quibus iam deficientē contexit, & teporis aliquid rata eſt ſe poſſe membris conciliare frigentibus? Quid cōpti uiolaceis coronis,& redimiti arboris ramuli? Nónne illud indicant, uti mater primigenijs floribus adornauerit pinū miſerabilis indicem teſtimoniūq; fortunæ? Quid pectoribus applodentes palmas paßis cum crinibus galli? Nónne illos referunt in memoriā luctus,quibus mater turrita cū Acdeſti lachrymabili puerū proſecuta eſt eiulatu? Quid temperatus fabæ alimonio panis, cui rei dediſtis nomē caſtus: nónne illius tēporis imitatio eſt,quo ſe numen ab Cereris fruge uiolentia mœroris abſtinuit? Aut ſi ea,quæ dicimus,non ſunt ita,uos ediſſertate,uos dicite: euirati iſti, mollesq;, quos intereſſe uobiſcum in iſtius numinis uidemus ſacris, quidnā iſtic habeant negocij, ſolitudinis,curæ: & cur more lugentiū cædant cū pectoribus lacertos, & fortunam imitentur in lamentabili conſtitutorū ſorte? Quid coronæ? quid uiolæ? quid uolucra molliū uelamēta lanarum? Cur ad ultimum pinus ipſa pauloante in dumis inertißimum nutans lignū, mox ut aliquod præſens atq; auguſtißimū numen, deum matris cōſtituatur in ſedibus? Aut enim hæc cauſa eſt, quam in ueſtris ſcriptis & commentarijs

mentarijs inuenimus: & manifeſtũ uos eſt nõ diuinas conficere cærimonias, ſed imaginẽ triſtium redintegrare geſtorum: aut ſi alia ratio eſt, quam myſterij nobis abnegauit obſcuritas, & ipſa quoq; neceſſe eſt turpitudinis alicuius participetur infamia. Quis eſt enim, qui credat honeſtatis aliquid in ea re eſſe, quam ineant uiles galli, effœmi nati conficiant exoleti? Poſtulat quidem magnitudo materiæ, atq; ipſius defenſionis officium, ut ſimiliter cæteras turpitudinũ ſpecies perſequamur: uel quas produnt antiquitatis hiſtoriæ, uel myſteria illa continent ſancta, quibus initijs nomen eſt, & quæ non omnibus uulgo, ſed paucorũ taciturnitatib. tradũtur: ſed ſacrorũ innumeri ritus, atq; affixa deformitas ſingulis, corporaliter probibet uniuerſa nos exequi. quinimmo, ut uerũ exprimamus, à quibuſdam nos ipſi conſilio, & ratione deflectimus: ne dum explicare contendimus cuncta, expoſitionis ipſius contaminationibus polluamur. Fœdam igitur Fatuam, bona quæ dicitur dea, tranſeamus: quam myrteis cæſam uirgis, quòd marito neſciẽte feriam meri ebiberit plenam, Sextus Clodius indicat ſexto de dijs græco: ſignũq; monſtrari, quòd cum ei diuinam rem mulieres faciunt, uini amphora conſtituatur obtecta: nec myrteas fas ſit inferre uerbenas: ſicut ſuis ſcribit in cauſalibus Butas. Sed & deos Cõſcrẽteis pari more ac diſsimulatiõe taceamus, quos cum cæteris ſcribit Flaccus in humani penis ſimilitudinẽ uerſos obruiſſe cineri, qui ſub ollula fuerat factus extorum: quem cũ Tanaquil dimoueret Ethruriæ diſciplinarum perita, ſurrexiſſe ſe deos, & neruis obduruiſſe diuinis: corniculãæ inde impetrauiſſe captiuæ, ut intelligeret,

et agnoſceret, quid ſibi res uellent: Ocriſiã prudentiſsimã fœminam diuos inſeruiſſe genitali: explicuiſſe motus certos. Tunc ſancta, & feruentia numina uim uomuiſſe Lucilij, ac regem Seruium natum eſſe Romanũ. Bacchanalia etiã prætermittemus immania, quibus nomẽ omophagijs græcum eſt: in quibus furore mentito, & ſequeſtrata pectoris ſanitate, circũplicatis uos anguibus, atq; ut uos plenos dei numine ac maieſtate doceatis, caprorũ reclamantiũ uiſcera, cruentatis oribus diſsipatis. Necnõ & cypriæ Veneris abſtruſa illa initia prætereamus: quorũ conditor indicatur Cyniras rex fuiſſe: in quibus ſumentes ea certas ſtipes inferũt ut meretrici, & referũt phallos propitij numinis ſigna donatos. Obliuioni etiam Corybantia ſacra donentur, in quibus ſanctũ illud myſteriũ traditur: frater trucidatur à fratribus, interẽpti ex ſanguine apiũ natum, prohibitũ menſis olus illud apponi, ne à manibus mortui inexpiabilis cõtraheretur offenſio. Sed et illa deſiſtimus bacchanalia altera prædicare: in quibus arcana & tacenda res proditur inſinuaturq; ſacratis: ut occupatus puerilibus ludicris, diſtractus ab Titanibus Liber ſit: ut ab ijſdem membratim ſectus, atq; in ollulas cõiectus ut coqueretur: quemadmodũ Iuppiter ſuauitate odoris illectus, inuocatus aduolarit ad prandiũ: compertaq; re graui graſſatores obruerit fulmine, atq; in imas tartari præcipitauerit ſedes. cuius rei teſtimoniũ, argumentũq; fortunæ, ſuis prodidit in carminib. uates Thracius. Talos, ſpeculum, turbines, uolubiles rotulas, et teretes pilas, & uirginibus aurea aſſumpta ab heſperidibus mala erat nobis conſilium præterire: præteruehi illa etiã myſteria, quib.

Phry-

Phrygia initiatur, atq; omnis gens illa, niſi nomen interpoſitũ his Iouis prohiberet nos ſtrictim iniurias eius ignominiasq; trãſire: nõ quo nobis dulce ſit tã fœdis inequitare myſterijs, ſed ut ipſis uobis promptũ etiã atq; etiam fiat: quid in eos cõgeratis iniuriæ, quorũ profitemini uos eſſe cuſtodes, uindices, ueneratores. Quondam Dieſpiter (inquiunt) cum in Cererẽ matrem libidinibus improbis atq; incõceßis cupiditatibus æſtuaret (nam genitrix hæc Iouis regionis eius ab accolis traditur) neq; tamen auderet id, quod procaci appetitiõe cõceperat, apertißima ui petere, ingenioſas cõminiſcitur captiões: quibus nihil tale metuentẽ caſtitate imminueret genitricẽ: fit ex deo taurus, & ſub pecoris ſpecie ſubſeſſoris animũ atq; audaciã cœlans, in ſecuram & neſciam repẽtina immittitur ui furens, agit inceſtus res ſuas, & prodita per libidinẽ fraude, intellectus & cognitus euolat, ardeſcit furijs, atq; indignationibus mater, ſpumat, anhelat, exæſtuat, nec fremitum cõtinere tempeſtatẽq; irarum ualens, ex continua paßiõe primo, deinceps ut appellatur, aßũpſit: neq; alia cordi eſt res ei, quã ut audaciã filij pœnis qbus potis eſt p ſequatur. Iuppiter ſatagit fractus metu: nec quib. remedijs leniat uiolatæ animos, reprit: fundit preces, & ſupplicat obſtructæ ſunt dolentis aures: allegatur deorũ uniuerſus ordo, nullius auctoritas tãta eſt ut audiatur: ad poſtremũ filius uias ſatisfactionis inquirens, cõminiſcitur remediũ tale. arietem nobilem bene grandibus cũ teſticulis deligit, execat hos ipſe, & lanato exuit ex folliculi tegmine. accedens mœrens, & ſummiſſus ad matrẽ, & tanquam ipſe ſententia condemnaſſet ſe ſua, in gremiũ proijcit, & iacit

 hos

hos eius. uirilitate pignoris uiſa ſumit animũ mitiorem; & concipit, fœtus reuocatur ad curã, parit menſem poſt decimum luculenti filiam corporis, quam ætas mortaliũ conſequens modo Liberam, modo Proſerpinam nuncupauit: quam cum uerueceus Iuppiter *bene ualidam, floridam, & ſucci eſſe cõſpiceret plenioris, oblitus pauloante quid malorũ et ſceleris eſſet aggreſſus, et temeritatis quãtum, redit ad priores actus: & quia nefarium uidebatur ſatis, patrem cum filia cõminus uxoria cõiugatione miſceri, in draconis terribilem formam migrat: ingentibus ſpiris pauefactam colligat uirginem, & ſub obtentu fero molliſsimis ludit atq; adulatur amplexibus: fit ut & ipſa de ſemine fortiſsimi cõpleatur* Iouis, *ſed non eadem conditione qua mater. nam illa filiam reddidit liniamentis deſcriptam ſuis, at ex partu uirginis tauri ſpecie fuſa* Iouia*lis monumenta pellaciæ. Auctorẽ aliquis deſiderabit rei, tum illum citabimus* Tarentinũ, *notũq; ſenarium, quem antiquitas canit dicens:* Taurus *draconem genuit, & taurum draco. ipſa nouiſsime ſacra, & ritus initiationis ipſius, quibus ſebadijs nomen eſt, teſtimonio eſſe poterunt ueritati: in quibus aureus coluber in ſinũ dimittitur conſecratis, & eximitur rurſus ab inferiorib. partibus, atq; imis:* Nõ *eſſe arbitror neceſſariũ ſermone quoq; hic multo membra ire per ſingula, quantæq; inſint in partibus prauis turpitudinum ſcatebræ flagitiorumq; monſtrare.* Quis *eſt enim mortaliũ uel exiguæ humanitatis ſenſum ferẽs, qui nõ ipſe peruideat qualia ſunt hæc omnia, quàm ſcelerata, quàm fœda, quantasq; ignominias differant ex ipſis myſteriorũ ſacris, & ex ſacrorum originibus inde-*

coris

coris? Iuppiter (inquit) exarſit in Cererem. Quid tantum quæſo de uobis Iuppiter iſte (quicunque eſt) meruit, quòd genus eſt nullum probri infame, adulterium nullum, quod in eius non caput uelut in aliquam congeratis uitem luteamq́; perſonã? Matrimonij prodidit ius Leda: Iuppiter eſſe dicitur auctor culpæ. uirginitatẽ Danae cuſtodire nequiuit: furtum eſſe narratur Iouis. ad mulieris nomen properauit Europa, expugnator pudicitiæ idem eſſe iactatur. Alcmena, Electra, Latona, Laodamia, mille aliæ uirgines, ac mille matres, cũq; illis catamitus puer pudoris ſpoliatus eſt honeſtate: eadem ubiq; eſt Iuppiter fabula, neq; ullum turpitudinis genus eſt, in quo eius non nomen conſociatis libidinibus conſeratis: ut uideatur miſerabilis prorſus nullam non eſſe cauſam ob aliam natus, niſi ut eſſet criminum ſedes, maledictorum materia, locus quidam expoſitus in quem ſpurcitiæ ſe omnes ſcenarum colluuionibus deriuarent. quẽ tamen ſi diceretis cum extraneis habuiſſe cõmercium fœminis, impia res quidem, ſed tolerabilis eſſet maleactionis iniuria. Etiamne in matrem, etiamne in filiam efferati pectoris appetitionib. adhinniuit? neq; illũ ſanctitas, aut reuerẽtia genitricis, horror etiam pignoris ex ſe ſati, ab imagine potuit tam fœdæ cogitationis abducere? Vellem ita uidere patrem illum deorũ Iouem, æternam rerum atq; hominũ poteſtatẽ, bubulis eſſe cohoneſtatum cornibus: hirſutas agitantem aures, cõtractis in ungulas greßib. ruminantẽ pallentes herbas, & ex parte poſtica caudã, ſuffragines, talos molliſſimos perlitũ, atq; inteſtina proluuie delibutũ. Vellẽ inquã uidere (dicendum eſt enim ſæpius) torquentẽ illũ ſydera,

& qui pallidas nationes fragore perterret & proſternit: conſectantem uerueců greges, inſpicientē teſticulos arietinos, arripientē hos manu cenſoria illa atq; diuina: qua uibrare coruſcos ignes, & ſæuire fulminibus ſuetus eſt: tum deinde ſecreta rimantē feruenti ſmila, ſummotisq; arbitris circũcectas prolibus diripientē membranulas, feruentiq; adhuc matri uelut quaſdam infulas eliciendæ miſerationis offerentē: deductum, pallidum, ſauciũ, ſimulantem doloris cru. es, & ad fidem facto faciendã, arietino ſanguine coinquinatum, & mēdacia uulneris laneis faſceis, linteolisq; contectũ. Hoccine audiri, & *perlegi ſub mundi hoc axe? & eos qui hæc tractant exiſtimari ſe uelle pios, ſanctos, religionũq; cuſtodes? eſtne aliquod ſacrilegiũ hoc maius: aut ulla gēs inueniri tã irreligioſis poteſt opinionibus prædita quàm quæ talia credit, aut accipit, aut ſacrorũ intimis in myſterijs prodit?* Iuppiter *ille (quicũq; eſt) ſi ſentiret ſe eſſe, aut ſi ullo ſenſu afficeretur iniuriæ: nonne digna res eſſet propter quã iratus, & percitus terram noſtris ſubduceret greßibus: ſolis lumina extingueret, atq; lunæ, quinimmo res omnes in antiquæ ſpeciē confunderet unitatis. Sed non ſunt (inquit) reipublicæ noſtræ hæc ſacra.* Quiſnam *iſtud dicit, aut quis reponit?* Romanus, Gallus, Hiſpanus, Afer, Germanus, *aut Siculus? Et qđ adiuuat cauſam, ſi ueſtra hæc non ſunt, cum qui ea conficiunt ſint ueſtrarum partium? aut quid refert utrumne ea probetis, necne: cũ quæ ueſtra ſint propria, aut ſimili fœditate, aut turpitudinis genere reperiantur eſſe maiore? Vultis enim cõſideremus myſteria et illa diuina, quæ theſmophoria nominãtur à græcis: quibus gente ab attica ſancta*

cta illa peruigilia conſecrata ſunt, & pannychiſmi graues? Vultis inquam uideamus quas origines habeant, quasue cauſas, ut Athenas etiam probemus, ipſas humanitatis artibus ſtudijsq́; pollentes, tam in deos dicere contumelioſa, quàm dicent alij: nec minora ab his probra, quàm cæteris obijciantur à uobis, religionis ſub ſpecie publicari? Quodam (inquiunt) tempore cum in Siciliæ pratulis purpureos legeret nondũ mulier flores, & adhuc uirgo Proſerpina: *cumq́; illam per floream meſſem huc atque illuc paßim lectionis cupiditas auocaret, per profundæ altitudinis ſpeluncam rex proſiliẽs manium raptam uirginem ſecum uehit, & terram abſconditur ſucceßibus rurſus. Quod cum factũ neſciret* Ceres, *nec filia eſſet ubinam gentium, ſuſpicaretur, intendit animum perditam toto in orbe conquirere: ſumit faces geminas flammis comprehenſas ætnæis, quibus ſibi prælucens, pergit ire quæſitum terrarum in regionibus cunctis. in iſtius conquiſitionis errore* Eleuſinos *etiam peruehitur fines. pagi iſtud eſt nomen regione in* Attica *conſtituti qui illud temporis has partes incolebant terrigenæ, quibus nomina hæc fuerãt:* Baubo, Triptolemus, *capellarum* Dyſaules *cuſtos,* Eubuleus *porcorum, gregis lanitij* Eumolpus: *à quo et gens fluit* Eumolpidarum, *& ducitur clarum illud apud* Cecropios *nomẽ, & qui poſtea floruerunt caduceatores, hierophantæ, atq́; præcones.* Igitur Baubo *illa, quam incolam diximus* Eleuſini *fuiſſe pagi, malis multiformibus fatigatam accipit hoſpitio* Cererem: *adulatur obſequijs mitibus: reficiendi corporis rogat curam ut habeat: ſitienti ardori oggerit potionem cynum, cyceonem quam nuncupat* Græcia: *auerſatur,*

ſatur, & reſpuit humanitatis officia mœrēs dea, nec eam fortuna perpetitur ualetudinis meminiſſe communis. Rogat illi, atque hortatur contrà (*ſicut mos eſt in huiuſmodi caſibus*) *ne faſtidium ſuæ humanitatis aſſumat:* obſtinatiſſime durat Ceres, *& rigoris indomiti pertinaciam retinet.* Quod cum ſæpius fieret, neque ullis quiret obſequijs ineluctabile propoſitum fatigari, uertit Baubo artes, & quam ſerio non quibat allicere, ludibriorum ſtatuit exhilarare miraculis? partem illam corporis, per quam ſexus fœmineus & ſobolem prodere, & nomen ſolet acquirere generi: eam lōgiore ab incuria liberat: facit ſumere habitum puriorem. & in ſpeciem leuigari nondum duri atque ſtriculi puſionis: redit ad deam triſtem: & inter illa communia, quibus moris eſt frangere ac temperare mœrores, retegit ſe ipſam: atq; omnia illa pudoris loca reuelatis monſtrat inguinibus: atq; pubi affigit oculos diua, et inauditi ſpecie ſolaminis paſcitur: tum diffuſior facta per riſum aſpernatam ſumit atq; ebibit potionē: & quod diu nequiuit uerecundia Baubonis exprimere, propudioſi facinoris extorſit obſcœnitas. Calumniari nos improbe ſiquis forte hominum ſuſpicatur, libros ſumat threicij uatis, quos antiquitatis memoratis eſſe diuinæ: & inueniet nos nihil neque callide fingere, neque quo ſint riſui deum quærere atq; efficere ſanctitates: ipſos nanq; in medio ponemus uerſus, quos Calliopes filius ore edidit græco, & cantando per ſecula iuri publicauit humano.

Sic effata, ſimul ueſtem contraxit ab imo
Obiecitq; oculis formatas inguinibus res,
Quas caua ſuccutiens Baubo manu, nam pueriles

Olli uultus erat,plaudit,contrectat amice.
Tum dea defigens auguſti luminis orbes,
Triſtitias animi paulum mollita reponit:
Inde manu poclum ſumit,riſuq; ſequenti
Perducit totum cyceonis læta liquorem.

Quid Erichtheo ſati? quid ciues Mineruij dicitis? *Auet animus ſcire quibus ſitis eloquijs tam periculoſa negocia defenſuri, uel artibus habeatis quibus tam confoßis ſalutem dare perſonis, uulneribus, atq; cauſis.* Non eſt iſta *falſa ſuſceptio, nec delatione appetimini calumnioſa:* Eleuſiniorum *ueſtrorum notas & origines producunt turpes, & antiquarũ elogia literarum: ipſa deniq; ſymbola, quæ rogati ſacrorum in acceptionibus reſpondetis: ieiunaui, atq; ebibi cyceonem, exta ſumpſi, & in calathum miſi: accepi rurſus, in ciſtulam tranſtuli.* Ergone (ut promunt *ſancta illa atq; arcana myſteria) rapiuntur, & rapiunt dij ueſtri? matrimonia copulant fraudibus appetita furtiuis? à repugnantibus, & inuitis decus uirginitatis eripitur? imminentes neſciuntur iniuriæ? quidnam raptis acciderit, ignoratur? amißi quæruntur ut homines: & ſub ſole clarißimo cum lucernis & facibus orbis peragrant uaſtitatem? afficiuntur, ægreſcunt, lugentium ſumunt ſordes, & miſeriarum inſignia, atq; ut animum commodare alimonijs poßint, uictuiq; ſumendo, non ratio, non tempus, non ſermo aliquis adhibetur grauis, aut affabilitas ſeria, ſed propudioſa corporum monſtratur obſcœnitas, obiectanturq; partes illæ, quas pudor communis abſcondere. quas naturalis uerecundiæ lex iubet: quas inter aures caſtas ſine uenia nefas eſt, ac ſine honoribus appellare præfatis.*

quid

quid nam quæſo in ſpecu tali, quid in pudendis fuit reuerendiſq; Baubonis, quid fœminei ſexus deam, & conſimili formatam membro in admirationem conuerteret, atq; riſum, quod obiectum lumini conſpectuiq; diuino, & obliuionem miſeriarum daret, & habitum in lætiorem repentina hilaritate traduceret? O qualia, ô quanta irridentes potuimus, cauillanteſq; depromere, ſi non religio nos gẽtis, & literarum prohiberet auctoritas? Iamdudum me fateor hæſitare, circumhiſcere, tergiuerſari tricas (quemadmodum dicitur) conduplicare tellenas, dum pudor me habet alma illa proferre myſteria, quibus in Liberi honorem patris ithyphallos ſubrugit græcia, & ſimulacris uirilium faſcinorum territoria cuncta floreſcunt. Quid ſit iſtud, obſcurum eſt forſitan, & qua fiat ratione diſquiritur: quiſquis iſtud ignoras, diſce: atq; admiratus res tantas puris ſemper in ſenſibus meticuloſa obſeruatione cuſtodi. Cum inter homines (inquiunt) eſſet adhuc Nyſius et & ſemeleius Liber, noſſe inferos expetiuit, & ſub tartari ſedibus quidnam rerum ageretur, inquirere: ſed cupiditas hæc eius nõnullis difficultatibus impediebatur: quod quà iret ac pergeret inſcitia itineris neſciebat. Proſumnus quidam exoritur ignominioſus amator dei, atq; in nefarias libidines ſatis pronus, qui ſe ianuam ditis, atq; acheruſios aditus pollicetur indicaturum, ſi ſibi gereret morẽ deus, atq; uxorias uoluptates pateretur ex ſe carpi. Deus facilis iurat poteſtatis futurum ac uoluntatis ſe eius, ſed cum primum ab inferis compos uoti atq; expetitionis rediſſet, uiam comiter Proſumnus ediſſerit, atq; in limine ipſo proſtituit inferorum, interea dum Liber Stygem, cerberum,

furias,

furias, atque alias res omneis curioſa inquiſitione colluſtrat, ex uiuentium numero index ille decidit, atq; ex more ſepelitur humano: emergit ab inferis euhyius, & recognoſcit extinctum ducem. Qui ut fidem compleret pacti, & iurandi ſolueret religione ſe iuris, locum pergit ad funeris, & ficorum ex arbore ramum ualidiſſimum præſecans, dolat, runcinat, leuigat, & humani ſpeciem fabricatur in penis: figit ſuper aggerem tumuli, & poſtica ex parte nudatus, accedit: ſubdit, inſidit. Laſciuia deinde luxuriantis aſſumpta, huc atq; illuc clunes torquet, & meditatur ab ligno pati, quod iamdudum in ueritate promiſerat. Ac ne quis forte à nobis tam impias arbitretur confictas res eſſe, Heraclito ut teſti non poſtulamus ut credat, nec myſterijs uolumus quid ſuper talibus ſenſerit ex ipſius accipiat lectione, totam interrogat Græciam, quid ſibi uelint ithyphalli, quos per rura, per oppida mos ſubrigit & ueneratur antiquus? inueniet cauſas eas eſſe quas dicimus, aut ſi fuerit puditum ueritatem ſimpliciter explicare, quid obſcurare, quid tegere cauſam ritus, atq; originem proderit? cum criminatio ipſa religonis in re ſit. Quid dicitis ô gentes, quid occupatæ, quid deditæ templorum uenerationibus nationes? Ad hæc ne nos ſacra, flammis, exilijs, cædibus, atque reliquo genere ſuppliciorum compellitis, & crudelitatis metu? hoſcine nobis deos importatis, inſinuatis, infligitis: quorum ſimiles nec uos eſſe, neque alium uelitis quenquam ſanguinis uobis gradu, & iure familiaritatis adiunctum? Poteſtisne impubibus, & prætextatis ueſtris, quas Liber induxerit pactiones ſuis cum amatoribus indicare? Poteſtis ueſtras nurus,

quinimmo

quinimmo uobis matrimonio cõiugatas ad uerecundiam Baubonis impellere, atq; ad pudicas Cereris uoluptates? Vultis ueſtri iuuenes ſciant, audiant, diſcant Iuppiter ipſe qualis in unam extiterit atque alteram matrem? Vultis adultæ uirgines, robuſtiq; adhuc patres, idem iſte in filiã qua luſerit arte cognoſcant? Vultis germani iam feruidi, atq; ex ijſdem ſeminibus fratres, eundem rurſus accipiant concubitus lectulos non eſſe aſpernatum ſororis? Ita ergo nõ protinus ab huiuſmodi fugiendum dijs longe, ac ne irrepat in animum tam impuræ religionis obſcœnitas, audientia tota claudenda eſt? Quis eſt enim mortalium tam pudicis moribus inſtitutus, quem non ad huiuſmodi furias deorum documenta proritent? Aut qui ſuas comprimere cupiditates à cognatis ualeat reuerendiſq; perſonis, cum apud ſuperos ſanctum nihil in libidinum uideat confuſione ſeruatum? Vbi enim primam perfectamq; naturam intra fines conſtiterit iuſtos cupidinẽ ſuam nõ ualuiſſe frenare, cur non in promiſcuos appetitus effundat ſe homo, & ingenita fragilitate præceps datus, & magiſterio ſanctæ diuinitatis adiutus? Iamdudum me fateor reputantem mecum in animo rerum huiuſcemodi monſtra, ſolitum eſſe mirari audere uos dicere quenquam ex his atheum, irreligioſum, ſacrilegum, qui deos eſſe omnino aut negent, aut dubitent: aut qui eos homines fuiſſe contendant, et poteſtatis alicuius & meriti cauſa deorum in numerum relatos: cum ſi uerum fiat atque habeatur examen, nullos quàm uos magis huiuſmodi par ſit appellationibus nuncupari, qui ſub ſpecie cultionis plus in eos ingeratis maledictionum & criminum, quàm ſi aperte hoc facere confeſſis

ſcißis maledictionibus combibiſſetis? Deos eſſe qui dubitat, aut eſſe omnino qui negat, quamuis ſequi ſententias immanes opinionum uideatur audacia, ſine ullius tamen inſectatione perſonæ fidem rebus non accommodat inuolutis: & qui generis aſſeuerat eos fuiſſe terreni, quamuis eos priuet ſublimitate cœlitum, ſubciſiuis tamen accumulat laudibus: ſiquidem illos diuinitatis ad meritum beneficijs autumat, & uirtutum admirationibus ſubleuatos. Vos uero qui uindices, & eorum contenditis immortalitatis eſſe propagatores, unum ex his quempiam præteriſtis, tranſiſtis ueſtris maledictionibus inuulneratum? aut genus ullum eſt probri tam communi exiſtimatione damnabile, quod in eos conferre metueritis, uel nominis ſalſe auctoritate tardati? Quis caduca & mortalia corpora deos edidit amaſſe? non uos? Quis illa furta dulciſsima in alienis genialibus perpetraſſe? non uos? Quis cum matribus liberos, quis cum ſuis uirginibus rurſus patres infauſtos miſcuiſſe concubitus? non uos? Quis ſcitulos puſiones, atq; adultos uenuſtißimis lineis, appetitos eſſe iniuſte? non uos? Quis abſciſſos, quis exoletos, quis uerſipelles, quis fures, quis in uinculis habitus, quis in catenis, quis denique fulminibus appetitos, quis uulneratos, quis obijſſe ſupremos dies, ſepulturas etiam meruiſſe terrenas? non uos? Cum igitur à uobis tot & tanta conflata ſint deorum in contumelijs crimina, audetis obijcere noſtri nominis cauſa numinum eſſe offenſas mentes, cum iamdudum uos liqueat irarum eſſe tantarum reos, & diuinæ indignationis auctores? Sed erras (inquit) & laberis, ſatisq; te eſſe imperitum, indoctum, ac ruſticum ipſa rerum inſectatione

ne demonſtras? Nam iſtæ omnes hiſtoriæ, quæ tibi turpes uidentur, atque ad labem pertinere diuinam, myſteria in ſe continent ſancta, rationes miras, atque altas: nec quas fa cile quiuis poſsit ingenij uiuacitate pernoſcere. Neque enim quod ſcriptum eſt, atque in prima eſt poſitum uerborum fronte, id ſignificatur, & dicitur, ſed allegoricis ſenſibus, & ſubditiuis intelliguntur omnia illa ſecretis. Itaq;, qui dicit cum ſua concubuit Iuppiter matre, non inceſtas ſignificat aut propudioſas Veneris complexiones, ſed Iouem pro pluuia, pro tellure Cererem nominat: Et qui rurſus perhibet laſciuias eũ exercuiſſe cum filia, nihil de fœdis uoluptatibus loquitur, ſed pro imbris nomine ponit Iouem, in filiæ ſignificatione ſementem. Sic & ille, qui raptam Dite à patre Proſerpinam dicit: nõ ui Cereris in turpiſsimos appetitus uiraginem dicit raptam, ſed quia glebis occulimus ſemina, iſſe ſub terras deam, & cum Orco ſignificat fœdera genitalis conciliare fœturæ. Conſimili ratione & in hiſtorijs cæteris aliud quidem dicitur, ſed intelligitur aliud, & ſub uulgari ſimplicitate ſermonis latet ratio ſecreta, & altitudo inuoluta myſterij. Argutiæ ſunt, ut apparet, atque acumina hæc omnia, quibus fulcire ſolenne eſt malas in iudicijs cauſas. Quinimmo (ut uerius dicam) ſophiſticarum diſputationũ colores, non quibus uerum, ſed imago & ſpecies ueri ſemper, atq; umbra conquiritur. Nam quoniam rectas accipere lectiones pudet, dedecet, inclinatum eſt in has partes ut alia ſubijceretur res alij, & in ſpeciem decoris, turpitudinis interpretatio cogeretur. Sed quid ad nos iſtud, an alij ſenſus, aliæq; ſententiæ conſcriptionibus uanis ſubſint? Nobis enim ſatis

tis eſt, qui deos à uobis ſcelerate contendimus impieq; trà ctari, quod ſcriptum eſt, quod auditur accipere, nec cura re in abdito quid ſit cum contumelia numinũ non in obſcura ſenſuum mente, ſed in uerborum eminentium ſignificatione teneatur. Ac ne tamen *uideamur inſpicere quale ſit iſtud quod dicitur nolle: primum illud à uobis(ſi modo commodare patientiam uultis) exquirimus primum, allegorico genere uel ſcripta hæc eſſe, uel eodẽ modo intelligi oportere, unde eſt uobis cognitum, uel unde intimã tum in conſilium ſcriptores aduocare? uos ſcilicet tum in eorum pectoribus latitabatis, cum pro alijs res alias inter ueritate capta ſubdebant?* Deinde *ſi illi rationis alicuius, & religionis metu myſteria illa cõuoluere tenebroſa obſcuritate uoluerunt, quantum uobis audaciæ eſt, ut quod illi noluerunt, uos uelitis intelligere: uos ſcire & cunctorum ſubſternere notioni, quod illi fruſtra uerbis minus uerum ſignificantibus occulerũt?* Sed, *ut uobis aſſentiamur in fabulis his omnibus ceruas pro* Iphigenijs *dici, unde tamen uobis liquet, cum allegorias iſtas uel explanatis, uel panditis, eadẽ uos interpretari, eademq; ſentire, quæ ſub tacitis cogitationib. ipſis ab hiſtoricis ſenſa ſunt, nec per uoces proprias, ſignificationib. ſed alijs explicata?* Vos Iouis, *& Cereris coitum, imbrem dicitis dictum telluris in gremium lapſum: poteſt alius aliud & argutius fingere, & ueri cum ſimilitudine ſuſpicari: poteſt aliud tertius, poteſt aliud quartus, atq; ut ſe tulerint ingeniorum opinantium qualitates, ita ſingulæ res poſſunt infinitis interpretationibus explicari.* Cum enim *è rebus occluſis omnis iſta quæ dicitur allegoria ſumatur, nec habeat finem cer-*

tum, in quo rei quæ dicitur, ſit fixa atque immota ſententia, unicuique liberum eſt in id quod uelit attrahere lectionem, & affirmare id poſitum, in quod eum ſua ſuſpitio et coniectura opinabilis duxerit. Quod cum ita ſe habeat, qui poteſtis res certas rebus à dubijs ſumere atque unam adiungere ſignificationem dicto, quod per modos uideatis innumeros expoſitionum uarietate deduci? Denique ſi adcommodum ducitis, etiam illud à uobis repetita interrogatione conquirimus, omnes de his fabulas exiſtimetis, id eſt ſingulas totas ambifarias ac bilingues, & uerſipellibus eſſe ſcriptas modis? an alias earum partes nihil ambiguum dicere, alias uero multifidas atq; allegorici tegminis ſuperiectione uelatas? Si enim ad finem à capite textus omnis expoſitionis & ſeries obtentionibus allegoricis clauſa ſunt, ediſſertate: mõſtrate quid pro rebus ſingulis, quas unaquæque eloquitur fabula, ſupponere debeamus, & promere, quaſq; in res alias atq; intelligentias uocare. Vt enim Iouem pro pluuia, Cererem (uerbi cauſa) pro terra uultis audire & pro Libero, ac patre Dite, ſubmerſionem ſeminis atq; iactum: ita dicere uos conuenit, quid pro tauro debeamus accipere, quid pro indignatione Cereris atque ira: quid ſibi uelit primo uerbum, quid Iouis ſolliciti ſupplicatio? Quid allegati cœlites nec auditi? quid exectus aries? quid execti arietis proles? quid ſatisfactio his facta? quid quæ rurſus geſta ſunt libidine obſcœniore cum filia? conſimiliter & in altera fabula ennæa nemus, & flores, quid ſint? quid ſumptus ignis ex aetna, comprehenſæq; iſtæ faces? quid peragratio cum his orbis? quid Attica regio? quid Eleuſinius pagus? quid Baubonis tugurium

atq; hoſpitiũ ruſticanum? quid cyceonis ſignificet potio? quid aſpernatio potionis? quid nouatio, & reuelatio pudendorum? quid ſpectaculi flagitioſa dulcedo, & ex remedijs talib. orbitatis obliuio cõparata? Quòd ſi pro his omnibus quod oporteat ſubijci rerum immutatione monſtratis, erit ut uobis aſſenſum ſuper tali aſſeueratione tribuamus: ſin autem ſingula in ſingulis neq; poteſtis opponere, nec ad rerum uocare contextum: quid allegorijs obſcuratis honeſtis id, quod ſimpliciter ſcriptum eſt, & communem ad intelligentiam publicatum? Niſi fortè dicetis non toto in hiſtoriæ corpore allegorias has eſſe, cæterum partes alias eſſe communiter ſcriptas, alias uero dupliciter, & ambifaria obtentione uelatas. Vrbana eſt iſta ſubtilitas, & quibuslibet brutis patens. Nam quia cũcta, quæ ſcripta ſunt, inexpeditiſſimum uobis eſt traducere, inuertere, deriuare, eligitis quædam ueſtræ conuenientia uolũtati, & ex ipſis obtinere contenditis nothas atq; adulteras lectiones interiori eſſe ſuperpoſitas ueritati. Quod tamen ut uobis ita ſeſe habere (quemadmodũ dicitis) annuamus, qui ſcitis, aut unde cognoſcitis, utra pars ſit ſententijs hiſtoriæ ſcripta ſimplicibus, utra uero ſit diſſonis atque alienis ſignificationibus tecta? Poteſt enim fieri, ut quod uos exiſtimatis ſic eſſe, aliter ſe habeat: aut quod aliter creditis, conceptionibus alijs contrarijsq; prolatum ſit. Vbi enim dicitur in unius materiæ corpore pars eſſe allegorice ſcripta, indubitabili altera ſermone, rectoq;: nec ineſt in re ſignum, quo differentia iudicari ambiguorum poßit ſimpliciterq; dictorũ, tam poteſt quod ſimplex eſt, ambiformiter dictũ exiſtimari, quàm quod ambigue ſcri-

ptum eſt,recluſis eſſe obtenſionibus credi. Quod quidem quo genere aut fiat, aut fieri poſſe credatur, intelligere confitemur minime poſſe. Inſpiciamus enim quod dicitur hoc modo. In *nemore inquit,Ennenſi quondã flores* Pro*ſerpina lectitabat.*Integrum *adhuc iſtud eſt,& recta pro nunciatione prolatum:nam & nemus & flores quid ſint, quid* Proſerpina,*quid uirago, cunctis indubitabiliter notum eſt.* Emicuit Summanus *è terris curru quadriiugo uectitatus: ſimplex & hoc æque eſt:nam quadrigæ,currus, atque* Summanus *interpretationem deſiderant nullam.* Improuiſus Proſerpinam *rapuit, & ſub terras ſecum auexit:ſeminis (inquit) abſtruſio raptione in* Proſerpinæ *nũcupatur.quid accidit quæſo,ut in aliud conuerteretur hiſtoria? ſemen* Proſerpina *diceretur? ut quæ uirago iamdudum florum in lectionibus habebatur, poſtquam ſublata & rapta eſt,ſignificationem cœperit habere ſementis?* Iuppiter *(inquit) in taurum uerſus, concubitum matris ſuæ* Cereris *appetiuit: ut expoſitum ſupra eſt, nominibus his tellus & labens pluuia nuncupatur. Legem allegoricam uideo tenebroſis ambiguitatibus explicatam.* Irata Ceres *eſt,& exarſit, & arietis proles pro pœna atque ultione ſuſcepit.* Hoc *iterum uideo communibus in proloquijs promptum:nam & ira,& teſtes,ſatisfactio,ſuis hic moribus, & conditionibus dicta ſunt. Quid ergo hic accidit, ut ab* Ioue *qui pluuia, & ab* Cerere, *quæ appellata eſt terra, res tranſiret ad uerum* Iouem, *atque ad rerum ſimpliciſsimam dictionem?* Aut *igitur debent allegorico genere omnia eſſe ſcripta, & poſita,demonſtrandaq; uniuerſa nobis: aut genere iſto conſcriptum eſt nihil:quoniã*

eſſe

eſſe quod creditur, quaſi parte ex hiſtoriæ non uidetur? Allegorico genere ſcripta ſunt hæc omnia. Minime iſtud uidetur certum. quæritis qua ratione, qua cauſa? quia omne quod geſtum eſt, & in alicuius operis euidentia conſtitutum eſt, conuerſionem non poteſt in allegoriam duci: neque enim poteſt infectum eſſe, quod factum eſt: aut rei geſtæ natura in alienam poteſt degenerare naturam. Nunquid bellum Iliacum in Socraticam uerti condemnationem poteſt? aut pugna illa Cānenſis proſcriptio fieri crudelitaſq; Syllana? Poteſt quidem proſcriptio (quemadmodum Tullius ludit) pugna dici, appellariq; Cannenſis. Sed quæ geſta eſt dudum pugnā eſſe non poteſt, eademq; proſcriptio, neque enim quod geſtum eſt, poteſt aliud (ut dixi) quam id eſſe quod geſtum eſt, aut in alienam migrare ſubſtantiam id, quod in ui propria, atq; in ſui generis qualitate defixum eſt. Vnde igitur probamus hiſtorias has omnes rerum eſſe geſtarum conſcriptiones? Ex ſolennibus ſcilicet ſacris atque initiorum myſterijs: uel quæ ſtatis fiūt temporibus, ac diebus, uel quæ in abdito tradunt gentes, moris proprij perpetuitate ſeruata. Neque enim credendum eſt ſine ſuis originibus hæc eſſe fruſtra, atque inania fieri: nec habere coniunctas primis inſtitutionibus cauſas. Pinus illa ſolenniter quæ in matris infertur ſanctum deæ, nonne illius imago eſt arboris, ſub qua ſibi Atys uirum de meſſis genitalibus abſtulit? & quam memorant diuam in ſolatium ſui conſecrauiſſe mœroris? Ithyphallorum illa faſcinorumq; ſubrectio, quos ritibus annuis adorat & concelebrat Græcia, nonne illius facinoris ſimilitudinem refert, quo ſe à debito Liber liberauit? Eleuſina illa myſteria

ria, & ſacrorum reconditi ritus, cuius memoriam conti-
nent? nonne illius erroris, quo in filiæ conquiſitione Ce-
res feſſa, oras ut uenit ad Atticas, triticeas attulit fruges?
nebridarum familiam pellicula cohoneſtauit binnulæ: &
illud ſpectaculum maximum Baubonis in inguinibus ri-
ſit? aut ſi alia cauſa eſt, nihil ad nos iſtud, dummodo cau-
ſa cuncta iſta confiant. Neque enim credibile eſt, nullis an
tecedentibus cauſis ſuſcepta hæc eſſe: aut inſanire iudican
dum eſt Atticos, qui ſibi ritum religionis affixerint con-
flatum rationibus nullis. Quod ſi liquet, & conſtat, id eſt
ſi rebus actis myſteriorum cauſæ atque origines effluunt,
in allegoricas ſpecies nulla poſſunt conuerſione traduci.
quod enim factum, geſtum eſt, infectum non poteſt fieri
rerum prohibente natura. Et tamen ut uobis ita ſe habere
aſſentiamur res iſtas, id eſt, ut hiſtoriæ aliud uerbis ſo-
nent neſcio quid, aliud more hariolantium dicant, ita
non animaduertitis, non uidetis quanta iſtud dicatur &
cum ignominia fieri, contumeliaq; diuorum? an iniuria
grauior ulla potis eſt reperiri, quàm terram, & pluuiam,
uel quodlibet aliud (nihil enim refert quæ fiat interpreta-
tatione conuerſio) Iouis & Cereris dicere atque appella-
re concubitum? & cum deorum criminibus labem im-
bris è cœlo, & telluris ſignificare madorem? Poteſt irreli
gioſius quippiam uel exiſtimari, uel credi, quàm ſemina
terris merſa, uel quodlibet aliud (nihil enim ſimiliter re-
fert) raptum Proſerpinæ dicere, & cum nota Ditis pa-
tris rei ruſticæ dei proloqui? Nonne millies optatius fuit
elinguem fieri atque mutum, atque ſcaturiginem iſtam uo
cis, & ſtrepitum fœdæ loquacitatis amittere, quàm deo-
rum

rum nominibus res appellare turpiſſimas? quinimmo tur pibus deorum factis negocia ſignificare uulgaria? Antea uos fuerat allegoricas dictiones honeſtiſſimis ſenſibus ob umbrare, res turpes, & fœdas prolatu, honeſtorum conueſtirier dignitate. At uero uobis auctoribus per turpitudinem dicuntur res graues, & caſtitate pollentia obſcœnis commorantur in uocibus: ut quod olim grauitas fœdæ rei uerecundia contegebatur, nunc ſcurriliter, turpiterq́; dicatur digna res elocutione mutata. Quod in adulterio dicimus Martem (inquit) & Venerem Vulcani eſſe circumretitos arte, cupiditatem dicimus atque iram, ui preſſas conſilioq́; rationis. Quid enim prohibebat, quid obſtabat unamquamq; rem uerbis, & ſuis ſignificationib. promere? immo quid urgebat cum neſcio quid indicare per cōmentarios et ſcripta uoluiſſet, nolle illud intelligi quod indicaret: ſed contrarias res ſimul una expoſitione ſuſcipere, ſtudium docere cupientis, & nolentis oſtendere malignitatem? an deos adulteros dicere periculū habuit nullum? Prolatio cupidinis atq; iræ, linguam & os fuerāt ob ſcœno coinquinatura contactu? Quod ſi utiq; fieret, & allegoricæ cæcitatis obumbratio tolleretur, & facilis ad diſcendum res eſſet, & deorum dignitas conſeruaretur illæſa. Nunc uero cum dicitur in Martis & in Veneris uinctione uitiorum eſſe ſignificata cōpreſſio, peruerſiſſimæ res duæ ſimul iiſdem temporibus fiunt, ut & fœdæ rei ſpecies intellectum ſubiiciat honeſtatis, & prius animum tur pitudo quàm religionis alicuius perſtringat auctoritas. Niſi forte dicetis (hoc enim ſolum reſtat, quod à uobis poſſe uideatur opponi) deos ſua myſteria nolle ab homini

bus ſciri: & iccirco hiſtorias ambagibus eſſe allegoricis ſcriptas. Et unde uobis eſt liquidum, quod hominibus ſuperi nolint ſua myſteria publicari? Vnde illa uos ſcitis, aut cur ea diſſoluere in allegoriarum explanationem curatis? Ad extremum & ultimum, quid ſibi dij uolunt, ut honeſta cum nolint, turpiſsima de ſe dici atque indecora patiantur? Atyem cum nominamus, ſolem (inquit) ſignificamus, & dicimus: ſed ſi Atys ſol eſt (quemadmodum connumeratis, & dicitis) quis erit Atys ille, quem in Phrygia genitum ueſtræ produnt atque indicant literæ? quem paſſum eſſe res certas, feciſſe item res certas: quem in ſpectaculis ludicris theatra uniuerſa nouerunt, cui inter ſacros cultus res uidemus fieri ſpecialiter annuas, nominatimq́; diuinas? utrúmne ab ſole ad hominem, an ab homine ad ſolem uocabuli huius facta translatio eſt? Si enim nomē iſtud principaliter habet originem ſolis, quid tandem de uobis ſol aureus meruit, ut ei cum ſemiuiro faceretis uocabulum iſtud eſſe commune? ſin hirquinum, & Phrygium eſt, quid Phaetontis genitor, pater huius luminis & claritatis admiſit, ut abſciſſo ab homine dignus uideretur uocari, & auguſtior fieret euirati corporis nuncupatione ſignatus? Sed quid ſit iſtud, iam promptū eſt omnibus: nam quia talium ſcriptorum, hiſtoriarumq́; uos pudet, nec aboleri uidetis poſſe ea quæ ſunt fœde ſemel in commētarios relata, nitimini cohoneſtare res turpes, atq; omnibus argutiarum modis pro rebus ſubditis uerborū inuertitis corrumpitisq́; naturas: atq; ut olim accidere male ſanis aſſolet, quorū turbida uis, morbi ſenſum, atq; intelligentiam depulit, cōfuſa atq; incerta iactatis, & inaniū

per

per rerum figmenta bacchamini. Eſto in Iouis & Cereris coitu irrigatio ſit ſignificata telluris: occultatio ſeminis patris in Ditis raptu, uina per terras ſparſa diſtractis in uiſceribus Liberi, cupiditatis & temeritatis compreſſio, colligatio dicta ſit adulteriorum Veneris atque Martis. Sed ſi fabulas has uultis more eſſe allegorico ſcriptas, qd cæteris fiet quas non uidemus poſſe uerſuras in huiuſmodi cogi. Quid enim ſubijciemus pro illis fuſtibus, quos ſuper aggerem tumuli ſemeleiæ ſobolis origo contorſit? Et quid pro illis Ganymedibus partis, atq; in libidinum magiſteria ſubſtitutis? Quid pro illa conuerſione formiculæ, in quam Iuppiter maximus uaſtitatis ſuæ liniamenta contraxit? Quid pro cycnis, & ſatyris? quid pro aureis imbribus, in quos idem ſe pellax fraude induit perfida formarum uarietatibus ludens? Ac de de Ioue ſolo loqui uideamur uoluiſſe, in amoribus numinum reliquorum eſſe allegoriæ quæ poſſunt? quæ in mercenarijs conditionibus, ac ſeruitutibus? quæ in uinculis, orbitatibus, planctibus? quæ in cruciatibus, uulneribus, ſepulchris? in quo cũ unam contrahere poſſetis culpam conſcriptione de ſuperis tali, addidiſtis (ut dicitur) gãgrenam, cum deorum nominibus appellauiſtis res turpes, & uocabulis rurſus deos rerum conquinauiſtis infamium. Quod ſi adeſſe hic eos, aut eſſe illos uſpiam cognitione indubitabile crederetis: in mentione illorum facienda præſtringeret uos metus: & tanquam uos audirent, ueſtrasq; acciperent uoces, ita credi oportuit, & haberi in cogitatione defixum. Apud enim homines officioſis religionibus deditos non ipſi dij tantum, uerumetiam nomina debent eſſe deorum

reuerenda: quantumq́; eſt in ipſis, qui cenſentur his nominibus, tantum eſſe par eſt in eorum appellationibus dignitatis. Ad ueram iudicij formam, & in illa eſtis reprehenſionis parte, quòd in uſu ſermonis ueſtri Martem pro pugna appellatis, pro aquis Neptunum, Liberum patrem pro uino, Cererẽ pro pane, Mineruam pro ſtamine, pro obſcœnis libidinis Venerem. Quæ eſt enim ratio, ut cum ſuis cẽſeri appellationibus res poſsint, nominibus cognominentur deorum? & ea fiat numinibus contumelia, quã nec homines ſuſtinemus, ſi noſtra quis nomina res ducat, atq; inuertat in friuolas? Sed oratio ſordida eſt, uerbis fuerit polluta ſi talibus. Verecundia laude condigna, erubeſcitis panem & uinum nominare, & pro coitu Venerem non metuitis dicere.

ARNOBII DISPVTATIOnum aduerſus Gentes Liber VI.

NVNC quoniam ſummatim oſtendimus, quàm impias de dijs ueſtris opinionũ conſtitueritis infamias, ſequitur ut de templis, de ſimulachris etiã, ſacrificijsq́; dicamus: deq́; alia ſerie, quæ his rebus annexa eſt, & uicina copulatione coniuncta. in hac enim cõſueſtis parte crimen nobis maximum impietatis affigere: quòd neq; ædes ſacras uenerationis ad officia conſtruamus, non deorum alicuius ſimulachrum conſtituamus, aut formam: non altaria fabricemus, non aras, non cæſorum ſanguinem animantium demus, non thura, neque fruges ſalſas, non denique ui

num liquens paterarum effuſionibus inferamus: quæ quidem nos ceſſamus non ideo uel exædificare, uel facere tanquam impias geramus & ſceleroſas mentes, aut aliquem ſumpſerimus temeraria in deos deſperatione contemptum: ſed quòd deos arbitramur, & credimus (ſi modo dij certi ſunt, & nominis huius eminentia prædıti) honorum hæc genera aut riſui habere, ſi rideant, aut indigne perpeti, ſi motibus exaſperentur irarum. Vt enim noſcatis quid de iſto nomine ſentiamus, iudicijque ſimus cuius, exiſtimamus nos eos (ſi modo dij certi ſunt, ut eadem rurſus ſociateq; dicantur) cunctarum eſſe debere, perfectarumq; uirtutum, ſapientes, iuſtos, graues (ſi modo nulla eſt culpa quod eos laudibus accumulamus humanis) inteſtinis pollentes bonis, nec extraneis adminiculis indigere: quod illis integritas inoffenſæ beatitudinis compleatur: ab affectibus cunctis, & cunctis perturbationibus liberos: non ira efferuere, non ullis cupiditatibus excitari, calamitatem irrogare nullis, non ex malis hominum crudelem accipere uoluptatem, non terrere portentis, non prodigioſas oſtentare formidines, non uotorum debitis habere obnoxios & obligatos, nec piaculares hoſtias ſignis minacibus poſtulare, non peſtilentias, non morbos, corruptione aeris inducere, non adurere ſiccitatibus fruges, non cædibus intereſſe bellorum, non urbium ſtragibus, non aduerſa his uelle, non illorum commoditatibus ſuffragari; ſed quod magnarum eſt mentium pari pendere cunctos lance, & indiuiduas cunctis beneuolentias exhibere. Caduci enim generis, & infirmitatis humanæ eſt contrarijs egere, eóſque

quos

quos tangat affectio, pati dolorẽ, diminui ſapientium ſcita & pronũciata definiunt: nec poſſe aliter fieri, quin legibus mortalitatis aſtricti ſint, qui ſint ullis perturbationibus mancipati. Quod cum ita ſe habeat, qui poſſumus iudicari deos habere contemptui? quos niſi ſunt recti, & magnarum mentium admiratione laudabiles, deos negamus exiſtere, nec poteſtatibus poſſe cœlitum applicari? Sed templa illis extruimus nulla, nec eorum effigies adoramus, non mactamus hoſtias, non thura ac uina libamus. Et quid amplius poſſumus uel honoris eis attribuere, uel dignitatis, quàm quod eos in ea ponamus parte, qua rerum caput, ac dominum, ſummumq; ipſum regem, cui debent diuina nobiſcum quod eſſe ſe ſentiunt, & uitali in ſubſtantia contineri? Nunquid enim delubris aut templorum eum conſtructionibus honoramus? Nunquid ei hoſtias cædimus? Nunquid alias res damus, quas libare, profundere non eſt rationis expenſæ, ſed tracti per conſuetudinem moris? Etenim plena dementia eſt, neceſſitatibus tuis potentiora metiri, & quæ tibi ſint uſui datoribus dijs dare, & honorem iſtum, non contumeliam ducere. Templa igitur quærimus in deorum quos uſus? aut in rei cuius neceſſitatem, aut dicitis eſſe conſtructa, aut eſſe rurſus ædificanda cenſetis? Hyemalia ſentiunt frigora, aut ſolibus torrentur æſtiuis, pluuialibus nimbis perfluunt, uentorum eos aut turbines uexant, incurſionem pati periclitantur hoſtilem, ferarum aut rabidos appetitus? ut merito illos conueniat tectorum munitionibus claudere, ſaxorum aut obiectione tutari? Templa enim hæc quid ſunt? Si humanam infirmitatem roges, neſcio quid imma-

ne,

ſle,atq; amplum:ſi deorum potentiam metiaris,ſucceſſus quidem parui,atq; (ut uerius eloquar) genus anguſtiſſimum cauernarum paupertini cordis excogitatione ſuſpenſum. Quorum ſi quæris audire quis prior fuerit fabricator, aut Phoroneus Aegyptius, aut Merops tibi fuiſſe monſtrabitur:ut tradit in admirandis Varro,Iouis progenies Aeacus.Sint ergo hæc licet aut ex molibus marmoreis ſtructa, laquearibus aut renideant aureis, ſplendeant hic gemmæ,& ſydereos euomant uariata interſtitione fulgores: terra ſunt hæc omnia, & ex fæce ultima uilioris materiæ concreta. Neque enim, ſi uos ea pretijs carioribus penditis, delectari credendum eſt his deos: nec recuſare,nec ſpernere quo minus ſe ſepiant,& eorum obiectionibus coerceantur incluſi. Templum (inquit) hoc Martis eſt,hoc Iunonis, & Veneris: Apollo hic habitat, in hoc manet Hercules,illo Summanus. Iſta non prima et maxima contumelia eſt, habitationibus deos habere diſtrictos? tuguriola his dare,conclauia, & cœllulas fabricari, & eis exiſtimari neceſſarias res eſſe, quæ hominibus,felibus,quæ ſunt formiculis, & lacertis, quæ fugacibus,pauidis,atque exiguis muribus? Sed non (inquit) idcirco attribuimus dijs templa, tanquam humidos ab his imbres,uentos,pluuias arceamus,aut ſoles:ſed ut eos poſſimus coràm & comminus contueri, affari de proximo, & cũ præſentibus quodãmodo uenerationum colloquia miſcere. Sub axe enim nudo, & ſub ætherio tegmine inuocati ſi fuerint,nihil audiunt: & niſi de proxime admoueantur his preces,tanquam nihil dicatur,obſtructi,atq; immobiles ſtabunt. Atquin nos arbitramur omnem deum

om-

omnino (ſi modo nominis huius ui pollet) ex quacunq; mũ di parte, quod quiſq; fuerit locutus, tanquã ſi ſit præſens, audire debere: immo quod quiſq; conceperit ſub obſcuris & tacitis ſenſibus cognitione anticipata præſumere: atq; ut aſtra, ſol, luna, cum ſupra terras meant, omnibus omni no cernentibus ſtatim ſunt & ubiq; præſentes, ita quoq; conuenit audientiam numinum nulli eſſe clauſam linguæ ſemperq; eſſe præſentem: quamuis ad eam uoces regioni= bus ex diſtantibus confluant. Hoc eſt enim proprium deo rum, complere omnia ui ſua, non partiliter uſpiam, ſed ubiq; eſſe totos: non adeſſe, non abeſſe, non cœnatum ad Aethiopas pergere, & poſt dies biſſenos priuatum ad do micilium redire. Quod ſi ita non erit, tollitur omnis ſpes opis, & erit in dubio audiamur ab dijs, necne: ſiquando res ſacras ceremoniarum conficitis debitis. Conſtituamus enim noſcendæ rei cauſa, templum numinis alicuius eſſe apud Canarias inſulas, eiuſdem apud ultimam Thylem: eiuſdem apud Seras eſſe, apud furuos Garamantas, & ſi qui ſunt alij, quos ab ſui notitia maria, montes, ſyluæ, & quadrini diſterminant cardines. Si omnes uno in tempo= re rebus diuinis factis, quod ſua quoſque neceſsitas cogi= tare cõpellit poſcant de numine, referendi beneficij quæ= nam omnibus ſpes erit, ſi non undiq; ad ſe miſſam uocem deus exaudiet, & erit ulla longinquitas, quò penetrare non poſsit auxilium poſcentis oratio? aut enim nullis erit in partibus præſens, ſi uſpiam poterit aliquando non eſ= ſe, aut aderit unis tantum, quoniam præbere communi= ter ſuum non poteſt atq; indiſcretus auditum. At ita per= ficitur, ut aut nullis deus opituletur omnino, ſi occupatus

re

re aliqua ad audiendas uoces non quiuerit aduolare: aut exauditi tantummodo uni abeant ſoli, nihil egerint cæteri. Quid quod multa ex his templa, quæ tholis ſunt aureis, & ſublimibus elata faſtigijs, auctorum conſcriptionibus comprobatur contegere cineres atq; oſſa, & functorum eſſe corporum ſepulturas? Nónne patet, & promptum eſt, aut pro dijs immortalib. mortuos uos colere, aut inexpiabilem fieri numinibus contumeliam, quorum delubra & templa mortuorum ſuperlata ſunt buſtis? In hiſtoriarum Antiochus nono, Athenis in Mineruio memorat Cecropem eſſe mandatum terræ: in templo rurſus eiuſdem, quod in arce Lariſſæ eſt, cōditus ſcribitur atq; indicatur Acriſius. Erichthonius Poliadis in fano, Dairas et Immarnachus fratres, in Eleuſinis conſepto, quod ciuitati ſubiectum eſt. Quid Celei uirgines? non in Cereris Eleuſinæ humatæ habere perhibētur officia? nō in Dianæ delubro, quod in Apollinis conſtitutum eſt Delij, Hyperocha, Laodiceq́; quas aductas illuc eſſe finibus ex hyperboreis indicatur. in Didymæo Mileſio Cleochum dicit habuiſſe ſuprema Leandrus. funeris Leucophrynæ monumentum in fano apud Magneſiam Dianæ eſſe, Myndius profitetur ac memorat Zeno. ſub Apollinis arula, quæ Telmeßi apud oppidum uiſitur, Telmeſſum eſſe conditum uatem, non ſcriptis conſtantibus indicatur Ageſarchi? Ptolemæus Philopator quem edidit primo, Cinyram regem Paphi cum familia omni ſua, immo cum omni proſapia in Veneris templo ſitum eſſe literarum auctoritate declarat. Infinitum eſt & immenſum, quibus quique in fanis toto ſint in orbe deſcribere: nec exactam deſiderat

derat curam, quam pœnam conſtituerit Aegyptus in eū qui publicaſſet, quibus Apis iaceret abſconditus: polyandria illa Varronis quibus templis cõtegantur, quaſque in ſe habeant ſuperlati ponderis moles. Sed quid ergo hæc parua? regnatoris in populi Capitolio quis eſt hominum qui ignoret Toli eſſe ſepulchrum Vulcentani? Quis eſt, inquam, qui non ſciat ex fundaminum ſedibus caput hominis euolutum non ante plurimum temporis, aut ſolum ſiue partibus cæteris (hoc enim quidam ferunt) aut cum membris omnibus humationis officia ſortitum? Quod ſi planum fieri teſtimonijs poſtulatis auctorum, Sammonicus, Granius, Valerianus uobis, & Fabius indicabunt: cuius Tolus fuerit filius, gentis & nationis cuius, ut à germani ſeruulo uita fuerit ſpoliatus & lumine: quid de ſuis commeruerit ciuibus, ut ei ſit abnegata telluris patriæ ſepultura. Condiſcetis etiam (quamuis nolle iſtud publicare ſe fingant) quid ſit capite reſecto factum, uel in parte qua curioſa fuerit obſcuritate concluſum: ut immobilis uidelicet atq; fixa obſignati ominis perpetuitas ſtaret. Quod cum opprimi par eſſet, & uetuſtatis obliteratione cœlari, compoſitio nominis iecit in medium, & cum ſuis cauſis per data ſibi tẽpora inextinguibili fecit teſtificatione procedere: nec erubuit ciuitas maxima, & numinum cunctorum cultrix, cum uocabulum templo daret, ex Toli capite capitolium quàm ex nomine Iouio nuncupare. Satis igitur (ut opinor) oſtendimus templa dijs immortalibus aut inaniter eſſe conſtructa, aut contra decus, & potentiam creditam contumelioſis opinationibus fabricata. Sequitur ut de ſignis aliquid,

quid, ſimulachriſq; dicamuſq;: quæ multa arte componi tis, & religioſa obſeruatione curatis: qua in parte ſi fides eſt ulla, conſtituere apud nos ipſos nullis conſiderationibus poſſumus, utrumne iſtud ſeriò & cum propoſito faciatis graui, an ridendo res ipſas puerili hallucinatione ludatis. Si enim certum eſt apud nos deos eſſe, quos remini; atque in ſummis cœli regionibus degere, quæ cauſa, quæ ratio eſt, ut ſimulachra iſta fingantur à uobis, cum habeatis res certas, quibus preces poßitis effundere, & auxilium rebus in exigentibus poſtulare? Sin autem non creditis, aut (ut mediocriter dicatur) ambigitis: etiam ſic, ratio quænam eſt dubiorum fingere atq; inſtituere ſimulachra? & quod eſſe non credas uentoſa imitatione formare? An nunquid dicitis fortè præſentiam uobis quandam his numinum ſubexhiberi ſimulachris, & quia deos uidere non datum eſt, eos ita coli, & munia officioſa præſtari? Hoc qui dicit, & aſſerit, deos eſſe non credit: nec habere conuincitur ſuis religionibus fidem, cui opus eſt uidere, quod teneat: ne inane fortè ſit, quod obſcurũ non uidetur. Deos (inquitis) per ſimulachra ueneramur. Quid ergo, ſi hæc nõ ſint, coli ſe dij neſciunt, nec impertiri à uobis ullum ſibi exiſtimabunt honorem? Per tramites ergo quoſdam, & per quædam fidei commiſſa (ut dicitur) ueſtras ſumunt, atq; accipiunt cultiones: & antequã hi ſentiant. quibus illud debetur obſequium, ſimulachris litatis prius, & uelut reliquias quaſdam aliena ad illos ex auctoritate tranſmittitis. Et quid fieri poteſt iniurioſius, contumelioſius, durius, quàm deum alterum ſcire, & rei alteri ſupplicare? opem ſperare de numine, & nullius ſenſus

ad effigiem deprecari? Nónne illud eſt quæſo, quod in uulgaribus prouerbijs dicitur, fabrũ cadere cum ferias fullonem? & cum hominis conſilium quæras ab aſellis, et porculis, agendarum rerum ſententias poſtulare? Et unde nouiſsime ſcitis an ſimulachra hæc omnia, quæ dijs immortalibus uicaria ſubſtitutione formatis, ſimilitudinem referant, habeantq́; diuinam? Poteſt enim fieri, ut barbatus in cœlo ſit, qui eſſe à uobis effingitur leuis: poteſt ut ſenectute prouectior, cui puerilem commodatis ætatem: poteſt ut hic flauus ſit, qui in ueritate habeat oculos cæſios, diſploſas ut geſtitet nares, quem eſſe uos facitis, figuratisq́; naſicam. Neque enim rectum eſt dicere, aut appellare ſimulachrum, quod non pariles lineas principali ab ore traducat: quod eſſe planum & certum, manifeſtis poterit à rebus agnoſci. Nam cum omnes homines teretem eſſe ſolem indubitabili luminum contemplatione uideamus: os illi uos hominis, & mortalium corporum liniamenta donatis. Luna ſemper in motu eſt, & ter denas facies in reſtitutione accipit menſtrua: uobis ducibus, & figuratoribus fœmina eſt, uultuq́; eſt uno, quæ per habitus mille quotidiana inſtabilitate mutatur. Intelligimus omnes uentos aeris eſſe fluorem, pulſos, & mundanis rationibus concitatos: per uos hominum formæ ſunt buccinarum animantes tortus inteſtinis & domeſticis flatibus. Inter deos uidemus leones toruiſsima facie, mero oblita nimio, & nomine frugiferio nuncupari. Si ſimulachra hæc omnia ſuperiorum ſunt imagines numinum, ergo et in cœlo habitare dicendus eſt deus talis, ad cuius formam & ſpeciem ſimulachri huius ſimilitudo directa eſt: & ul-

delicet

delicet ut hic iſte, ita illic ille, ſine reliquo corpore perſona eſt, & facies ſola, fremebundus hiatibus toruidis, dirus, ſanguineo de gutture malum dentibus ſuis comprimens, atque ut olim feßi canes linguam ore de patulo pituitate proijciens. quod ſi utique non eſt, ita ut omnes exiſtimamus non eſſe, quænam tanta audacia eſt formam tibi quam uolueris fingere, ac credere eſſe ſimulacrum dei; quem probare non poßis ulla eſſe in parte naturæ? Ridetis temporibus priſcis Perſas fluuios coluiſſe, memoralia ut indicant ſcripta, informem Arabas lapidem, acinacem Scythiæ nationes, ramum Prognes Theſpios, lignum Carios pro Diana indolatum: Peßinuntios ſilicem pro deum matre: pro Marte Romanos haſtam, Varronis ut indicant muſæ: atque (ut Ethedius memorat) ante uſum diſciplinamq́; fictorum, puteum Samios pro Iunone: & abſtinetis a riſu cum pro dijs immortalibus ſigilliolis hominum, & formis ſupplicatis humanis. Quin immo deos eſſe ſigillaria ipſa cenſetis, nec præter hæc quicquam uim creditis habere diuinam. Quid dicitis ô iſti, ergóne dij cœlites habent aures, & tempora, ceruices, occipitiũ, ſpinam, lumbos, latera, poplites, nates, ſuffragines, talos, membraq́; alia cætera, quibus conſtructi nos ſumus, & quæ prima in parte paulo plenius dicta ſunt, & ſcripto uberiore prolata? Vtinam liceret introſpicere ſenſus ueſtros, receſſusq́; ipſos mẽtis, quibus uarias uoluitis, atq; initiis obſcurißimas cogitationes: reperiremus & uos ipſos eadẽ ſentire, quæ nos: neq; alias gerere ſuper numinũ figuratione ſentẽtias. Sed ſtudijs facere q̃d peruicacib. poſſumus, quid intentãtibus gladios, nouasq́;

excogitantibus pœnas? Animantis aſſeritis malam ſcien-tiſsimi cauſam, & quod ſemel ſine ratione feciſtis, ne ui-deamini aliquando neſciiſſe, defenditis: meliusq; putatis non uinci, quàm confeſſæ cedere atq; annuere ueritati. Ex *huiuſmodi cauſis illud etiam uobis conniuentibus conſe-cutum eſt: ut* In *deorum corporibus laſciuiæ artificum lu derent, darentq; his formas, quæ cuilibet triſti poſſent eſſe deriſui. Itaq;* Hammon *cum cornibus iam formatur et fin gitur arietinis: Saturnus cum obunca falce, cuſtos ruris ut aliquis ramorum luxuriantium tonſor: cum petaſo gnatus* Maiæ, *tanquàm uias aggredi præparet, & ſolem, pulueremq; declinet: Liber membris cum mollibus, & li quoris fœminei diſſolutiſsimus laxitate:* Venus *nuda, & aperta, tanquam ſi illam dicas publicare, diuendere meri torij corporis formã: cum pileo* Vulcanus, *& malleo, ma nu liber ſed dextera, & fabrili expeditione ſuccinctus: cum plectro & fidibus* Delius *citharistæ geſtus ſeruans, cantaturi et næniis hiſtrionis: cum fuſcina rex maris, tan quam illi pugna ſit gladiatorij obeunda certaminis: neq; ullum eſt reperire figmentum alicuius numinis, quod nõ habitus certos ferat fabrorum liberalitate donatos.* Ecce *ſi aliquis, uobis neſcientibus & ignaris, rex urbanus & callidus ex foribus ſuis ſolem tollat, & in* Mercurij *trans ferat ſedem:* Mercurium *rurſus arripiat, atq; in ſolis facia at cõmigrare delubrum (uterq; enim à uobis glaber, atq; ore compingitur leui) detq; huic radios, ſolis capiti peta ſunculum ſuperponat: quibus modis internoſcere poteri tis utrumne ſol iſte ſit, an ille* Mercurius, *cum habitus uo-bis deos, nõ oris ſoleat proprietas indicare?* Conſimili *rur*

ſus

ſus tranſlatione ſi nudo Ioui cornua detrahat, & Martis temporibus affigat, Martem armis ſpoliet, & his rurſus circũcludat Hammonem: interſtitio fieri quæ poterit ſingulorum, cum qui Iuppiter fuerat, idem poſsit exiſtimari Mars eſſe, & qui Mauors fuerat, ſubintroire ſpeciem Iouis poſsit Hammonis? Vſq; adeo ludus eſt ſimulachra iſta confingere, nomina illis tanquam propria dedicare, quibus ſi habitũ detrahas, tollatur cognitio ſingulorum: deus pro deo credi, alter uideri pro altero, immo pro utroque uterq; poſsit exiſtimari. Sed quid ego dijs datas falces & fuſcinas rideo? quid cornua, malleos, & galeros, cum ſimulachra quædam ſciam certorum eſſe hominum formas, & infamiũ liniamenta meretricum? Quis eſt enim qui ignoret Athenienſes illos hermas Alcibiadis ad corporis ſimilitudinem fabricatos? Quis Praxitelem neſcit, Poſidippum ſi relegat, ad formam Gratinæ meretricis, quam infelix perdite diligebat, os Veneris gnidiæ ſolertiarum coegiſse certamine? Sed ſola eſt hæc Venus, cui de ſcorti uultu tranſlaticium decus auctum eſt? Phryne illa Theſpiaca (ſicut illi referunt, qui negocia Theſpiaca ſcriptitarunt) cum in acumine ipſo eſſet pulchritudinis, uenuſtatis, & floris: exemplarium fuiſſe perhibetur cunctarum, quæ in opinione ſunt Venerũ: ſiue per urbes Graias, ſiue iſtc quò fluxit amor talium cupiditasq; ſignorum. Itaq; artifices omnes ipſis iiſdem qui temporibus extiterunt, quibusq́; primas dabat exprimendarum ſimilitudinum ueritas, omni cura ſtudioq; certabant, filum capitis proſtituti cythereia in ſimulachra traducere: ardebãt artificum ſcita: alterq; alterum uincere contentioſa æmula

tione quærebāt,nō Venus ut auguſtior fieret, ſed ut Phryne pro Venere ſtaret. atq; ita perducta eſt res eò, ut pro dijs immortalibus ſacra meretricibus fierent, & infelix religio ſignorum fabricationibus falleretur. Inter ſignifices ille memoratus Phidias & primus, cum olympij formam Iouis molimine operis extuliſſet immenſi, ſuper dei digito Pantauches inſcripſit pulcher:nomen autem fuerat amati ab ſe pueri,atq; obſcœna cupiditate dilecti:neque ullo metu eſt aut religione commotus, deum nomine proſtibuli nuncupare:quinimmo exoleto Iouis numen ſimulachrūq; ſacrare. Vſqueadeo ludus eſt, & puerilis affectio, ſigillaria iſta formare, adorare pro dijs ea, ſanctitatibus accumulare diuinis: cum ipſos uideamus artifices in effingendis his ludere, & libidinum propriarum monumenta ſancire. Quid eſt enim, ſi quæras, cur Phidias ludere ac laſciuire dubitaret, cum ante paululum temporis Iouem ipſum, quem fecerat, ſciret aurum fuiſſe, lapides, atq; oſſa informia, diſparata, confuſa, ſeq; horum omnium congregatorem, atque uinctorem, habitus eis per ſe datos in membrorum ſimilitudine fabricata? &, quod inter omnia primum eſt, ſui eſſe beneficium muneris, quod natus per ſe eſſet, atq; in rebus adoraretur humanis? Libet in hoc loco, tanquam ſi omnes adſint terrarum ex orbe nationes, unam facere concionem, atque in aures hæc omnium cōmuniter audienda depromere. Quidnam eſt iſtud homines, quod ipſi uos ultro in tam promptis ac perſpicuis rebus uoluntaria fallitis & circumſcribitis cæcitate? Diſcutite aliquando caliginem, regreßiq; ad lumen mentis, intuemini propius, & uidete iſtud, quod a-

gitur,

gitur,quale ſit:ſi modo retinetis ius ueſtrum, atq; in finibus his datæ rationis,conſilijq́; uerſamini. Simulacra iſta, quæ uos terrent,quæq́; templis in omnibus proſtrati atq; humiles adoratis,oſſa,lapides,æra ſunt,argentũ, aurum, teſta,lignum ſumptum ex arbore, aut cõmixtum glutinũ gypſo:ex ornatibus fortaſſe meretricijs, aut ex muliebri mundo, camelinis ex oſsibus, aut ex Indici animalis dente,ex cacabulis,ollulis,ex cãdelabris, & lucernis, aut ex alijs obſcœnioribus uaſculis congeſta, conflata in has ſpecies ducta ſunt,atq; in formas quas cernitis exierunt: fornacibus incocta figulinis, ex incudibus & malleis nata, groſsis raſa,deſcobinata limis,ſerris, furficibus, aculeis, aſceis,ſecta,dolata, effoſſa, terebrarum excauata uertigine, runcinarum leuigata deplanis. Ita iſti non error eſt? non(ut proprie dicatur)amentia?deũ credere,quem tute ipſe formaris, ſupplicare tremebundum fabricatæ abs te rei? & cum ſcias,& certus ſis tui eſſe operis,& digitorũ artẽ,pronũ in faciem ruere,opem rogare ſuppliciter, aduerſiſq; in rebus, atq; in temporibus aſperis propitij numinis fauores accurrere. Ecce ſi aliquis ponat in medio æs rude,atq; in opera nulla coniectũ,argenti maſſas indomiti,infectum aurum,lignũ,lapides, atq; oſſa, resq́; alias cæteras, quibus ſigna conſueta ſunt & numinum ſimulachra conſtare: imò ſi aliquis ponat in medio colliſorum deorum uultus,conflata atq; imminuta ſimulachra: iube atq; uos idem fruſtis hoſtias & fragminib. cædere, informibus maſsis ſacra et munia impertire diuina: audire à uobis expoſcimus,facturine iſtud ſitis, an contrà quàm imperabitur recuſaturi? fortaſſe dicetis,qua cauſa? quia ne-

mo eſt in in rebus humanis tam ſtolide cæcus, qui argentum, æs, aurum, gypſum, ebur, argyllam, deorum in numerum referat, ipſaq; per ſe dicat uim habere atq; obtinere diuinam. Quænam eſt ergo ratio, ut ſi omnia hæc corpora intacta atq; infecta permanſerint, careant ui numinis, atq; auctoritate cœleſti? ea formas ſi accipiant hominum, ſi auriculas, naſos, buccas, labra, oculos, cilia, cõtinuo dij fiant, & in ordinem cœlitum referantur, & cenſum? No*uitatis aliquid fictio corporibus his addit, ut adiectione ipſa cogamini aliquid eis credere diuinitatis maieſtatisq; collatum? in aurum, æs mutata ut teſtula uilitatem in argenteam cogat degenerare materiã? quæ inſenſibilia fuerunt pauloante, faciat, ut ſint uiua, & ſpiritali agitatione moueantur? ſi quas foris habuere naturas, eas omnes retineant ſimulachrorum in corporibus conſtituta ſtupiditas quæ tanta eſt? (detrecto enim dicere cæcitatem) rerũ exiſtimare naturas formarum qualitate mutari, & accipere numen ex habitu, quod in primigenio corpore iners fuerit & brutum, & ſenſus mobilitate priuatum.* Itaq; *immemores & obliti ſimulacrorum ſubſtantiæ atq; originis, quæ ſit, rationale homines animal, & ſapientiæ munere conſilijq; donatum coctilibus teſtis ſuccumbitis, æris laminas adoratis, elephantorum à dentibus ſecundas poſcitis ualetudines, magiſtratus, imperia, poteſtates, uictorias, acquiſitionis lucra, meſſes opimas, feraciſſimasq; uindemias? & cum pateat, luceat, rebus fieri uerba cum brutis, exaudiri uos remini, ipſiq; uos ultro credulitatis uacuæ circũſcriptione traducitis? O utinam liceret in ſimulachri alicuius medias introire pendigines; immo utinã*

liceret

liceret olympiacos illos, & capitolinos Ioues deducere in membra reſolutos, omnesq; illas partes, quibus ſumma cõcluditur corporum, diſcretas ac ſingulas contueri. Iamdudum iſtos uideretis deos, quos exterior leuitas lenocinio fulgoris auguſtat, laminarum ſtatilium eſſe crates, particularum coagmenta deformium, à ruinarum caſibus, & diſſolutionis metu ſubſcudibus, & catenis, uncis, atque anſulis retentari. Interq; omnes ſinus, commiſſurarumq; iunčturas plumbum ire ſuffuſum, & ſalutares moras ſignorum diuturnitatibus commodare. Videretis, inquam, iamdudum ſolas ſine occupitijs facies, manus ſine brachijs ſemiplenas, uentres cum lateribus dimidiatos, plantarum imperfecta ueſtigia, & quod maxime riſum ferat, parte ligneos ex una, at ex altera ſaxeos inæquabili corporum conſtructione contractos: quæ ſi utique perſpici obſcuritatis arte non quirent, uel ipſa uos ſaltem quæ in medio ſita ſunt, docere, atque monere debuerunt, agere uos nihil, et circa res caſſas officiorũ impendere uanitates. Ita enim non uidetis ſpirantia hæc ſigna quorum plantas, & genua contingitis, & contrectatis orantes: modo caſibus ſtillicidiorum labi, putredinis modo carie relaxari, ut nidoribus, atque fumo ſuffita ac decolorata nigreſcant, quemadmodum ſæcli longioris incuria perdant ſitus, ſpecie, & rubigine conuulnerentur exeſa? Ita, inquam, non uidetis ſub iſtorum ſimulacrorum cauis ſtelliones, ſorices, mures, blattasq; lucifugas nidamenta ponere, atque habitare? ſpurcitias huc omnes, atque alia uſibus accommodata conducere, ſemiroſi duritias panis, oſſa in ſpem tracta, pannos, lanuginem, chartulas nidulorum in mollitie miſerorum

ſcrorum fomenta pullorum? non in ore aliquando ſimulachri ab araneis ordiri retia, atque inſidioſos caſſes, quibus uolatus innectere ſtridularũ poßint, impudentiumq́; muſcarum? Non hirundines deniq; intra ipſos ædium circumuolantes tholos, iacularier ſtercoris plenas, & modo ipſos uultus, modo numinum ora depingere, barbam, oculos, naſos, aliasq́; omnes partes, in quaſcunq; ſe detulerit deonerati proluuies podicis? Erubeſcite ergo *uel ſero, atque ab animantib. mutis uias, rationes accipite: doceantq́; uos eadẽ nihil numinis ineſſe ſimulacris: in quæ obſcœna facere neq; metuũt, neq; uitant, leges ſuas ſequentia, et inſtincta ueritate naturæ.* Sed *erras (inquit) & laberis, nam neq; nos æra, neq; auri argentiq; materias, neq; alias quibus ſigna conflant, eas eſſe per ſe deos, & religioſa decernimus numina: ſed eos in his colimus, eosq́; ueneramur, quos dedicatio infert ſacra, & fabrilibus efficit inhabitare ſimulachris.* Nõ *improba, neq; aſpernabilis ratio, qua poßit quiuis tardus, necnon & prudentißimus credere, deos relictis ſedibus proprijs (id eſt cœlo) non recuſare, nec fugere habitacula inire terrena: quinimmo iure dedicationis impulſos ſimulachrorum coaleſcere iunctioni.* In *gypſo ergo manſitãt, atq; in teſtulis dij ueſtri? quinimmo teſtularum & gypſi, mentes, ſpiritus, atq; animæ dij ſunt? atq; ut fieri auguſtiores uilißimæ res poßint, concludi ſe patiuntur, & in ſedis obſcuræ coercitione latitare?* Ergo *illud à uobis parte in hac primum deſideramus & poſtulamus audire, inuitine hoc faciunt, id eſt iure dedicationis attracti ſimulachrorum ineunt manſiones? an proni, & faciles, neque ullis neceßitatibus irrogati? ſi inuiti hoc faciunt,*

ciunt, & qui fieri poteſt, ut in aliquam neceſsitatē immi-nuta maieſtate cogantur uoluntariæ obſecutionis aſſen-ſu? Et quid in teſtulis dij petunt, ut eas ſedibus ſydereis an-teponant? uincti omnes, & propemodum colligati, nobili-tent teſtulas, & cætera quibus ſigna conſiūt? Quid ergo in materijs talibus ſemper ne dij manſitant, neque abeunt uſpiam, etiam ſi res poſtulauerit maxima? An habent itus liberos, cum libuerit abire quocūq;, & ab ſuis ſedibus, ſi-mulacbriſq; diſcedere? Si permanendi neceſsitatē patiun-tur, quid miſerius his eſſe, aut quid infelicius poterit, q̄ ſi eos in baſibus ita unci retinēt, es plumbeæ uinctiones? ſed concedamus ut cœlo, & ſydereis ſedibus anteponant, di-uinitatis ſuæ perdiderunt poteſtatem. Sin autē cum uolue-rint, euolant, & abſolutum ius habent, inania relinquere ſimulachra: ergo aliquo tempore deſinent eſſe dij ſigna, & in dubio ſtabit, quando ſacra debeant reddi: quādo his conueniat, atq; oporteat abſtinere. Sæpenumero uidemus ab artificib. hæc ſigna modo paruula fieri, & palmarem in minutiem contrahi, modo in immenſum tolli, & admi-rabilem in amplitudinem ſubleuari. Ratione hac ergo ſe-quitur, ut intelligere debeamus in ſigillolis paruulis con-trahere ſe deos, & alieni ad corporis ſimilitudinem coar-ctari: aut uero in uaſtis porrigere ſe longius, atq; in maxi-mitate producere. Ergo ſi hoc ita eſt, & in ſedentibus ſi-gnis deum ſedere dicendum eſt, & in ſtantibus ſtare, in procurrentibus currere, iacularier in iacientibus tela, ad illorum formare, atq; aptare ſe uultus: & ad reliquos ha-bitus figurati corporis ſimilitudinē commodare. In ſimu-lachris dij habitant. ſinguline in ſingulis? toti, an partili-

ter,

ter, atque in membra diuiſi? Nam neque unus deus in cunctis pluribus potis eſt uno tempore ineſſe ſimulachris, neque rurſus in partes ſectione interueniente diuiſus. Conſtituamus enim decem millia ſimulachrorum toto eſſe in orbe Vulcani: nunquid eſſe (ut dixi) decem omnibus in millibus potis eſt unus uno in tẽpore? non opinor. qua cauſa? quia quæ ſunt priuata, ſingulariaq́; natura, multa fieri nequeunt ſimplicitatis ſuæ integritate ſeruata: & hoc amplius nequeunt, ſi hominum formas dij habent, opinatio ut ueſtra declarat. neque enim manus à capite ſeparata, aut pes diuiſus à corpore, ſummam poſſunt præſtare totius: aut dicendum eſt portiones idem poſſe quod totum, cum conſiſtere nequeat niſi fuerit partium congregatione conflatum. Si autem in cunctis idem eſſe dicetur, perit omnis ratio atque integritas ueritati, ſi hoc fuerit ſumptum, poſſe unum in omnibus uno tempore permanere: aut deorum eſt unuſquiſque dicendus ita ipſum ſemet ab ipſo ſe ipſe diuidere, ut & ipſe ſit, & alter, non aliquo diſcrimine ſeparatus, ſed ipſe idem, & alius. Quod quoniam recuſat, & reſpuit, aſpernaturq́; natura: aut innumeros dicendum eſt, confitendumq́; eſſe Vulcanos, ſi in cunctis uolumus eum degere, atque ineſſe ſimulachris: aut erit in nullo, quia eſſe diuiſus natura prohibetur in pluri-mis. Et tamen ô iſti, ſi apertum uobis & liquidum eſt, in ſignorum uiſceribus deos uiuere, atque habitare cœlites, cur eos ſub ualidiſsimis clauibus, ingentibusq́; clauſtris, ſub repagulis, peſſulis, alijsq́; huiuſmodi rebus cuſtoditis, conſeruatis, atque habetis incluſos, ac ne forte fur aliquis, aut nocturnus irrepat latro æditui s mille protegitis, at-

que excubitoribus mille? Cur canes in capitolijs paſcitis? cur anſeribus uictum, alimoniamq; præbetis? Quinimmo ſi fiditis deos iſtic eſſe, nec ab ſignis uſpiam, ſimulachriſq; diſcedere: permittite illis curam ſui, reſerata ſint ſemper, atque aperta delubra: ac ſiquid à quopiam temeraria fuerit fraude ſubreptum, uim numinis monſtrent, & ſub ipſo furti atque operis nomine ſacrilegos pœnis conuenientibus figant. Indigna enim res eſt, & potentiam deſtruens, auctoritatemq; ſummorum, cuſtodiam numinum canum ſolicitudinibus credere: & cum aliquam quæras prohibendis formidinem furibus non ab ipſis petere, ſed in anſerum ponere & collocare gingritibus. Antiochum Cyzicenum ferunt decem cubitorum Iouem ex delubro aureum ſuſtuliſſe, & ex ære bracteolis ſubſtituiſſe fucatum. Si in ſimulachris præſto ſunt atque habitant dij ſuis, quibus negocijs Iuppiter, quibus curis fuerat illigatus, quo minus priuatas perſequeretur iniurias, & ſuppoſitum ſe ſibi uiliore in materia uindicaret? Dionyſius ille (ſed iunior) cum uelamine aureo ſpoliaret Iouem, & pro illo laneum ſubderet: iocularibus etiam facetijs ludēs, cum eſſe illud in rigoribus algidum, hoc uaporeum, oneroſum illud in æſtatibus diceret, hoc rurſus ſub ardoribus flabile: ubinam fuerat rex poli, ut præſentem ſe eſſe formidine aliqua comprobaret, & urbanum ſcurrulam cruciatibus reuocaret ad ſeria? Nam quid Aeſculapij grauitatem ab eo eſſe commemorem riſam? quem cum barba ſpoliaret ampliſſima, boni ponderis, et philoſophicæ denſitatis, facinus eſſe dicebat indignum, ex Apolline procreatum patre leui & glabro, ſimillimoq; impuberi, ita barbatum

barbatum filium fingi, ut ancipiti relinquatur uter eorum pater ſit, uter filius, immo an ſit generis & cognationis unius? Quæ cum omnia fierent, & cum ſacrilegis prædo irriſionibus loqueretur, ſi ſuberat numen in ſtatua nomini eius maieſtatiq; ſacrata: cur oris contumeliam leuigati, & dehoneſtati uultus non iuſta & merita perſecutus eſt ultione, demonſtrauitq; hoc facto & ſe eſſe præſentem, & cuſtodia pertinaci ſuas ſedes ſimulachraq; tutari? Niſi fortè negligere deos dicetis hæc damna, nec putare eſſe idoneam cauſam, propter quam ſe exerant, & nocentibus pœnam uiolatæ religionis infligant. Ergo ſi hæc ita ſunt, nec ſimulachra ipſa habere deſiderant, quæ conuelli & dirigi perpetiuntur impune: immo è contrario perdocent aſpernari ſe illa, in quibus ſpretos ultione in aliqua ſignificare non curant. Philoſtephanus in Cypriacis auctor eſt, Pygmaleonem regem Cypri ſimulachrum Veneris, quod ſanctitatis apud Cyprios & religionis habebatur antiquæ, adamaſſe ut fœminam, mente anima, lumine rationis iudicijq; cæcatis: ſolitumq; dementem, tanquam ſi uxoria res eſſet, ſubleuato in lectulum numine copularier amplexibus atque ore, resq; alias agere libidinis uacuæ imaginatione fruſtrabiles. Conſimili ratione Poſidippus in eo libro, quem ſcriptum ſuper Gnido indicat, ſuperq; rebus eius, adoleſcentem haud ignobilem memorat, ſed uocabulum eius obſcurat, correptum amoribus Veneris, propter quam Gnidus in nomine eſt, amatorias & ipſum miſcuiſſe laſciuias, cum eiuſdem numinis ſigno genialibus fuſum toris, & uoluptatum conſequentium finibus: ut ſimiliter rurſum interrogem, ſi in ære, atque

que in materijs cæteris, quibus ſigna formata ſunt, ſuperórum potentiæ deliteſcunt: ubinam gentium fuerant una atque altera Veneres, ut impudicam petulantiam iuuenum propulſarent ab ſe longe, & contactus impios cruciabili coercitione punirent? Aut, quoniam mites, & ingenijs tranquillioribus deæ ſunt, quantum fuerat miſeris furialia ut reſtinguerent, gaudia, mentemq; inſanam recreatis reducerent ſenſibus? Niſi forte (ut uos fertis) libidinis & uoluptatum deæ contumelias iſtas habuere gratiſſimas: nec ultione facinus exiſtimauere condignũ, quod ſuas quoque mulceret mentes, & quod ab ſe ſubdi humanis cupiditatibus ſcirent. Sed ſi deæ Veneres ingenijs placidioribus præditæ, gerendum eſſe morem infortunijs iudicauere cæcorũ, cum capitoliũ toties edax ignis abſumeret, Iouemq; ipſum capitolinũ cum uxore corripuiſſet ac filia, ubinam fulminator tempore illo fuit, ut ſceleratũ illud arceret incendium, & à peſtifero caſu res ſuas ac ſemet, & cunctam familiam uindicaret? Vbi Iuno regina cum inclytũ eius fanum ſacerdotemq; Chryſidem, eadem uis flammæ argiuæ in ciuitate deleret? Vbi Serapis Aegyptius, cum conſimili caſu iacuit ſolutus in cinerem, cum myſterijs omnibus, atque Iſide? Vbi Liber Eleutherius cum Athenis? ubi Diana cum Epheſo? Vbi Dodonæus Iuppiter cum Dodone? ubi deniq; Apollo diuinus cum à piratis, maritimisq; prædonibus, & ſpoliatus ita eſt, et incenſus, ut ex tot auri ponderibus quæ infinita congeſſerãt ſecula, nec unũ quidem habuerit ſcrypulũ quod hirundinibus hoſpitis (Varro ut dicit in Menippis) oſtenderet? Infiniti operis res eſſet in toto orbe deſcribere, quæ ſint fana conuulſa terræ motibus, & tem-

& tempeſtatibus: quæ incenſa ab hoſtibus, quæ ab regibus & tyrannis, quæ antiſtites, & ſacerdotes, & ipſi ſuſpitione auerſa nudauerint: quæ ad ultimum fures, & obſerata pandentes tenebrarum obſcuritate canacheni, quæ tuta utiq; permanerent, & nullis obnoxia fortuitis, ſi adeſſent dij præſides, aut haberent aliquas templorũ (quemadmodum dicitur) curas. Nunc uero, *quia caſſa ſunt, & nullis habitatoribus tecta, habet in illis fortuna ius ſuum, & perinde cunctis obiecta ſunt caſibus, quàm ſunt omnia cætera motu interiore priuata.* In *parte hac eadem illud etiam dicere ſimulachrorum aſſertores ſolent, non ignoraſſe antiquos nihil habere numinis ſigna, neque ullum omnino ineſſe his ſenſum: ſed propter indomitum atque imperitum uulgus, quæ pars in populis atque in ciuitatibus maxima eſt, ſalutariter ea conſilioq; formaſſe: ut uelut quadam ſpecie obiecta his numinum abijcerent aſperitatem metu: arbitratiq; præſentibus ſeſe ſub dijs agere, facta impia deponerent, & ad humana officia morum immutatione tranſirent.* Nec *propter aliam cauſam uenerabiles formas auro eis argentoq; quæſitas, niſi ut adeſſe uis quædam ipſis in fulgoribus crederetur, quæ non oculorum tantum perſtringeret ſenſum, uerumetiam mentes ipſas anguſtiſſimæ lucis radiationibus territaret.* Quod *ratione in aliqua uideretur forſitan dici, ſi poſt condita deorum templa, atque inſtituta ſimulachra nullus eſſet in mundo malus, nulla omnino nequitia, iuſtitia, pax, fides mortalium pectora poſſideret: neque quiſquam in terris nocens, neque innocens diceretur, ſceleroſa opera neſcientibus cunctis.* Nunc *uero cum contra malis omnia plena*

ſint

ſint,innocentiæ penè interierit nomen,per momenta,per puncta, examina maleficiorum noua noxiorum improbitate pariantur:dicere qui conuenit ad incutiendas formidines uulgò deorum inſtituta ſimulachra:cum præter innumeras criminum & facinorum formas, ipſa etiam uideamus templa ſacrilegis uiolationibus appeti ab tyrannis,ab regibus,ab latronibus,& nocturnis à furibus: ipſosq; illos deos, quos ad metus faciendos uetus finxit & conſecrauit antiquitas, uadere in antra prædonum, cum ipſis ſuis aureis metuendiſq; fulgoribus? Quid enim,ſi uerum, & ſine ulla gratificatione perſpicias,ſigna iſta quæ dicunt,habent in ſe magnum,ut merito ſperarit atque exiſtimarit antiquitas,conſpectu illorum poſſe frangi hominum uitia,& mores,& maleficia temperari? Falx meſſoria ſcilicet,quæ eſt attributa Saturno, metum fuerat iniectura mortalibus, uitam uellent ut pacificam degere, ac maliciosas abijcere uoluntates: fronte Ianus ancipiti, aut dẽtata illa,qua inſignitus eſt,clauis:riciniatus Iuppiter atque barbatus, dextera fomitem ſuſtinens perdolatum in fulminis morem:Iunonius ille cæſtus, aut militari ſub galea püellula deluteſcens: deum mater cum tympano, cum tibijs,& cum pſalterijs muſæ. Mercurius pinnatus, Argiphontes: Aeſculapius baculo, Ceres mammis cum grandibus,aut in Liberi dextera pendens potorius cantharus: Mulciber fabrili cum habitu: aut fortuna cum cornu, pomis,ficis, aut frugibus autumnalibus pleno: ſemitectis ſεmoribus Diana: aut ad libidinem concitans Venus nuda: Anubis canina cum facie: aut genitalibus proprijs inferior Priapus. O ſpecies formidinum diræ, metuendiq; ter-

rores, propter quos genus hominum torpedine in perpetua affigeretur, nihil moliretur, attonitum, ab omniq́; ſe actu ſceleroſo flagitioſoq́; frenaret. Falciculæ, claues, caliandria, fomites, talaria, baculi, tympaniola, tibiæ, pſalteria, mammæ promptæ, atque ingentes cantharuli, forcipes, cornuaq́; pomifera, nuda corpora fœminarum, & ueretrorum magnitudines publicatæ. *Nonne ſatius fuerat ſaltitare, cantare, quàm ſub titulo grauitatis, & ſeueritatis obtentu, tam frigida, tamq́; inepta narrare ſimulachra, ab antiquis ad peccata cohibenda, & ad nocentium formata impiorumq́; formidines? Vſq; adeo ne mortales ſeculi illius ac temporis corde fuerant uacui, rationis ſenſusq́; nullius, ut ab actionibus improbis tanquã paruuli puſiones perſonarum monſtruoſiſsima toruitate animos etiam conſtringerentur & manus?* Et unde eſt in contrarium res uerſa, ut cum tam multa in ciuitatibus templa ſint plena omnium ſimulachris deorum, tot legibus et generibus ſuppliciorum tantis iri obuiam nequeat multitudini noxiorum: neque ullis remedijs audacia poßit abſcidi: tantoq́; ſe magis maleficia congeminata multiplicent, quanto legibus iudicijsq́; contenditur imminuere facta crudelia, & pœnarum coercitione ſedare? Quod ſi metus aliquos infligerent ſimulachra mortalibus, legum latio ceſſaret, nec tam diuerſæ cruces facinoroſorum conſtituerentur audaciæ. Nunc uero quia conſtitit, comprobatumq́; eſt reipſa inanem eſſe opinionem timoris, qui ab ſignis dicatur effluere, ad legum decurſum eſt ſanctiones: à quibus eſſet formido certiſsima etiam affixa, conſtitutaq́; damnatio: quibus debent & ipſa ſimulachra, quod

incolumia adhuc perſtant, & honoris alicuius conceſſione munita. Sed quoniam ſatis (ut res tulit) quàm inaniter fiant ſimulachra monſtratum eſt: de ſacrificijs deinceps, de cœdibus, atq; immolationibus hoſtiarum, de mero, de thure, deq; alijs omnibus, quæ in parte iſta conſiunt, poſcit ordo quã paucis, et ſine ullis circumlocutionibus dicere. In hac enim conſueſtis parte inuidias nobis tumultuoſiſſimas concitare, appellare nos Atheos: & quod minimum tribuamus dijs, pœnas etiam capitis beluarum crudelitatibus irrogare. Quod quidem non nos fatemur non contemptu facere, atq; aſpernatione diuina, ſed quod exiſtimemus huius potentias nominis nihil tale depoſcere, neque rerum huiuſmodi cupiditatibus attineri.

ARNOBII DISPVtationum aduerſus Gentes Liber ſeptimus.

QVID ergo (dixerit quiſpiam) ſacrificia cẽſetis nulla eſſe omnino facienda? Vt uobis non noſtra, ſed Varronis ueſtri ſententia reſpondeamus, nulla. Quid ita? quia (inquit) dij ueri neque deſiderant ea, neque depoſcunt: ex ære autem facti, teſta, gypſo, uel marmore multo minus hæc curant. Carent enim ſenſu, neq; ulla contrahitur, ſi ea non feceris culpa: neque ulla, ſi feceris, gratia. Sententia reperiri nulla poteſt integrior, & quam quiuis poſſit, quamuis ille ſit ſæuus, & difficillimus, occupare. Quis eſt enim pectoris tam obtuſi, qui aut rebus nullum habentibus ſenſum hoſtias cedat & uictimas, aut eis exiſtimet dandas;

qui ſunt ab his lõge natura & beatitudine diſiugati? Qui ſunt (inquitis) dij ueri? Vt communi uobis, & ſimplici reſpondeamus uerbo, non ſcimus. Quos enim uidimus nunquam, qui ſint ſcire quemadmodum poſſumus? Ex uobis audire conſueuimus deos eſſe quam plurimos, & numinum in ſerie computari: qui ſi ſunt (ut dicitis) uſpiam ueriq́; (ut Terentius credit) eos eſſe conſequitur ſui conſimiles nominis: id eſt tales, quales eos uniuerſi debere eſſe cõſpicimus, & nominis huius appellatione dicendos. Quin immo (ut breuiter finiam) qualis dominus rerum eſt, atq́; omnipotens ipſe, quem dicere nos omnes deum ſcimus atque intelligimus uerum, cum ad eius nominis acceſſimus mentionem. Deus enim ab altero, in eo quod deus eſt, nulla in re differt: ne quod unum eſt genere, ſuis eſſe in partibus minus aut plus poteſt, qualitatis propriæ uniformitate ſeruata. Quod cum dubium non ſit, ſequitur ut geniti nunquam, perpetuiq́; ut debeant eſſe, extrinſecus appetentes nihil, nec carpentes aliquas terrenas ex materiæ opibus uoluptates. Ergo ſi hæc ita ſunt, primum illud à uobis expetimus noſcere, quæ ſit cauſa, quæ ratio ſacrificij ut iſta faciatis: quid deinde ex hoc lucri ad deos ipſos perueniat, atque in eorum commoditate ſubſideat. Quicquid enim geritur, debet habere cauſam ſui. neq́; ita eſſe ab ratione ſeiunctum, ut in operibus feratur caſſis, & in uacuis ludat inanitatis erroribus. Nunquid fortè dij cœleſtes aluntur his ſacris, & ad eorum compaginem retinendam nonnullius opus eſt ſuffectione materiæ? Et quis ita eſt hominum, deus prorſus qui ſit, ignorans, ut eos exiſtimet contineri alicuius alimonij genere: & cibi eſſe munus,

quod

quod eos faciat uiuere, & immenſa in perpetuitate durare? Quicquid enim cauſis & rebus fulcitur extraneis, neceſſe eſt eſſe mortale: & habere ad periculum uiam pronam, ubi aliquid cœperit deeſſe quo uiuitur. Tum quod *ex his rebus, quæ admouentur altaribus, nihil uidemus accedere, atque ad numinum ſubſtantias peruenire.* Aut enim *thus datur, & liquefactum carbonibus diſperit: aut animalis eſt hoſtia, & ab canibus abliguritur ſanguis: aut ſi aliquod uiſcus aris fuerit traditum, ratione ardeſcit pari, & diſſolutum in cinerem labitur: niſi forte hoſtiarum deus animas deuorat, aut ex aris ardentibus nidorem conſectatur & fumos, paſciturq́; de cnißis, quas euomunt ardentia uiſcera, adhuc uda de ſanguine, & prioribus humecta de ſuccis. Sed ſi deus (ut dicitur) nullius eſt corporis, omniq́; eſt incontiguus tactu, qui fieri poteſt ut corporalibus rebus nutriatur incorporeum, quod mortale eſt ut immortale ſuſtineat, ſubdatq́; ſalutem rei quam contingere nequeat, & motus ſubminiſtrare uitales? Ceſſat ergo (ut apparet) ſacrorum hæc ratio, neque dici à quopiam poteſt, ea cauſa ſacrificia celebrari, quòd alantur his numina, & eorum ſuſtineantur paſtu.* Nunquid (*ſi forte hoc non eſt*) *uoluptatis alicuius, animiq́; (ut dicitur) cauſa cæduntur dijs hoſtiæ, & ſuccenſis adijciuntur altaribus?* Et *quiſquam eſt hominum, qui deos ſibi perſuadeat uoluptatum diffuſione molleſcere, geſtire in libidinis gaudium, & uelut animal uile blandis ſenſibus affici, & dulcedinis labilis uolucri titillatione mulceri? Quod enim uoluptate diſſoluitur, id contraria neceſſe eſt triſtitia contrahatur: nec immune exiſtere ab anxietate mœro-*

ris, quod lætitia trepidat, & leuitatibus extollitur gaudiorum. Vtroque autem affectu debent eſſe dij liberi, ſi eos eſſe perpetuos, & mortalium uolumus fragilitate priuatos. Quid quod omnis uoluptas quaſi quædam eſt adulatio corporis, notisq; illis ſenſibus aſſumitur quinq;: quam ſi ſuperi ſentiunt, & eorum neceſſe eſt eſſe participes corporum, per quæ uia eſt ſenſibus, & accipiendis uoluptatibus ianua. Poſtremo quod gaudium eſt, innoxiorum animantium mactatione lætari: miſerabiles ſæpe exaudire mugitus: riuos ſanguinis cernere, animas cũ cruore fugientes, patefactisq; ſecretis prouolui, & inteſtina cum ſtercore, & ex reſiduo ſpiritu exultantia adhuc corda, tremebundasq; palpitantes in uiſceribus uenas? Semiferi nos homines, quinimmo (apertius ut pronũciemus quod eſt uerius atque apertius dictu) feri, quos infelix neceßitas, & malus uſus edocuit cibos ex his carpere: miſeratione interdum commouemur illorum: arguimus nos ipſi, penitusq; re uiſa, atq; inſpecta damnamus: quod humanitatis iure depoſito naturalis initij conſortia rupimus. Deos aliquis credit pios, beneficos, mites, cæde pecorum delectari, diffundiq; lætitia, ſi quando ſub his concidũt & ſpiritum miſerabiliter ponunt, & uoluptate? Ergo (*ut cernimus*) *nulla eſt in ſacrificijs cauſa, nec cur fiant, ratio eſt: quoniam nec uoluptas eſt ulla, ac ſi forte eſt aliqua, in deos eam cadere nulla poſſe ratione monſtratum eſt. Sequitur ut illam quoq; inſpiciamus partem, quam iactari audimus uulgo, & populari in perſuaſione uerſari: ſacrificia ſuperis ea fieri dijs cauſa, ut iras atque animos ponant, reddanturq; mites & placidi feruidorum pectorum*

indigna-

indignatione ſedata. At ſi diffinitionem teneamus illam, quam pertinaciter meminiſſe conuenit nos ſemper, uniuerſos animorum affectus ignotos dijs eſſe, conſentaneum eſt credere nunquam deos iraſci: quinimmo nullum affectum magis eſſe ab his longe, quàm qui feris et beluis proximus turbat tempeſtatibus patientes, & ad periculum interitionis inducit. Quicquid enim uexatur rei alicuius è motu, paßibile eſſe conſtat & fragile: quod paßioni fragilitatiq́; ſubiectum eſt, id neceſſe eſt eſſe mortale: ira autem uexat, & patientes ſe ſoluit, ergo eſſe mortale dicendum eſt, quod paßionibus ſubiectum eſt iræ. At quin deos ſcimus eſſe oportere perpetuos, & naturam immortalitatis tenere: quod ſi conſtat, & liquidum eſt, ira ab his longe & ab eorum conditione diſiuncta eſt. Nullis ergo rationibus conuenit id in ſuperis uelle placare, quod poſſe non uideas in eorum beatitudinem conuenire. Sed concedamus (ut uultis) perturbationem huiuſmodi familiarem dijs eſſe, placandiq́; eius cauſa res diuinas fieri, & ſacrorum ſolennia celebrari: quando ergo conueniat adhiberi hæc munia, uel in tẽpore quo dari? antequã ſunt irati, & perciti? an cum fuerint moti, ipſiſq́; in indignationibus cõſtituti? Si ne ſumant animos occurrendum eſt his ante, feras nobis proponitis non deos, quibus ne ſæuiant concitatæ, & cauearum diſcutiant clauſtra, obiectari moris eſt eſcas, in quas rabidæ ſæuiant, & cupidinẽ uexationis inclinent. Sin autẽ iam feruidis atq; indignatione flagrantibus ſatisfactio iſta ſacrificiorũ oggeritur: nõ inquiro, non exigo, an illa læta & ſublimis magnanimitas numinũ, homunculorũ offenſione moueatur: habeatq́; pro

uulnere ſiquid animal cæcum, atque in nubibus ſemper ignorationis incedens deſignauerit, dixerit quo illorum minueretur auctoritas. Sed neque illud dici, aut audire depoſco, quas irarum in homines habeant dij cauſas, ut ſacrificijs debeant contracta offenſione mulceri: nunquid aliquas leges ſanxere aliquando mortalibus, conſtitutumque eſt ab his unquam quid eos agere cōueniret, uel quid non, quid conſectari, quid fugere, uel coli ſe ſaltem quibus rationibus cuperent, ut aliter, quàm imperauerant geſta ultionibus perſequerentur irarum, contemptiq; ſe uellent de audacibus & tranſgreſſoribus uindicare? Vt opinor ab his nunquam neque conſtitutū eſt aliquid, neque ſanctum: quoniam nec uiſi aliquando, neque ſi ſunt ui ſi apertiſsima potuit cognitione dignoſci. Quænam eſt ergo iuſtitia, ut eis ob aliquas cauſas iraſcantur dij cœlites, quibus neque ſeſe monſtrare aliquando dignati ſunt, neque ullas dederint, aut impoſuerint leges, quas coli ab his uellent, & inuiolabili obſecutione ſeruari? Sed hoc (ut dixi) prætereo, & ſilentio patior abire donatum: unum illud præ omnibus quæro, quæ cauſa eſt, ut ſi ego porcum occidero, deus mutet affectum, animoſq; & rabiem ponat: ſi gallinulam, uitulum, ſub illius oculis atq; altaribus concremaro, obliuionem inducat iniuriæ, & ab ſenſu penitus offenſionis abſcedat? Quid ad eius dolorem ex opere hoc migrat, aut remedij cuius eſt anſer, caper, aut pauus, ut ex eius cruore medicina adhibeatur irato? Ergo ne iniurias ſuas dij uendunt, atque, ut paruuli puſiones, quo animis parcant, abſtineantq; ploratibus, paſſerculos, pupulos, eculeos, panes accipiunt, quibus auocare ſe poſ-

ſint:

ſint: ita dij mortales placamenta iſta ſumunt, quibus iras atq; animos ponant, & in gratiam ſuis cum offenſoribus redeant? Atquin ego rebar deos (ſi modo rectum eſt credere, quod motibus exagitentur irarum) ſine ullis præmijs, nulliſq; mercedibus, iras atq; animos ponere, & peccatoribus delicta donare. Hoc eſt enim proprium numinum, liberales uenias, & conceſſiones habere gratuitas. Quod ſi fieri non poteſt, ſapientius multo eſt, pertinaciter eos in offenſione durare, quàm munerum corruptione miteſcere. Creſcit enim multitudo peccantium, cum redimendi peccati ſpes datur: & facile itur ad culpas, ubi eſt uenalis ignoſcentium gratia. Ecce ſi bos aliquis, aut quodlibet ex his animal quod ad placandas cæditur mitigandaſq; numinum furias uocem hominis ſumat, eloquaturq; his uerbis. Ergóne ô Iupiter, aut quis alius deus es humanum eſt iſtud & rectum, aut æquitatis alicuius in æſtimatione ponendum, ut cum alius peccauerit, ego occidar, & de meo ſanguine fieri tibi patiaris ſatis, quod nunquam te læſerim, nunquam ſciens aut neſciens tuum numen maieſtatemq; uiolarim? Animal (ut ſcis) mutum, naturæ meæ ſimplicitatem ſequens, nec multiformiũ morum uarietatibus lubricum, nunquid aliquando tuos ludos minus ſancte diligenterq; perfeci? nunquid aliquem præſulem, tuũ numen qui offenderet, aut te traduxi? nunquid iuraui per te falſò? nunquid ſacrilegis furtis tua rapui, ſpoliauiq; donaria? nunquid erui ſacratiſſimos lucos, aut religioſa quædam loca ſubſtructionibus pollui profanauiq; priuatis? Quænam eſt ergo cauſa, ut alienum crimen meo luatur è ſanguine, & in nefas extraneum mea

uita & innocentia perducatur? an quòd animal uile ſum, nec rationis nec conſilij particeps? quemadmodũ pronunciant iſti, qui ſe homines nominant, & ferocitate tranſiliunt beluas. Nónne primordijs iiſdem eadem & me genuit informauitq; natura? nónne ſpiritus unus eſt, qui & illos, & me regit? Non conſimili ratione reſpiro, & uideo, & cæteris afficior ſenſibus? habent iecora, pulmones, corda, inteſtina, uentriculos: & mihi membrorum non idem eſt numerus attributus? Amant ſuos fœtus, & gignendis conueniunt liberis: non & mihi prolis, & ſubrogandæ eſt cura, & dulcedo cum fuerit procreata? Sed rationales illi ſunt, & articulatas exprimunt uoces. Et unde illis notum eſt, an & ego quod facio meis rationibus faciam, & uox iſta, quam promo, mei generis uerba ſint, & ſolis intelligantur à nobis? Interroga pietatem, utrumne ſit æquius me occidi, me cõfici, an hominem uenia, & commiſſorum impunitate donari? Quis in gladium formauit ferrum? non homo? quis cladem gentibus, quis nationibus impoſuit ſeruitutem? nõ homo? quis parentibus, fratribus, quis uxoribus, quis amicis mortiferas ſubdidit, commiſcuitq; potiones? non homo? quis maleficia reperit, aut commentatus eſt tanta, quanta uix explicari decem millibus nequeant uel annalium, uel dierum? non homo? Ita iſtud non ferum, non immane, non ſæuum eſt? non tibi ô Iuppiter iniuſtum uidetur, & barbarum me occidi me cædi, ut fias tu placidus, & ut ſceleroſis contingat impunitas? Ergo ob hanc cauſam (id eſt, numina ut placentur irata) inaniter fieri ſacrificia conſtitit, cum docuerit nos ratio neq; deos iraſci aliquando, neq; alterum uelle

pro

pro altero confici, cædi, nec innoxij ſanguine abolitionem deſignationibus comparari. Sed fortaſſe aliquis dicet: iccirco dijs hoſtias, & cætera impendimus munera, ut familiares quodammodo noſtris ſupplicationibus facti, res tribuant proſperas, auertantq; à nobis mala, cum gaudijs faciant agere nos ſemper, triſtitias uero propellant, & ex caſibus imminentia fortuitis. Non exiguam curam locus iſte deſiderat, nec quod dicitur facile, tam conſuetum eſt uel audiri, uel credi. Aduolabit enim continuo uniuerſus ille doctiſſimorum chorus, qui aſſeuerans, & comprobans fato fieri quæcunq; fiunt, eripiat nobis è manibus opinionem iſtam: & inanibus nos arguat perſuaſionibus fidere. Quicquid in mundo, inquiet, geſtum eſt, geritur, & geretur, olim definitum, & fixum eſt: habetq; immobiles cauſas, per quas ſibi res nexæ inexpugnabilē conſerant præteritorum cum imminentibus neceſſitatē. Si definitum, & fixum eſt, quid obtingere ſingulis mali debeat, boniue, iam certum eſt. Quod ſi certum eſt, & fixum, uacant omnia deorum auxilia, uacant odia, uacant benignitates. Tam enim præſtare non poſſunt id, quod non poteſt fieri, quàm prohibere ne fiat id, quod neceſſe eſt euenire: niſi quòd ualidius premere opinionem iſtam ſi uoluerint, quibunt: ut etiam ipſos deos fruſtra dicant à uobis coli, & ſuperuacaneis ſupplicationibus adorari. Cum enim ordinem uertere, & fatalia nequeant conſtituta mutare, quid rei, quid cauſæ eſt fatigare, & obtundere eorum aures uelle: quorum auxilijs nequeas ſupremis in neceſſitatibus fidere? Poſtremo ſi triſtia, atque importuna dij pellunt: ſi ea quæ ſunt læta, atque amica largiuntur,

giuntur, unde ſunt mundo tanti, tamq́; innumerabiles mi ſeri? unde tot infelices lachrymabilẽ uitã in extrema ſorte ducentes? cur immunes à calamitatib. non ſunt, qui momenta per ſingula, qui per puncta ſacrificijs onerãt atq; accumulant aras? Nonne *alios (inquiũt) uidemus ex illis domicilia eſſe morborum: extinctis luminibus, atq; auribus obſeratis, pedum carere proceſſu, truncos ſine manibus degere, incendijs, naufragijs, & ruinis, mergi, obrui, confici: patrimonijs ab ingentibus euolutos mercenario ſeſe labore fulcire. ſtipes emendicare ſupremas, exterminari, proſcribi, ſemper eſſe in luctibus liberorũ orbitatibus fractos: uexari per infortunia cætera, quorum ſpecies & formas nulla poteſt enumeratio definire? Quod utiq; non fieret, ſi propulſare, ſi flectere mala iſta dij poſſent ſacrorũ meritis obligati. Nunc uero quia caſibus nullus eſt in his locus, ſed ineluctabili omnia neceſſitate conficiunt, agit ſeſe ordo præſcriptus, & quod ſemel decretũ eſt, perficit.* Aut *ingrati eſſe dicẽdi ſunt cœlites, ſi cum habeant iuro prohibendi, patiuntur infelix genus tot pœnis & calamitatibus implicari.* Et *fortaſſe aliquid dicant magnum, nec quod auribus debeat fruſtratorijs, leuibus, & cõtemnentibus ſumi:* Q*uas tamen nos partes, quia res nimium longi eſt multiq́; ſermonis, inexplicatas tranſcurrimus atq; intactas: ſolum illud poſuiſſe contenti, inboneſtas uos famas adiungere dijs ueſtris, ſi eos aliter negatis præſtare quæ bona ſunt, atq; inimica trãſuertere: niſi prius empti capellarum fuerint atq; ouium ſanguine, & cæteris quæ admouentur altaribus.* Indign*ũ enim primũ eſt, ut illa uis numinum ſublimitasq́; cœleſtium beneficia cre*

datur

datur ſua habere uenalia, prius ſumere, atq; ita præſtare. Tum quod fœdius multo eſt niſi acceperint, prodeſſe nulli, perpetiq; miſerrimos diſcriminum ſubire fortunas, cũ prohibere poßint ac ſubuenire. Si ex duobus facientibus res ſacras honeſtus unus, & locuples, alter anguſto lare, ſed innocentia fuerit & probitate laudabilis: centum ille cædat boues, totidemq; cum agniculis ſuis matres, thus pauper exiguum, & odoris alicuius unam concremet glebulam: nónne erit conſequens, ut debeat credi (ſi modo nihil numina, niſi præmijs antecedentibus præſtant) ut fauorem ſuum & auxilium commodent locupleti, auertant à pauperculo lumina, quem reſtrictum non animus, ſed familiaris rei neceßitas fecit? Vbi enim uenalis, & mercenarius dator eſt, ibi neceſſe eſt gratiam pro magnitudine muneris tribui, & eo inclinare ſuffragiũ, unde ad eũ, qui præſtat, mercedis plus multo, & indecoræ corruptionis affluxerit. Quid ſi populi rurſus duo hoſtilibus dißidentes armis, ſacrificijs paribus ſuperorũ locupletauerint aras, alterq; in alterum poſtulent uires ſibi atq; auxilium cõmodari, nónne iterum neceſſe eſt credi, ſi præmijs ſolicitantur, ut proſint. eos partes inter utraſq; debere hæſitare, defigi, nec reperire quid faciant, cum ſuas intelligant gratias ſacrorũ acceptionibus obligatas? Aut enim auxilia hinc & inde præſtabunt, id quod fieri nõ poteſt: pugnabunt enim contra ipſos ſe ipſi, contra ſuas gratias, uoluntateſq; nitentur: aut ambobus populis opẽ ſubminiſtrare ceſſabunt, id quod ſceleris magni eſt poſt impenſam, acceptãq; mercedem: Itaq; ergo ab dijs longe infamia eſt iſta tota pellenda: neq; eſt omnino dicendũ præ-

mijs

mijs eos ac mercedibus allici, bonas ut res conferant, dimoueantq́; contrarias, ſi modo dij ueri ſunt, atq; in nominis huius exceptione ponendi. Aut enim fato fiunt quæcunque fiunt, et ambitionis & gratiæ nullus locus in dijs eſt: aut ſi excluditur & eijcitur fatum, non eſt ſuperæ dignitatis boni operis fauorem, & collatas munificentias uenditare. Satis (ut opinor) oſtendimus fruſtra dijs immortalibus hoſtias rebus cum conſequentibus admoueri: quòd neq; alantur his, neq; ullam percipiant uoluptatem neq; iras, aut animos ponant, neq; ut res tribuant fauſtas, neq; ut abigant aberuncentq́; contrarias. Sequitur ut illam quoq; inſpiciamus partem, quæ ab nonnullis conſueta eſt aſſeri, & cauſis cærimonialibus applicari. Aiunt enim ſacra hæc honorandis eſſe inſtituta cœleſtibus, & ea quod faciant honoris ergo facere, & his numinum potentias auctitare. Quid ſi ſimiliter dicant euigilare ſeſe, atque dormire, deambulare, ſubſiſtere, conſcribere aliquid, & lectitare, ut honorem dijs habeant, & dignitatibus eos faciant ampliores. Quid enim cruore de pecorum? quid ſacrorum confectione de cætera ſupperadditur his rei? quid apponitur, atque adijcitur poteſtatis? Etenim honos omnis, qui haberi ab aliquo dicitur, & reuerentiæ potioris attribui, relatiui eſt ad alterum generis, & conſtans partibus duabus, ex conceſſione tribuentis, & amplificatione ſumentis Vt ſi quiſpiam uiſo potentiſsimi nominis atq; auctoritatis uiro, uia decedat, aſſurgat, caput reuelet, uehiculoq́; deſiliat: tum deinde ſalutet accliuis ancillæ aut ſeruuli pauibundas trepidationes imitatus: uideo quid agatur in huiuſmodi honorationis offi-

cio:

tio: ſummißione alterius datur alteri plurimum: efficiaturq́;, ut uideatur magnus, quem ſuſceptio minoris extulerit, & ſuis antepoſuerit rebus. Sed conceßio hæc omnis, & honoris, de qua loquimur, attributio ſolis habet in hominibus ſedem: quos naturalis infirmitas, & amor in altioribus ſtandi docet gaudere de faſtibus, & aliorum comparationibus anteponi. At quæro in ſuperis ubi eſt honoris locus: uel quas eis eminentias addere ſacrorum ex collationibus inuenitur? Auguſtiores, potentiores mactatis pecudibus fiunt, additur illis ex hoc quicquam, aut eſſe dij magis diuinitate incipiũt ampliata? At qui ego contumeliæ proximum, quinimmo eſſe plenam contumeliam iudico, cum honorari ab homine deus dicitur, & muneris alicuius oblatione mactari. Etenim ſi honos auget, eiusq́; accumulat dignitatem cui fuerit attributus, ſequitur ut auctior deus fiat ab homine, à quo fuerit munere & honoris collatione donatus. atque ita perducitur res eò, ut inferior Deus ſit, qui honoribus mactatur humanis. Quid ergo (inquiet aliquis) honorem dijs dandum nullũ eſſe omnino cenſetis? Si deos nobis proponitis tales, quales (ſi ſunt) debent eſſe, quosq́; dicere nos omnes in iſtius nominis prædicatione ſentimus, quemadmodum poſſumus honorẽ his nõ habere uel maximũ? cũ etiã colere homines potentioribus acceperimus imperijs cuiuſcunq; ordinis fuerint, cuiuſcunq; fortunæ. Quiſnam iſte eſt maximus? Officioſior multo quàm habetur à uobis, & potentiore in genere conſtitutus. Dicite, inquitis. Ne ſit opinio de his deformitate culpabilis, ut neque illos credas quicquam hominis habere conſimile, nec quicquã

expe-

expectare quod ſit ab ſe foris, atque extrinſecus ueniens: tum quod ſæpius dictum eſt, non ardeſcere irarum flammis, non geſtire corporea uoluptate, nō exambiri ut proſint, non præmijs ut noceant proritari, benignitatem & gratiam non habere uenalem, non gaudere honore collato, non indignari & affici non dato: ſed quod rei diuinæ eſt proprium, ſua ſe ui noſſe, nec ſe alienis adulationibus æſtimare. Et tamen, ut uideamus iſtud quod dicitur quale ſit, quod eſt iſtud honoris genus, ueruecem, arietē, taurum, dei ſub ore connectere, conſpectuq; in eius occidere? Quod eſt honoris genus deum inuitare ad ſanguinē, quem cum canibus uideas eum ſumere, atq; habere communem? Quod eſt honoris genus lignorum ſtruibus incenſis, cœlum fumo ſubtexere, & effigies numinum nigrore offuſcare ferali? Quod ſi ea quæ fiunt, propria uipendere, non ante ſumptis placet opinionibus æſtimare, aræ iſtæ, quas dicitis, altariaq; hæc pulchra, infelicißimi animalium generis uſtrinæ, rogi ſunt, et buſticeta in opus ſtructa fœdißimū, atq; in ſedē fabricata fœtorū. Quid dicitis ô iſti, ergóne ille putor, qui ex corijs tollitur, atq; expirat ardentibus, qui ex oßibus, qui ex ſetis, ex agnorū lanitijs, gallinarūq; de plumis, dei munus, & honor eſt: mactaturq; hoc illis, quorū templa cum adire diſponitis, ab omni uos labe puros, lautos caſtißimosq; præſtatis? Et qd eſſe his poteſt coinquinatius, infelicius, ſpurcius, quàm ſi ita facti ſunt ſenſus ſui natura, ut in amoribus habeant tā ſæua, ſintq; illis in uoluptate putores: quos neq; ipſi ſacrificantes ferre, nec ingenuæ ſuſtinere tractos ualeāt per ſpiritū nares? Quod ſi animantiū cruore honorari, & affici

ei ſuperorum animos exiſtimatis, cur non eis & mulos, & elephantos mactatis, & aſinos? cur non & canes, urſos, & uulpes, & camelos, & beluas & leones? & quoniam uolucres hoſtiarum quoq; in numeris ponitis, cur nō uulturios, aquilas, ciconias, immuſſulos, buteones, coruos, accipitres, noctuas? cumq; illis ſalamādras, natrices, uiperas, ſolifugas? Nempe ſubeſt & his ſanguis, & conſimili ratione uitali agitantur ſpiritu. Quid in illis maioris eſt operis, aut ſolertiæ in his minus, ut iſta non augeant, ſuperorū illa amplificent dignitatem? Quia rebus ex his (inquit) deos par eſt honorare cæleſtes, quib. ipſi alimur, ſuſtentamur: & uiuimus, & quas nobis ad uictum ſui numinis tribuere benignitate dignati ſunt. Sed & cuminū, naſturtium, rapa, bulbos, apium, carduos, radices, cucurbitas, rutam, mentam, ocimum, puleium, porrumq; ſectiuum, ijdem tribuere dij uobis, eſſeq; in uſibus ueſtris alimoniarum in parte iuſſerunt. Quid ergo ceſſatis altaribus & hæc dare, rebusq; his omnibus cunilam ſuperſpergere bubulam, & acrimonias intermiſcere ceparum. Ecce ſi uos canes (neceſſe eſt enim quædam fingi, perſpici ut liquidius res poßint) ſi inquam canes, & aſini, ſi motacillæ cum his ſimul, ſi hirundines garrulæ, pariterq; cum his porci ſenſu aliquo humanitatis accepto deos putarent atque exiſtimarent uos eſſe: ſacraq; uobis intenderent: honores ergo facerent non ex materijs alijs, alijsq; de rebus, ſed quibus ali moris eſt illis, & naturali appoſitione fulciri. Audire à uobis expoſcimus, utrumne hūc honorē, an contumeliam potius eſſe iudicaretis ampliſsimā: cum hirundines uobis muſcas, motacillæ cederent conſe-

crarentq; formiculas: cum altaribus ueſtris darent aſini fœnũ, paleasq; libarent: cum imponerent canes oſſa, & humani ſtercoris proluuiem concremarent: cum ad ultimum porculi cœnum uobis profunderent ex uolutabris horrentibus, lutoſis & uoraginibus ſumptum? Ita ergo non deſpui ueſtras inflammaremini dignitates, ſtercoribusq; uos accipi inter atroces computaretis iniurias? Sed taurorum corporibus honoratis uos deos, & aliorum animantium cædibus. & quid hoc ab illo differt, cum & ipſa ſi nondum, mox tamen futura ſint ſtercora, et exigui temporis contracta interiectione putreſcant? Deniq; definite ſupponere aris ignem, iam profecto cernitis uiſcera illa taurorum ſacra, quibus honor à uobis auctificatur deorum, ferueſcere uermibus & fluctuare, uitiare & corrumpere ſtatum cœli, & ex odoribus morbidis regiones conſauciare uicinas: quam ſi uobis præcipiant dij curam, ueſtram in ualetudinem uertere: prandia inde, uel cœnas ſolenni ex more conficere, longe fugiatis, execratiq; odoris genus ueniam poſcatis à ſuperis, facturóſque uos eis nunquam talia ſacra iuretis. ita iſtud non ludere eſt, non confiteri, non pandere, quid ſi deus neſcire, nec cui potentiæ debeat nominis huius uis ſubdi, appellatioq; ſupponi?

Cibis nouis auctificatis deos nidoribus cohoneſtatis, & ſuccis: & quia uobis iucunda, & grata ſunt, eaq; uos alunt, deos etiam creditis in eorum affluere uoluptates, latratorum & canum ritu offis ſæuitias ponere, atq; alludere porrigentibus ſæpius? Et quoniam nobis in manibus hoſtiarum ſermo uerſatur: quæ cauſa, quæ ratio eſt, ut cum dij immortales (ſint enim & per nos licet quicunq;

eſſe

eſſe credũtur) ſint unius ſententiæ, uel unius debeant eſſe naturæ, generis, & qual tatis unius, non omnibus omnes hoſtijs, ſed quibuſdam quidam ſacrorum mulceantur legibus? Quæ eſt enim cauſa (requiram ut eadem rurſus) ut ille tauris deus, hædis alius honoretur, aut ouibus, hic lactentibus porculis, alter intonſis agnis, hic uirginibus buculis, capris ille cornutis, hic ſterilibus uacculis, at ille ingentibus ſcrofis, hic albentibus, ille atris, alter fœminei generis, alter uero animantibus maſculinis? Si enim honoris et reuerentiæ cauſa mactantur dijs hoſtiæ: quid refert, aut intereſt cuius animalis è capite luatur hoc debitum, cuius ira offenſioq; ponatur? An nunquid alterius alteri minus gratior & iucundior ſanguis eſt? alteri uero alterius uoluptatem infundit, & gaudium? aut (ut fieri moris eſt) obſeruationis alicuius, & religionis metu, ille caprina abſtinet ſe carne, porcinum alius execratur attactum, huic ouilla fœtu lenta ſunt uiſcera: ac, ne ſtomachũ fatiget inualidum, hic bubulam duritiem uitat, & lactentium lenitatem, quo digerat expeditius, ſumit? Sed erras, inquit, & laberis: nam dijs fœminis fœminas, mares maribus hoſtias immolare abſtruſa & interior ratio eſt, uulgiq; à cognitione dimota. Non inquiro, non exigo, quid ſacrorum præcipiant, uel quid contineant leges, ſed ſi iuſſerit ratio, atq; obtinuerit ueritas, differentiam generum nullam in dijs eſſe, neq; ullis ſexib. eos eſſe diſcretos: nónne ſolui neceſſe eſt? nonne rationes has omnes è ſtultiſſimis creditas opinationibus comprobari, inueniri? Sapientium uirorum non aduocabo ſententias, qui riſum nequeunt continere, cum diſcrimina ſexum dijs audiunt im-

mortalibus attributa unoquoque ab hominum quæro: an ipſe apud ſe credat, ſibiq; ipſe perſuadeat, diſtinctum eſſe deorum genus, mares, ac fœminas hos eſſe, et ad generandos fœtus conuenientium membrorum diſpoſitione formatos? Sed ſi ſexibus ſexus pares, id eſt fœminas fœminis mares autem hoſtias dijs maribus immolari ſacrificiorũ iura præſcribunt, quæ in coloribus ratio eſt, ut merito his albas, illis atras conueniat, nigerr. masq; mactari? Quia ſuperis dijs, inquit, atque hominum dexteritate pollentibus, color lætus acceptus eſt, a felix hilaritate candoris. At uero dijs læuis, ſedesq; habitantibus inferas, color furuus eſt gratior, & triſtibus ſuffectus è fucis. Sed ſi rurſus obtinuerit ratio, inferorum penitus caſſum eſſe nomen & uacuum, neque ulla ſub terris regna eſſe domiciliaq; Plutonia, opinionem neceſſe eſt id quoque fruſtrari, quam ſuper atris pecudibus habetis, diuisq; ſubterreis. Quod ſi inferi nulli ſunt, deos etiam manium neceſſe eſt eſſe nullos. Fieri enim quî poteſt, ut cum loca ſint nulla, eorum, quæ non ſunt, ulli perhibeantur eſſe cultores? Sed aſſentiamur (ut uultis) & eſſe inferos, & eſſe manes, & habitare neſcio quos in his deos hominibus minus fauſtos, & triſtioribus præpoſitos rebus, & quæ cauſa, quæ ratio eſt, ut atræ his hoſtiæ, nigerrimiq; admoueantur colores? quia nigra nigris conueniunt, & triſtia conſimilibus grata ſunt. Quid ergo? non uidetis (ut uobiſcum & nos ſtolide, ſimiliterq; ludamus) albas eſſe hoſtiarum carnes, oſſa, dentes, pinguitias, omenta cum cerebris, molleſq; in oßibus medullas? Sed uellera nigra ſunt, nigræq; animãtium ſetæ. Solas ergo immolate dijs lanas, uulſasq;

ex ho-

ex hoſtijs ſetulas,relinquite infelicißimas pecudes ſpoliatas licet,ac tonſas cœli animam ducere,& paſtibus innocentißimas incubare. Quod ſi grata numinibus inferis ea,quæ ſunt nigra,furuiq; exiſtimatis coloris:cur non omnia cætera, quæ illorum inferre ſacrificijs moris eſt, ſint nigra,& fumigata,tetraq;, & colorata curatis? Inficite thura,ſi dantur:ſalſas fruges,atque uniuerſa libamina, lacti, oleo, ſanguini, hic ponat ut purpureum colorem, illa ut ſint lurida, fuliginem infundite cum fauillis. Quòd ſi uobis religio nulla eſt,alba quædam ferre, & ſuos retinentia candores: ipſi ueſtras religiones rationesq; diſſoluitis, cum ſacrorũ in opere nihil unum, perpetuumq; ſeruatis,Sed & illud hoc loco conſentaneum eſt ex uobis addiſcere. Si caper cædatur Ioui, quem patri ſolenne eſt Libero, Mercurioq; mactari: aut bos ſi ſterilis Vnxiæ, quam Proſerpinæ tribuitis, quo ritu, atque obſeruatione præcipitur:quid facinoris in hoc erit, quid malorum, ſceleriſue contractum: cum nihil interſit ob,equij, cuius animalis è capite honorarium iſtud debitum compleatur? Confundi hæc, inquit, fas non eſt, nec piaculi parui eſt officia rituum,procurationemq; miſcere. Cauſam oro ediſſere. Quia generis certi hoſtias certis ius eſt conſecrare numinibus,certaq; & ſupplicamenta præſtari. Et quæ iterum cauſa eſt,ut generis certi hoſtias certis ius ſit conſecrare numinibus, certaq; & ſupplicamenta præſtari? & hoc enim ius ipſum debet habere ſuam cauſam, certisq; ab rationibus exoriri,duci.antiquitatem,conſuetudinemq; dicturus es.hominum mihi ſcita pronuncias, & cæci animalis inuenta. Ego autẽ cum poſtulo cauſam mi-

hi depromi, audire deſidero, aut cœlo aliquid lapſum, aut quod magis res poſcit, quid applicitum Iuppiter ad tauri habeat ſanguinem, ut ei debeat immolari, non debeat Mercurio, Libero? Aut natura quæ capri eſt, ut his rurſus accommoda, Iouialibus conueniens ſacrificijs non ſit? Animalium facta eſt inter deos diuiſio, tranſactionis alicuius pactione? conuenit, ut ille contineret ab huius ſe hoſtia? hic ut uſurpare deſineret alieni ſanguinis iura? an, ut zelotypi puſiones, communicare guſtatum ſuarum pecudum nolunt? aut, ut gentibus fieri moris diuerſiſſimi fama eſt, quæ habentur his eſui, aliarum eadem reijciuntur ab uictibus? Ergo ſi hæc caſſa ſunt, nec rationis alicuius habentia firmitatem, ſacrificiorum & ipſa inanis eſt ratio. Etenim qui pote eſt habere idoneam id, quod ſequitur, cauſam, cum ipſum illud primum, à quo defluit ſecundum, inaniſſimum eſſe reperiatur & uacuum, & nulla ſoliditate firmatum? Telluri (inquiunt) matri ſcrofa ingens immolatur fœta, at Mineruæ uirgini uirgo cæditur uitula, nullis unquam ſtimulis, nullius operis excitata conatu. Atquin nos arbitramur nec uirginem uirgini oportuiſſe mactari, ne uirginitas uiolaretur in pecude, qua dea plurimum pollet: nec Telluri grauidas atque fœtas ob honorem fœcunditatis ipſius, quam cuncti expetimus & optamus inextinguibili ſemper fœcunditate procedere. Nam ſi, quia uirgo Tritonia eſt, iccirco ei conuenit uirgines hoſtias immolari: & quòd Tellus eſt mater conſimiliter grauidis accipienda eſt ſcrofis: ergo & muſicis Apollo, quòd muſicus: & quod medicus Aeſculapius, medicis: & quòd faber Vulcanus eſt, fabris: & quòd Mercurius

rius eloquens eloquentibus debet diſertiſſimiſq; mactari. Quod ſi dicere iſtud inſanum eſt, aut (ut mediocriter pronunciem) brutum: multo illud maioris amentiæ eſt, fœtas iugulare Telluri, quòd ſit fœtibus grauior: Mineruæ caſtas & uirgines, quia ſit pura uirginitatis intactæ. Nam quod dici à uobis accipimus, eſſe quoſdam ex dijs bonos, alios autem malos. & ad nocendi libidinem promptiores: illiſq; ut proſint, his uero ne noceant ſacrorum ſolennia miniſtrari: quanam iſtud ratione dicatur, intelligere confitemur non poſſe. nam deos benigniſſimos dicere, leneſq; habere naturas, & ſanctum, & religioſum, & uerum eſt: malos autem, & læuos nequaquam ſumendum eſt auribus: ideo quoniam diuina illa uis ab nocendi procul eſt dimota & diſiuncta natura. Quicquid autem potest eſt cauſam calamitatis inferre: quid ſit primum uidendum eſt, & ab dei nomine longiſſima debet diſſeritate ſeponi. Itaque ut uobis commodemus aſſenſum, dextrarum, ſiniſtrarumq; rerum deos eſſe fautores: ulla nec ſic ratio eſt cur alios alliciatis ad proſpera, alios uero, ne noceant, ſacrificijs cõmulceatis & pręmijs. Primum quod dij boni male non queunt facere, etiam ſi nullo fuerint honore mactati: quicquid enim mite eſt, placidumq; natura, nocendi procul eſt uſu, & cogitatione diſcretum: malus uero comprimere ſuam ferociam neſcit, quamuis gregibus mille, & mille alliciatur altaribus: neque enim in dulcedinem uertere amaritudo ſe poteſt: aut ariditas in humorem, calor ignis in frigora: aut quod rei cuicunq; contrarium eſt, id quod ſibi contrarium eſt, in ſuam ſumere, atque immutare naturam, ut ſi manu uiperam mulceas,

uenenato blādiaris aut ſcorpio: petat illa te morſu, hic cō tactus aculeum figat: nihilq; illa proſit alluſio, cum ad nocendum res ambæ non ſtimulis exagitentur irarum, ſed quadam proprietate naturæ. Ita nihil prodeſt promereri uelle per hoſtias deos læuos, cum ſiue illud feceris, ſiue contra non feceris, agant ſuam naturam, & ad ea quæ facti ſunt, ingenitis legibus & quadam neceſſitate ducantur. Quid quod iſto modo utriq; dij deſinunt eſſe ſuis in uiribus, & ſuis in qualitatibus permanere. Nam ſi bonis ut proſint, res diuina conficitur, alijs autem ne noceant, ijſdem rationibus ſupplicatur: ſequitur ut intelligi debeat, nihil exteros profuturos, nulla ſi acceperint munera, fieriq; ex hoc malos: malos autem ſi acceperint, nocendi poſituros mentem, fieriq; ex hoc bonos: atque ita perducitur res eò, ut neque hi dexteri, neque illi ſint læui: aut (quod fieri non poteſt) utrique ipſi ſint dexteri, & utrique iterum læui. Eſto concedatur infeliciſſimas pecudes non ſine aliquo religionis officio diuorum apud templa mactari, & quod ex uſu conſuetudinis factū eſt, rationis alicuius cauſam aliquam continere: ſed ſi magnificum uidetur, atq; amplū, iugulare dijs tauros, ſi illibata ſi ſolida cōcremari animantiū uiſcera, qd ſibi reliqua hæc uolunt magorū cohærētia diſciplinis, quæ in ſacrorū reconditis legibus pontificalia reſtituere myſteria, & reb. inſeruere diuinis? Quid inquā ſibi hæc uolūt, apexabo, iſicia, ſilicernia, lōgauo? quæ ſunt nomina, et farciminum genera, hirquino alia ſanguine, cōminutis alia inculcata pulmonib. Quid tuceta? Quid neniæ? quid offæ? nō uulgi, ſed quib. eſt nomē appellatioq; penitæ: ex quib. quod primū eſt, in

ex-

exiguas aruina eſt miculas, & ilia minutim inſecta de mo re: quod in ſecundo ſitum eſt inteſtini eſt porrectio, per quam proluuies editur, ſuccis perexiccata uitalibus. offa autem penita eſt, cum particula uiſceris cauda pecoris am putata: quid polimina? quid omenta? quid palaſea? ſiue (ut quidam cognominant) plaſea? ex quibus eſt nomen omenti pars quædam quo receptacula uentrium circum= retia finiuntur. Bouis cauda eſt plaſea, ſiligine, & ſangui ne delibuta. Polimina porrò ſunt ea, quæ nos proles uere= cundius dicimus: à uulgaribus autem aſſolent cognomi= ne teſtium nuncupari. Quid fitilla, quid frumen, quid A= fricia, quid gratilla, catumeum, cōſpolium, cubula? ex qui bus duo, quæ prima ſunt, pultium nomina, ſed genere & qualitate diuerſa. Series uero, quæ ſequitur liborum ſi= gnificantias continet: & ipſis enim non eſt una eademq́; formatio. non enim placet carnem ſtrebulam nominare, quæ taurorum è coxendicibus demitur, pulpamenta non aſſa, quæ in ueribus exta ſunt, animata prius & torreſa= cta carbonibus: non ſalſamina denique, quæ ſunt una com mixtio quadrinis copulata de frugibus. Non ſimiliter fen dicas, quæ & ipſæ ſunt diræ, quas plebis oratio illa ſolet, cum eloquitur, nuncupare: non ratione eadem ærumnas, quæ ſunt prima in gurgulionibus capita, quà deijcere ci= bos & referre natura eſt ruminatoribus uitulis. Non ma gmenta, non augmina, non mille ſpecies, uel amen ſangui num, uel fitillarum, quibus nomina indidiſtis obſcura, uul goq́; ut eſſent auguſtiora feciſtis. Si enim quæcunque ab hominibus fiunt, maximeq́; in re ſacra, debēt habere ſu= as cauſas, nec ſine ratione eſt quicquam in negocijs om=

nibus, atq; in omni adminiſtratione faciendū, ediſſertate nobis, & di ite, quæ ſit cauſa, quæ ratio, ut hæc etiam dijs dentur, ſacriſq; adoleantur altaribus? In hoc enim diutius loco huic cauſæ uel maxime neceſſario immoramur, i ſiſtimus, inhæremus, cu i nes addiſcere quid cum pultibus deo ſit, quid cum libis, quid diuerſis cum fratribus, confectionis iure multiplici atque impenſarum uarietate conditis? Opiparis numina cœnis afficiuntur, aut prandijs, ut innumeras conueniat excogitare his dapes? auerſionibus ſtomachorum laborant? & ad expellenda faſtidia ſaporum uarietas quæritur, ut modo his aſſa, modo cruda ponantnr, ſemicocta modo et ſemicruda? Quod ſi omnes has partes, quas præſicias dicitis, accipere dij amant, ſuntq; illis gratiæ, uel uoluptatis alicuius uel dulcedinis ſenſu, quid intercedit, quid prohibet, ut non ſemel hæc omnia totis cum animantibus inferatis? Quæ cauſa, quæ ratio eſt, ut caro ſtrebula ſeparatim, ruma, cauda, & plaſea ſeparatim, iſitium ſolum, omentum ſolum, augmentorum adijciatur in cauſam? Pulmentorum uarietatibi afficiuntur dij cœlites, ut fieri mos eſt poſt cœnarum ditium & locupletum ſaginas, fruſtilla hæc paruula pro ſuauibus mateolis ſumunt, non quibus famem ſedent, ſed ut palatis admoueant ocium, ſeq; ipſos plenæ ap petitu uoracitatis inſtigent? O deorum magnitudo mirabilis: ô nullis hominum comprehenſa, nullis intellecta naturis: ſiquidem ut proſint, teſticulis pecudum redimuntur, & rumis, neque prius iras, atque animos ponunt, niſi ſibi adoleri paratas conſpexerint nænias, offaſq; penitas. Sequitur ut de thure, deq; mero aliquid ſine ulla nimietate

pietate dicamus. Copulata enim, & iuxta fiunt cærimoniarum & hæc genera, cultúmque adhibentur in plurimum. Ac primum illud à uobis iſto ipſo quærimus percontamúrque de thure: unde aut quo tempore noſſe illud aut ſcire potuiſtis, ut merito exiſtimetis aut eſſe dijs dandum, aut eorum acceptiſſimum uoluntati. Nouella enim propemodum res eſt, neque annorum inexplicabilis ſeries, ex quo eius notitia profluxit in has partes, & delubris meruit intereſſe diuinis. Nam neque temporibus, quemadmodum creditur & perhibetur, heroicis quidnam eſſet thus ſcitum eſt, ſcriptoribus ut comprobatur à priſcis, quorum in libris poſita nulla eius mentio reperitur: neque genitrix & mater ſuperſtitionis Hetruria opinionem eius nouit aut famam, ſacellorum ut indicant ritus: neque quadringentis annis, quibus albana res uiguit, in uſum cuiquam uenit, ſacra cum res fieret: neque ipſe Romulus, aut religionibus artifex in comminiſcendis Numa, aut eſſe ſciuit aut naſci: ut pium far monſtrat quo peragi mos fuit ſacrificiorum ſolennium munia. Vnde igitur cœpta eſt uſurpatio eius aſſumi: aut in antiquam & ueterem conſuetudinem quæ nam irruit nouitas, ut quod tempeſtatibus tantis neceſſarium non fuit, locum ſumeret in cærimonijs primũ? Nam ſi ſine thure religionis officium claudicat, neceſſariáque uis eius eſt, quæ propitios faciat, miteſque hominibus cœlites: peccatum eſt ab antiquis, quinimmo piaculis plena uita omnis illorum fuit: qui quod maxime conueniens deorum fuerat uoluptati per incuriam neglexere libare. Sin autem temporibus priſcis, neque homines, neque dij huius thuris expe-

tiuere

tiuere materiam, comprobatur & hodie fruſtra illud, ina niterq́; præſtari: quod neq; antiquitas neceſſarium credidit, & ſine ullis nouitas rationibus appetiuit. Denique *ut illam ſemper regulam definitionémque teneamus, quæ demonſtratum & fixum eſt, quicquid fiat ab homine habere oportere ſuas cauſas, & in iſta quoque retinebimus parte, ut requiramus ex uobis quæ ſit cauſa, quæ ratio, ut ante ipſa numinum ſigna thura inijciātur altaribus, & ex eorum incendio familiaria fieri exiſtimentur & mitia: quid ex huiuſmodi facto acquiritur his rei, aut eorum ad animos quid accidit, ut merito iudicemus recte iſta dependi, & non fruſtra atque inaniter concremari?* Vt e*nim uos debetis oſtendere cura thura dijs detis, ſic & deos ſequitur ut debeatis expromere habere aliquam cauſam, cur ea non reſpuant, quinimmo cur ea tam familiariter concupiſcant.* Honoramus (*inquiet aliquis fortaſſe*) *his deos.* Sed *nos non ueſtrum, ſed numinum requirimus ſenſum: nec quid fiat à uobis, ſed pendatur ab his quanti, quod in præmium datur fauoris, interrogamus.* Sed *tamen ô pietas quantus iſte eſt honor, aut qualis: qui ex ignis odore conficitur, & reſina ex arboris comparatur?* Nam *ne forte ignoretis quid, aut unde ſit thus iſtud: uiſcum eſt ex corticibus profluens, ita ut ex amygdalo, ceraſo, lachrymabili deſtillatione coaleſcens.* Hoccine *ergo ſuperas honorat & auctificat dignitates, aut offenſa ſi aliquando contracta eſt, thuris uapore diſſoluitur, & temperata indignatione ſopitur?* Quid *ergo ceſſatis cuiuslibet arboris uiſcum, ſine ulla paßim differitate comburere?* Nam *ſi honorantur hoc nummina, nec indigne*

ſuſtinent

ſuſtinent panchaicas ſibi ardere reſinulas, quid intereſt, unde fumus altaribus conficiatur in ſanctis: uel ex uiſci quo genere nubes ſuffitionis exæſtuent? At nunquid aliquis dicet, iccirco ſuperis thus dari, quod odoratus habeat ſuaues, & narium commulceat ſenſum? reliqua uero ſint aſpera, & ob cauſam offenſionis excluſa? Habent enim dij nares, quibus ducant aereos ſpiritus, accipiunt auras, & remittunt: ut penetrare illos poßint nidorum differentium qualitates? Quod ſi damus ut fiat, mortalitatis eos adiungimus legi, & excludimus diuinitatis à finibus. Quicquid enim ſpirat & reciprocos halitus auris commeabilibus ducit, id neceſſe eſt eſſe mortale, quia cœli ſuſtineatur è paſtu. Quicquid autem cœleſti ſuſtinetur è paſtu, ſi recurſus abſtuleris, quibus alternatio redditur abſtrahiturq; uitalis, oblidi eius neceſſe eſt animam, & rationem ſubrui atque interire uiuendi. Ergo ſi & dij ſpirant, odoremq; ad ſe attrahunt auris comitantibus inuolutum, non eſt ab re dicere & alienis eos ſuffitionibus uiuere, & interclufis poſſe ſpiraminibus interire. Et unde nouißime ſcitis, an ſi odorum ſuauitate capiuntur, eadem ſint eis iucunda quæ uobis, & parili ſenſu ueſtras mulceant afficiántque naturas? Nonne fieri pote eſt, ut quæ uobis afferunt uoluptatem, contra illis aſpera uideantur & triſtia? Cum enim deorum ſint ſententiæ diſpares, ſubſtantiæq; non unæ, quibus effici rationibus poteſt, ut quod qualitate diuerſum eſt, unum ſentiat accipiatq; contactum? An non quotidie cernimus & inter animantia terris orta, eſſe alijs eadem uel amara uel dulcia: mortifera his eſſe, quæ illis nata in perniciem non ſunt?

ſunt? ut quæ illos mulceant odoribus lætis, eadem peſtiferos halitus aliorum corporibus ſpirent? Sed hoc ut fiat, & accidat, non in rebus eſt cauſa, quæ ſimul eſſe mortiferæ, ſimul ſalutares, ſimul dulces nequeunt, ſimulque amaræ conſiſtere: ſed, ut quiſque eſt factus, ad extrinſecus rei uenientis attactum ita afficitur: qualitatem non accipit ex rerum impulſionibus natam, ſed ex ſui ſenſus contagijq; natura. Verũ omnis hæc ratio longe eſt ab dijs ſita, nec exigui limitis interiectione diſcreta. Nam ſi uerum eſt (ut ab ſapientibus creditur) incorporales hos eſſe, neque oliditatis alicuius eminentia ſubleuari, inanis apud hos odor eſt, nec ſenſibiliter commouere aura eos potis eſt nidoris alicuius: non ſi mille tu pondera maſculi thuris incendas, cœlúmque hoc totum redundantium uaporum nebuloſitate cludatur. Quod enim non habet robur & ſubſtantiam corporalem, contrectari à ſubſtantia non poteſt corporali: odor autem corpus eſt, tactis ſicut naribus indicatur, à deo ergo ſentiri ratione non poteſt ulla, qui caret re corporis, atque omni ſenſu & cogitatione priuatus eſt. Merum thuris eſt ſocium, quod explanari conſimiliter poſcimus, cur ei ſuperfundatur incenſioni. Si enim ratio cur fiat non oſtendetur, nec habebit expoſitam ſui cauſam, non iam iſtud errori obijciendum eſt ludicro, ſed (ut dicatur expreſſius) inſaniæ, dementiæ, cæcitati. Vt enim iam ſæpius dictum eſt, debet omne quod geritur, cauſam ſui habere perſpicuam, nec caliginis alicuius obſcuritate contectam. Si ergo fiditis facto, aperite, monſtrate, liquor iſte cur detur, id eſt uinum ſuperfundatur altaribus. Nunquid enim numinum corpora ſi-

ra ſtim ſentiunt aridam, & eorum neceſſe eſt ſiccitates humore aliquo temperari? Nunquid *nobis ut mortalibus mos eſt, cœnis intermiſcere potiones, pari etiam more poſt ſolitos uictus liborum, & pultium, hoſtiarúmque cæſarum, quo putrefiat facilius & percoquatur cibus, frequentiſsimo irrigant accipiuntq; ſe uino?* Date *quæſo immortalibus dijs bibant, ſcyphos, brias, pateras, ſympiniâque depromite: & quoniam tauris pinguibusq; ſe dapibus, atque opimis interficiunt eſcis: ne quod in ſtomachi tramite male tranſuoratum ſubſtiterit uiſcus: ſuccurrite, properate,* Ioui *optimo maximo merum, ne præfocetur, date: cupit eructare, nec potis eſt: ac ni illa labatur, & diſſoluatur obſtructio, periculum maximũ eſt, ne oblíſus interrumpatur ſpiritus, & uiduatum remaneat ſine ſuis adminiſtratoribus cœlum. Sed fruſtra, inquit, in equitas nobis: non enim nos ſuperis ob eas profundimus merum cauſas, tanquam illos exiſtimemus aut ſitire, aut bibere, aut ſuauitatis eius affectione lætari.* Honoris *eis ergô datur, quo fiat illorum elatior, amplior, auguſtiorq; ſublimitas, altaria ſuper ipſa libamus, & uenerabiles cinſſas carbonibus excitamus extinctis.* Et *quæ grauior infligi contumelia dijs poteſt, quàm ſi eos credas accepto mero propitios fieri: aut honorem exiſtmes habitum his magnum, ſi modo uini exigui rorem ſuper uiuidam ieceris atq; inſtillaueris prunam?* Non *nobis eſt ſermo cum hominibus rationis expertibus, neq; quibus non ſit communis intelligentiæ ueritas: ineſt & uobis ſapientia, ineſt ſenſus, uerũq; nos dicere apud uos ipſi interiore iudicio ſcitis. Sed quid facere poſſumus conſiderare nolentibus penitus res*

ipſas,

ipſas,ſecumq; ipſos loqui? Facitis enim quod fieri cernitis non quod fieri oportere confiditis: nimirũ quia apud uos plus ualet nullam habens conſuetudo rationem, quàm rerum inſpecta natura ueritatis examinatione ponderata. Quid eſt enim deo cum uino, aut in eius materia uis quæ lis, aut quãta eſt, quod cum effuſum fuerit, ſublimitas eius augeſcat, et honorata exiſtimetur auctoritas? Quid inquã deo cum uino eſt, Venereis re proxima, neruos omnium debilitante uirtutum, uerecundiæ, pudoris, & caſtitatis inimica? quod in inſanias, & furores mentes ſepius præcipitauit excitas, ipſosq; illos deos maledictis compulit ex auctorare dementibus, Itáne iſtud non nefas, & plenum ſacrilegij crimen eſt, honori hoc dare, quod ſi tu auidius ſumpſeris, quid facias, neſcias: quid loquaris ignores: ad extremum temulenti, luxurioſi, et perditi, conuitium, infamiamq; merearis? Operæprecium eſt etiam uerba ipſa depromere, quibus, cum uinum datur, uti, ac ſupplicare conſuetudo eſt. Mactus hoc uino inferio eſto. Inferio, inquit Trebatius, uerbum ea cauſa eſt additum, eaq; ratione profertur: ne uinum omne omnino, quod in cællis, atque apothecis eſt conditum, ex quibus illud quod effunditur promptum eſt, eſſe ſacrum incipiat, & ex uſibus eripiatur humanis. Addito ergo hoc uerbo, ſolum erit, quod inferetur, ſacrum, nec religione obligabitur. Cæterum qualis ergo hic honor eſt, in quo imponitur quaſi lex deo ne plus quærat quam datum eſt? aut cuius ipſe eſt auiditatis deus, qui niſi uerbi fuerit præſcriptione ſubmotus, cupiditatem ſuam protendat ulterius, & apothecis ſuis ſupplicem priuet? Mactus hoc uino inferio eſto: iniuria eſt

iſta,

iſta,non honor. quid enim diuus amplius hoc uocet,neq; erit contentus illato? nonne inſigniter dicendum eſt lædi, qui honorem accipere cum conditione cogatur? Nam *ſi exceptione non addita,ſacrum neceſſe eſt fieri omne omnino quod in cellis eſt uinum, manifeſtum eſt & deo con tumeliam fieri,cui modus conſtituatur inuito: & uos ipſos in re ſacra cærimoniarum officia uiolare, qui non tan tum tribuitis uini,quantum deum uidetis ſibi uelle præſta ri.* Mactus *hoc uino inferio eſto:quid eſt aliud quàm dicere,tantum eſto mactus,quantum uolo: tantum amplificatus, quantum iubeo: tantum honoris aſſumito, quantum te habere decerno,et uerborum circunſcriptione definio.* O *deorum ſublimitas præpotens,quam uenerari,quã colere officijs omnibus cæremonialibus debeas: cui legem uenerator imponit,quam cum pactionibus adorat & for mulis: quæ per unius formidinem uerbi ab immodicis uini cupiditatibus arcetur. Sed ſit, ut uultis, honor in uino, ſit in thure,immolatione & cædibus hoſtiarum iræ numi num offenſionesq; placentur.* Etiam *dij ſertis,coronis affi ciuntur, & floribus?* Etiâmne *æris tinnitibus,& quaſſationibus cymbalorum?* Etiâmne *tympanis? etiâmne ſymphonijs? quid efficiunt crepitus ſcabillorum? ut cum eos audierint numina, honorifice ſecum exiſtiment actum,et feruentes animos irarum obliuione deponant?* An *nunquid ut paruuli puſiones ab ineptis uagitib. crepitaculis exterrentur auditis:eadem ratione,& omnipotentia numina tibiarum ſtridore mulcentur, & ad numerum cym balorum mollita indignatione flacceſcunt?* Quid *ſibi uolunt excitationes illæ,quas canitis matutini,collatis ad ti-*

biam uocibus? Obdormiſcunt enim ſuperi,remeare ut ad uigilias debeant? quid domuitiones illæ,quibus bene ut ualeant, auſpicabili ſalutatione mãdatis: Somni enim quiete ſoluuntur, occupariq́; ut hoc poßint lenes audiendæ ſunt næniæ? Lauatio, inquit, deum matris eſt hodie. Sordeſcunt enim diui,& ad ſordes eluendas lauantibus aquis opus atque adiuncta antiqua cineris frictione. Iouis epulum cras eſt. Iuppiter enim cœnat, magnisq́; implendus eſt dapibus, iamdudum inedia geſtiens, & anniuerſaria interiectione ieiunus. Aeſculapij geritur, celebratúrque uindemia. colunt enim dij uineas, & ab ſuaſionibus contracti exprimunt uindemiatoribus uinum. Lectiſternium Cereris erit Idibus proximis. habent enim dij lectos, atque, ut ſtratis poßint mollioribus incubare, puluinorum tollitur atque excitatur impreßio. Telluris natalis eſt. dij enim ex uteris prodeunt, & habent dies lætos, quibus eis aſcriptum eſt auram uſurpare uitalem. Ludi uero, quos facitis, quibus floralibus,& Megalenſibus nomen eſt, cæteriq́; omnes alij,quos eſſe ſacros uoluiſtis,& religionum inter officia deputari: quam rationem habent,quam cauſam, ut inſtitui, condiq́; debuerint,& ex numinum appellatione ſignari? Honorantur,inquit, his dij, & ſiquas ab hominibus continent offenſionem memorias illatas, abijciunt, excludunt, reddunt q́; ſe nobis redintegata familiaritate fautores. Et quæ cauſa eſt rurſus,ut tranquilli,placidi efficiantur, & mites: ineptæ ſi res fiant,& ab hominibus ocioſis multitudine ſpectante ludatur? Ponit animos Iuppiter, ſi Amphitryo fuerit actus pronunciatusq́; Plautinus? aut ſi Europa, ſi Leda, Ganymedes fuerit ſaltatus,

aut

aut Danae, motũ compeſcit irarum? Tranquillior, lenior, mater magna efficitur, ſi Atys conſpexerit priſcam refricari ab hiſtrionibus fabulam? Obliterabit offenſam Venus, ſi Adonis in habitu geſtum agere uiderit ſaltatorijs in motibus pantomimũ? indignatio relanguefcet Alcidæ, ſi tragœdia Sophoclis, cui Trachiniæ nomen eſt, Euripidis aut Hercules actitetur? Exiſtimatur tractari ſe honorifice Flora, ſi ſuis in ludis flagitioſas conſpexerit res agi, & migratum ab lupanaribus in Theatra? Itáne iſtud non eſt deorum imminuere dignitatem, dicare & conſecrare turpiſsimas res eis, quas cenſor animus reſpuat, & quarum actores inhoneſtos eſſe ius ueſtrum, & inter capita computari iudicauit infamia? Mimis nimirum dij gaudẽt, & illa uis præſtans, neq; ullis hominum comprehenſa naturis, libentiſsime commodat audiẽdis his aures. quorum ſymplegmatib. plurimis intermixtos ſe eſſe, deriſionis in materiam norunt: delectantur ut res eſt, ſtupidorũ capitibus raſis, ſalpictarum ſonitu, atq; plauſu, factis & dictis turpibus, faſcinorum ingentium rubore. Iam uero ſi uiderint in fœmineas mollitudines eneruãtes ſe uiros, uociferari hos fruſtrà, ſine cauſa alios curſitare, amicitiarũ fide ſalua contundere ſe alios, & crudis mutilare ſe cæſtibus, certare hos ſpiritu, buccas uento diſtendere, uotiſq; inanibus cõcrepare, manus ad cœlum tollunt, rebus admirabilibus moti proſiliunt, exclamant in gratiam cũ hominibus redeunt. Hæc ſi dijs immortalib. obliuionẽ afferunt ſimultatum, ſi ex comœdijs, atellanis, mimis, ducunt lætiſsimas uoluptates, quid moramini, quid ceſſatis, quin & ipſos dicatis deos ludere, laſciuire, ſaltare, obſcœnas compinge-

re cantiones, & clunibus fluctuare criſpatis? Quid enim differt, aut intereſt, faciantne hæc ipſi, an ab alijs fieri in amoribus atque in delicijs ducant? Vnde igitur fluxi, uel ex quibus enata eſt cauſis opinionum hæc prauitas? Ex eo ſcilicet maxime, quod nequeuntes homines, quidnam ſit deus ſcire, quidnam ſit uis eius, natura, ſubſtātia, qualitas utrumne habeat formam, an nulla ſit corporis circumſcriptione finitus: agat aliquid, an non agat, uigilétne perpetuo, an aliquando ſoluatur inſomnos: currat, ſedeat, ambulet, an ab huiuſmodi motibus, & ceßione ſit liber: Hæc omnia (ut dixi) nequeuntes ſcire, neq; ratione aliqua peruidere in eas ſunt opinationes lapſi, ut deos ex ſe fingerēt, & qualis ſibi natura eſt, & illis talem darent actionum rerum uoluntatumq; naturam. Quod ſi animal cernerent nullius eſſe ſe pretij, nec inter formiculam plurimum ſeſeq; eſſe diſcriminis, profecto deſinerent arbitrari quicquam ſe habere commune cum ſuperis, & intra ſuos fines humilitatis ſuæ modeſtiā continerent. Nunc uero quia cernunt ora, oculos, capita, buccas, auriculas, naſos, cæteraſq; ſe alias membrorum gerere ac uiſcerum portiones, & deos exiſtimant eadem ratione formatos, habitumq; illos ſuum compagine in corpore continere: & quia gaudere, lætari, mœſtoſq; ſe fieri triſtioribus conſpiciunt cauſis, arbitrantur & numina ex rebus hilarioribus gaudere, & ex minus lætis animorum contractione conduci: affici ſe ludis, putant & cœlitum mentes ludorum delectatione mulceri. Et quia illis ſe uoluptas eſt lauacrorum refouere caldoribus, & ſuperis ducunt lauationum eſſe mūditias gratas. Vindemiamus nos homines, & deos rentur,

& credunt ſuas ducere atque agitare uindemias: dies nobis natalitij ſunt, & potentias cœlites dies autumant habere natales. Quod ſi poſſent aſcribere ualetudines, ægritudines, & corporales dijs morbos, non dubitarent eos lienoſos, lippulos, atque enterocelicos dicere, eo quòd ipſi, & lienoſi, & lippi ſunt ſæpe, & ingentium herniarum magnitudine ponderoſi. Age nunc ſummatim, quoniam ſermo prolatus eſt, & perductus in hæc loca, ſingulorum partium oppoſitionibus comparemus, utrúmne uos melius rebus de ſuperis ſentiatis, an potius nos multo & honoratius opinemur & rectius, quod rei diuinæ ſuam præſtet, atque attribuat dignitatem. Ac primum uos deos, quos in rerũ natura uel arbitramini eſſe, uel creditis quorumq; in templis omnibus ſimulachra conſtituiſtis, & formas, profitemini eſſe natos, & ex maſculorum fœminarumq; ſeminibus conuentionum progenitos lege. At uero nos contrà, ſi modo dij certi ſunt, habéntq; huius nominis auctoritatem, potentiam, dignitatem, aut ingenitos eſſe cenſemus (hoc enim religioſum eſt credere) aut ſi habent natiuitatis exordium, Dei ſummi eſt ſcire, quibus eos rationibus fecerit, aut ſecula quanta ſint, ex quo eis attribuit perpetuitatem ſui numinis inchoare. Vos habere ſexus deos, aliosq; ex his mares, fœminini generis alios eſſe cenſetis, nos potentias cœlites diſcretas eſſe ſexibus abnegamus: quoniam diſcrimen huiuſmodi terrenis animantibus datum eſt: quas coire, quas generare auctor uoluit rerum, ſubſtituendis per libidinem prolibus. Vos hominum ſimilitudinem gerere, & mortalium uultibus exiſtimatis eſſe formatos: nos effigies remur ſubmotas eſſe ab

bis longe, quoniam forma mortalis eſt corporis: & ſi fort è eſt ulla, comprehendere neminem poſſe indubitabili aſſeueratione iuramus. A uobis artificia ſinguli opificum more habere perhibentur: ridemus cum audimus nos iſta: quoniam dijs artes neceſſarias ducimus arbitramurq́; non eſſe eas, conſtat & liquidum eſt paupertatis ad ſubſidium comparatas. Diſcordiarum alios ex his uos, alios dicitis qui peſtilentias irrogent, alios qui amores, qui furias, alios uero qui præſint bellis, & ſanguinis effuſione lætentur: at uero nos contra ab ingenijs numinum iudicamus eſſe diſiuncta, aut ſi ſunt qui hæc mala miſerrimis inferant ſubijciantq́; mortalibus, ab deorum contendimus procul eſſe natura, nec ſub huius nominis prædicatione ponendos. Iraſci & perturbari uos numina, cæteriſq́; animorum affectibus mancipata eſſe atque obnoxia iudicatis. Nos huiuſmodi motus alienos exiſtimamus ab his eſſe: ſunt enim ferocium generum, & mortalitati ſubeuntium functiones. Vos pecorum ſanguine, uos cædibus, & mactationibus hoſtiarum gaudere, lætari, & in gratiam cum hominibus remiſſis offenſionibus redire opinatis. Nos amorem ſanguinis nullum eſſe in cœlitibus ducimus: nec eſſe tam duros, ut miſerorum animantium cæde ſaturatas abijciant iras. Vos mero, uos thure, honorem, arbitramini dijs addi, & eorum augeſcere dignitates. Nos monſtrum, & prodigium iudicamus: quod quiſquam hominum credit aut auguſtiorem fieri deum fumo, aut ex roribus exiguis uini, ipſum ſibi ab hominibus ducere ſatis ſancte, atq; honorifice ſupplicatum. Vos æris tinnitibus, & tibiarum ſonis, uos equorum curriculis, & theatralibus

bus ludis perſuaſum habetis deos delectari, et affici, iraſq; aliquando cõceptas eorũ ſatisfactione molliri. Nos *incon ueniẽs ducimus, quinimmo incredibile iudicamus eos, qui gradibus mille genus omne uirtutum perfectionis tranſie rint ſummitate, in uoluptatibus habere atq; in delicijs res eas, quas homo ſapiens rideat, & quæ nõ alijs uideantur continere aliquid gratia, quã infantibus paruulis, & triuialiter & populariter inſtitutis. Hæc cum ita ſe habeant, cumq; ſit opinionum tanta noſtrarum, ueſtrarumq; diuerſitas, ubi aut nos impij, aut uos pij: cum ex partium ſenſibus pietatis debeat, atque impietatis ratio ponderari?* Non *enim ſimulachrũ qui ſibi aliquod conficit, quod pro deo ueneretur: aut qui pecus trucidat innoxium ſacriſq; incendit altaribus, is habendus eſt rebus deditus eſſe diuinis:* Opinio *religionẽ facit, & recta de dijs mens: ut nihil eos exiſtimes contra decus præſumptæ ſublimitatis appetere. Cum enim cuncta, quæ his dantur, ſub oculis hic noſtris uideamus abſumi, quid ad eos aliud ab nobis dicendum eſt peruenire, niſi opiniones dijs dignas et eorum cõuenientiſſimas nomini? Hæc ſunt dona certiſſima, ſacrificia hæc uera: nam pulticulæ, thura cum carnibus, rapacium alimenta ſunt ignium, & parentalibus coniunctiſſima mortuorum Si dij immortales nequeũt iraſci, neq; ullis animorũ affectibus eorum quatitur cõcutiturq; natura, quid hiſtoriæ ſibi uolunt, quid annales, quorum in conſcriptionibus legimus nõnullis offenſionibus deos motos, peſtilẽtias, ſterilitates, ac frugum inopias, aliaq; intuliſſe ciuitatibus, nationibuſq; diſcrimina: eoſq; rurſus ſacrorũ ſatisfactione placatos, indignationum poſuiſſe feruores,*

& in habitum lætiorem ſtatum cœli, tempeſtatem mutaſſe? Quid terrarum fremitus, quid motus, quos eſſe accepimus factos, quòd eſſent acti per indiligentiam ludi, nec ad ſuam formam, conditionémque curati? inſtauratis his tamen, & curioſa obſeruatione repetitis, ſuperorum conquieuiſſe terrores, & ad hominum curam, familiaritatemq́; reuocatos. Quoties uatum iußis, haruſpicumq́; reſponſis, poſtquã diuina res facta eſt, & ex gentibus transmarinis acciti dij quidam delubraq́; his facta, & in altioribus columnis ſigna quædam & ſimulachra ſunt conſtituta: & imminentium auerſi ſunt periculorum metus, & grauißimi hoſtes pulſi, & amplificata res publica eſt, & uictoriarum frequentibus gaudijs, & prouinciarum poſſeßione complurium? quod utique non fieret, ſi ſacrificia, ſi ludos, ceterosq́; aſpernarentur dij cultus: neque ſe honorari eorum procurationibus ducerent. Si ergo his datis calor omnis numinum, indignatioq́; frigeſcunt, uertunturq́; in proſpera ea, quæ uidebantur afferre terrores, manifeſtum eſt hæc omnia non ſine cœlitum fieri uoluntate, & quod ea tribuantur, à nobis inaniter & cũ tota imperitia reprehendi. Ventum eſt ergo dum loquimur ad ipſum articulum cauſæ, uentum rei ad cardinem, uentum ad ueram atque iunctißimam quæſtionem: in quam conuenit, ut debeamus inſpicere, formidine ſuperſtitionis amota, & gratificatione depoſita, utrúmne hi dij ſint, quos ſæuire aſſeratis offenſos, reddiq́; ſacrificijs mites: an ſint longe aliud, & ab huius ui debeant, & nominis, & potentiæ ſegregari. Non enim imus inficias in annalium ſcriptis contineri hæc omnia, quæ ſunt à nobis in oppoſitione

tione

tione prolata:nam & ipſi pro modulo, ingenijq́; pro captu, & legimus, & eſſe poſitum ſcimus, ludis quondam ipſis circenſibus,qui Ioui maximo fierēt, patremfamilias quendam,antequā inciperent res agi, ſeruū peßime meritum per circi areā mediam trāſduxiſſe cæſum uirgis, & ex more multaſſe poſt patibili pœnam.Ludis deinde iam terminatis,profligatisq; curriculis, nō multi poſt tempo ris ſpacium ciuitatē occepiſſe peſtilentia uaſtari. Cumq́; dies adderet malū malo grauius, cateruatim & populus interiret: ruſticulo cuidam ſorte humilitatis obſcuro Iouem per inſomnium dixiſſe, uti ad conſules ſuaderet præſulem ſibi diſplicuiſſe, monſtraret poſſe melius fieri ciuitati, ſi ludis ſua religio redderetur, & ex integro rurſus curioſa obſeruatione procederent. Quod cum ille facere minime curaſſet, uel quòd eſſe uanum ſuſpicaretur inſomnium,nullamq; habiturū apud audituros fidem: uel quod ingenitæ humilitatis memor poteſtatis tantæ fugeret & formidaret acceſſum:contatori redditum inimicū iouem, filiorum obitus irrogauiſſe pro pœna. Mox cum & ipſi proprium minaretur interitū, ni præſulis pergeret nuncius improbati:obeundi formidine territatū,cum iam & ipſe contactus peſtilentiæ flagraret incendio,de ſententia propinquorum perlatum ad curiam patrum,inſomnijq́; expoſita uiſione, flammas euolauiſſe contagij. Ludorum deinde inſtauratione decreta,& ſpectaculis adhibitā grauem curam,& priorem populo redditam ſanitatem. Sed neq; illud æque nos negabimus ſcire,tēporibus quondam ciuitatis & reipublicæ duris,uel quæ lues infeſta faciebat continua populū contage conficiens:uel quæ hoſtes ualidi,&

di, et ad periculum libertatis auferendæ præliorũ proſperitate iam proximi:iuſsis, & monitis uatum, tranſmarinis ex gentibus quoſdam deos accitos,magnificiſq; honoratos templis,& luis ſedaſſe flagrantiã,& uiribus hoſtium fractis frequentiſsime triumphatum, & auctos Imperij fines, innumeráſque prouincias ſub leges ueſtri cecidiſſe dominatus. Sed neque hoc noſtram conſcientiam fugit,lectum & poſitum, ictum cum eſſet Capitolium fulmine, multaq; in hoc alia: Iouis etiam ſimulachrum ſublimi quod in culmine ſtabat,ſuis eſſe ab ſedibus prouolutũ. Reſponſum deinde ab haruſpicibus editum,res ſæuas, triſtiſsimasq; portendi: ab incendijs, cædibus, ab legum interitu, & ab iuris occaſu, maxime tamen ab domeſticis hoſtibus, atque ab impia coniuratorum manu. Sed flecti hæc poſſe, immo aliter publicari ſcelerata non poſſe conſilia, niſi Iuppiter rurſus altiore in culmine figeretur, orientalem conuerſus ad cardinem, radijsq; oppoſitus ſolis. Affuiſſe dicto fidem: nam ſubrepto culmine conuerſoq; ad ſolem ſigno, patuiſſe res abditas,et reſerata in maleficia uindicatum. Habent quidem miraculi ſpeciẽ, quin immo habere creduntur cuncta iſta,quæ dicta ſunt:ſi ita, ut ſunt prompta,humanum ueniant ad auditum:nec diffitemur ineſſe his quiddam,quod in prima poſitũ(quemadmodum dicitur) fronte,perſtringere aures poſsit, & ueritatis ſimilitudine circumuenire. Cæterum ſi penitus intueri res factas,perſonas, & perſonarum uolueris uoluntates, nibil eſſe reperies dijs dignũ,& quòd ſæpe iam dictum eſt,quod ad huius nominis ſpeciem, dignitatemq; referatur. Quis eſt enim primum, qui deum illum fuiſſe

credat,

credat, qui currentibus fruſtra delectaretur equuleis euocariq́; ſe genere hoc ludicri iucũdiſſimũq́; duceret? Immo illum fuiſſe quis eſt qui aſſentiatur Iouem, quem deum principem dicitis, & rerũ quæcunq; ſunt conditorẽ: qui ſpectatum proficiſceretur è cœlo, cantherios de uelocitate certantes, replicantes gyros ſeptem, & quos diſſimiles ipſe corporũ eſſe in mobilitate uoluiſſet, eos tamen gaudere, tranſire, tranſiri, pronos & cernuos ruere, cum curribus reſupinos uerti, trahi alios crurib. et claudicare præfractis: & ineptias nugis & crudelitatibus mixtas ſummis in uoluptatib, habuiſſe, quas homo quiuis lautus, nec ad ſtudium plenæ grauitatis ac põderis eruditus, puerilia duceret atq; aſpernaretur ut ludicra? Quis eſt, inquã, qui credat (repetamus ut aſſidue hanc uocẽ) generis eũ fuiſſe diuini, qui quoniã ludis actus per circi eſt ſpaciũ meritorum pœnas & ſupplicia redditurus, ira exacerbatus ardeſceret, ſeſeq́; ad uires accingeret ultionis? Si enim nocẽs ſeruus, atq; illa fuerat animaduerſione puniendus, quî debuit Iuppiter indignatione aliqua cõmoueri, cum ageretur iniuſte nihil, immo cũ nocens caput pœnis cõuenientibus plecteretur? Sin autem immunis ab ſcelere, neq; ulli obnoxius crimini, uitioſi præſulis ipſe fuit in cauſa, cui cum ſubuenire potuiſſet, nõ fecit, immo ipſe quæſiuit, & pati quod improbabat, & ab alijs pœnas ſuæ permiſſionis exigere: & cur læſum deinde illo ſe queſtus eſt & pronunciauit in præſule, quia crucis ad penas per circi actus eſt medium uirgis dilaceratus & flagris? Et quid ex hoc facto labis potuit & fœditatis effluere, quod aut circum faceret minus purum, aut Iouem contaminatum, cũ

per exigua momenta, per puncta, tot in orbe conſpiceret millia mortis in generibus uarijs, & cruciatibus interire diuerſis? Ante, inquit, eſt actus, ludi quàm inciperent confici. Si ſacrilego pectore, religionisq; cõtemptu, eſt cur ignoſcere debeamus Ioui indignanti ſe ſpretum, nec circenſibus proprijs ſolicitiorem adhibitã curam. Sin autem errore, uel caſu, latens illud non eſt animaduerſum et cognitum uitium, nonne fuerat rectũ, Iouiq; conueniens, ut humanis ignoſceret lapſibus, et imprudẽtiæ cæcitatẽ ueniali cõceßione donaret? Sed uindicãda res fuit. Et poſt hæc aliquis fuiſſe illum deum credet, qui pueriles incuriam ludicri, ciuitatis ultus eſt & perſecutus interitu? grauitatis, ac ponderis aut ullius habuiſſe conſtantiæ firmitatẽ, qui ut ſibi ex integro uoluptatis in gaudia curreretur, uenenatam in perniciem aeris hauſtus uertit, & peſtilentiam, morbos, ſtragem mortalitatis indixit? Si ludorum exhibitor magiſtratus minus curauit ediſcere, quiſnam eſſet illo die circi actus per medium, contractaq; eſt ex hoc culpa, quid infelix cõmeruerat populus, ut aliena delicta capitis ſui diſſolueret pœnis, peſtilentibusq; cõtagijs crudeliter expelleretur è uita? immo quid fœminarũ genus, quas ab negocijs publicis cõditio fragilitatis exceptt? qd adultæ uirgines, quid paruuli fecere puſiones? quid deniq; adhuc parui nutricũ ſub alimonia cõſtituti, ut in eos immitteretur par & una ſæuitia, priusq; acerbitatem mortis, quàm dulcedinẽ aliquam perciperent luminis? Si Iuppiter ludos ſcrupuloſius fieri, reſtituiq; quærebat, ſi fideliter reddere ſuam populo anitatem, nec malum, quod fecerat, prorogare ulterius et augere: nonne rectius fuerat

conſulem ut ad ipſum ueniret, ſacerdotum ad aliquem publicorum, pontificem maximum, aut ad flaminem ſuum dialem, eiq́; per ſomnium, & præſulis uitium, & funeſti cauſam temporis indicaret? Quæ fuerat ratio, ut ruri hominem ſuetum, obſcuritate incognitum nominis, urbanarum inſcium rerum, quid ſit præſul fortaſſe neſcientem, uoluntatis ſuæ deligeret nuncium, & expetitæ ſatisfactionis auctorem? Quem ſi utique ſciebat, diuinus modo ſi fuerat, tergiuerſatorem in obſequio futurum, nonne fuerat pronius & deo conueniens, mentem hominis uertere, & parendi ſubigere uoluntatem: quàm uias aggredi ſæuiores, & latrocinij ritu ſine ulla paßim ratione ſæuire? Si enim ruſticus, ſenior inexpeditus in rebus obeundis, cunctabatur in re iuſſa cauſis ſuperioribus retardatus, quid infelices eius commeruerũt liberi, ut in eos irã & indignatio uerteretur, offenſasq́; alterius luminis ſui ſpoliatione penſarent? Et quiſquam eſt hominũ, qui fuiſſe illum Deum *credat, tam iniuſtum, tam impium, nec mortalium ſaltem conſtituta ſeruantem, apud quos nefas haberetur magnum, alterum pro altero plecti, & aliena delicta aliorum ceruicibus uindicari? Sed & ipſum fecit peſtilitatis ſæuitia comprehendi.* Nonne ergo *præſtantius, quinimmo æquius fuerat, ſi hoc eſſe uidebatur faciendum, ut ab ipſo patre terror coercitionis inciperet, apud quem cauſa tanti fuerat motus, & in obeundo ceſſatio, quàm in eius dolorem uim liberis facere, & innoxias urere, atq; abolere perſonas? Quænam illa ſæuitia crudelitatis fuit? quæ tãta, ut extincta ſobole inteſtinis piculis poſt territaret patrem? Quod iamdudum ſi facere, id eſt loco priore*

priore uoluiſſet: nec germanitas conficeretur innoxia, et uoluntas numinis cognoſceretur offenſa. At enim complẽto annunciationis officio, ſtatim morbus euanuit, et ſanitati homo eſt continuo reſtitutus. Et quid habet admirationis res iſta, ſi malum quod inſpirauerit, repulit: ſeſeq; inani oſtentatione iactauit? Quod ſi penitus res pendas, magis illa crudelitas, q̃ beneficium ſalutis fuit: ſiquidẽ hominẽ miſerum, & interire poſt filios cupientem, non gaudia ſeruauit ad uitæ, ſed ut ſuam ſolitudinem diſceret, & orbitatis cruciamenta ſentiret. Conſimili ratione per alias ire licebit hiſtorias, & oſtendere in his quoq; longe aliud, quàm eſſe dij debeant de his ipſis dici, & earũ in expoſitionibus indicari: uelut in hac ipſa, quã deinceps ponam una ei, duabusue coniunctis, faſtidium ne immoderatione pariatur. Poſt aduectos (inquitis) tranſmarinis ex gentibus deos quoſdam, poſtq; condita his templa, poſt cumulatas ſacrificijs aras, male habens ſeſe recreatus conualuit populus, & peſtilentes morbi inducta ſynceritate fugerũt. Qui (eſſamini) dij quæſo? Aeſculapius (inquitis) Epidauro bonis deus ualetudinibus præſidens, & Tiberina in inſula conſtitutus. Si eſſet nobis animus ſcrupuloſius iſta tractare, uobis ipſis obtineremus auctoribus, minime illum fuiſſe diuũ: qui cõceptus & natus muliebri aluo eſſet: qui annorũ gradibus ad eum finem aſcendiſſet ætatis, in quo illum uis fulminis (ueſtris quemadmodum literis continetur) & uita expuliſſet & lumine. Sed quæſtione ab iſta diſcedimus: Coronidis filius ſit, ut uultis, ex immortaliũ numero & perpetua præditus ſublimitate cœleſti. Ex Epidauro tamen quid eſt aliud allatum, niſi magni

gni agminis coluber? Fidem ſi annalium ſequimur: & exploratam eis attribuimus ueritatem, nihil (ut conſcriptum eſt) aliud, quid ergo dicimus? Aeſculapius iſte quem prædicatis, deus præſtans, ſanctus deus, ſalutis dator, ualetudinum peßimarũ propulſator, prohibitor, & extinctor, ſerpentis eſt forma & circumſcriptione finitus: per terram reptans, cœno natis ut uermiculis mos eſt, ſolum mento radit & pectore, tortuoſis uoluminibus ſe trahẽs; atq; ut pergere prorſus poßit, partem ſui poſtremam conatibus prioris adducit. Et quoniam legitur uſus cibis etiam, quibus uita in corporibus immoratur, habet patulas fauces, quibus cibos tranſuoret oris hiatibus appetitos: habet receptaculum uentris, & ubi manſa & uorata decoquat uiſcera, ſanguis detur ut corpori, & uiribus redintegratio ſubrogetur. Habet et extremos tramites, per quos immunda fex eat, auerſabili corpora fœditate deonerantis. Siquando mutat loca, & ab alijs tranſgredi in alias regiones parat: non ut deus obſcure per cœli euolat ſydera, punctoq; in temporis ubi cauſa poſtulauerit, ſiſtitur: ſed uelut animal brutum, uehiculum quo ſuſtineatur, petit: undas pelagi uitat: atq; ut tutus poßit incolumisq; præſtari, cum hominibus nauem aſcendit, & ille publicæ ſanitatis deus, fragili ſe ligno, & tabularũ compagib. credit. nõ arbitramur euincere, atq; obtinere uos poſſe, Aeſculapiũ illum fuiſſe ſerpentẽ: niſi hunc colorem uolueritis inducere, ut in anguem dicatis cõuertiſſe ſe deum, quo mentiri ſe poſſet, quisnam eſſet, aut quales homines intueri. Quod ſi fuerit à uobis dictũ, quã infirmiter, inualideq; dicatur, ipſa rerũ inæqualitas indicabit. Si enim

nim ſe deus uideri ab hominib. euitabat, nec in forma ſerpentis uelle debuit conſpici: cum in qualibet forma nõ ab ipſo ſe alius, ſed ipſe eſſet futurus. Sin autem intẽderat cernendum ſe dare, nõ debuit oculorum negare conſpectui: cur non talem uideri ſe præbuit, qualẽ ſciebat ſe eſſe, qualemq; ſe nouerat ſui numinis in potentia contineri? Erat enim hoc potius, multoq; præſtantius, auguſtæq; conueniens dignitati, quàm fieri beluam, horrẽtisq; animalis in ſimilitudinẽ uerti: & dare ambiguis cõtradictionibus locum: eſſetne uerus deus: an neſcio quid aliud, lõgeq; ab ſupera ſublimitate ſeiunctum. Sed ſi deus (inquit) non erat, cur è naui poſtquã extulit ſeſe, Tyberinã ad inſulam repſit: nuſquam ſtatim cõparuit, & uiderier ut ante deſiit? Poſſumus enim ſcire, utrumne aliquod obſtaculum fuerit cuius ſeſe obiectu atq; oppoſitione protexerit, an hiatus aliquis? Vos pronũciate, uos dicite, quidnam illud fuerit, aut cuinam rerum generi debuerit applicari, ſi perſonarum officia ſunt certa certarũ ueſtra. Cum res ita ſit, deq; ueſtro numine, ueſtraq; & religione tractetur, ueſtrũ eſt potius edocere, ueſtrumq; monſtrare, quid illa res fuerit, noſtras uelle quàm exaudire ſententias, noſtraq; expectare decreta. Nam nos quidem quid aliud poſſumus dicere, niſi quod fuit, & uiſum eſt: quod hiſtoriæ prodidere omnes, & oculorum ſenſibus eſt cõprehenſum? Hanc tamen ſcilicet colubram ualidiſsimi corporis, et prolixitatis immenſæ: aut ſi nomen hoc ſordidũ eſt, anguem dicimus, ſerpentem nominitamus: aut ſi quod aliud nobis uſus uocamen obtulerit, aut ampliatio ſermonis effinxerit. ſi enim repſit ut coluber, non pedibus ſe ferens, neq; ſuas ſubexplicans

plicans itiones,ſed uentre nixus ac pectore:ſi ex materia formatus carnis longitudinem porrigebatur in lubricam caput ſi habuit atq; caudam,ſi oblita ſquamis terga,ſi ma cularum ſuffectionibus uaria, ſi os dentibus horridum,et ad infligendos inſtructum morſus: quid aliud poſſumus, quam generis eum dicere fuiſſe terreni? quamuis fuerit immanis & nimius, quamuis illum ab Regulo exercitus ui cæſum longitudine corporis & roboris anteiret. Sed aliud nos remur,& labefacimus & deſtruimus ueritatē. Ergo ueſtrum eſt explicare quidnam ille fuerit, uel cuius generis, nominis, & qualitatis cuius. Nam deus eſſe qui potuit,cum haberet ea,quæ diximus, quæ dij habere non debent,ſi cogitant dij eſſe, & uocaminis huius eminentiam poßidere. Tyberinam poſtquam ad inſulam repſit, nuſquam continuo apparuit:qua ex re numen fuiſſe mon ſtratur.Poſſumus enim ſcire utrumne iſtic aliquod rei fue rit alicuius obſtaculum, cuius ſeſe obiectu atque oppoſitione protexit,an hiatus aliquis, aut ex molibus inæqualiter aggeratis ſucceſſus quidam, & fornices, in quos intulit ſe raptim circumſcripto tuentium uiſu? Quid enim ſi flumen tranſiliuit: quid ſi tranſnatauit? quid ſi ſyluarum denſitatibus ſe dedit? argumentatio flaccida eſt ea reſuſpicari, deum illum fuiſſe ſerpentem, quod ab oculis ſeſe properata omni feſtinatione ſubtraxit, eum Deum non fuiſſe eadem rurſus poßit argumentatione monſtrari. Sed ſi deus præſens anguis ille non fuit, cur poſt illius aduentum peſtilentiæ uis fracta eſt, & populo ſalus reddita Romano? Referimus & nos contra: ſi ex libris fatalibus, uatumq; reſponſis inuitari ad urbem deus Aeſcula

Cc piùs

pius iuſſus eſt,ut ab luis cōtagio morbiſq; peſtilentibus tu tam eā incolumēq; præſtaret, et uenit nō aſpernatus,ut di citis,colubrarū in formā conuerſus: cur toties Roma ciui tas mali huius afflicta eſt millibus? Cum enim deus accitus in hoc eſſe dicatur,ut omnino omnes cauſas,quibus peſti lentia cōflabatur,auerteret: ſequebatur ut ciuitas intacta eſſe deberet, flatuq; à noxio immunis ſemper innocuaq; præſtari. Atquin uidemus (ut ſuperius dictum eſt) ſæpenu mero his morbis curſus eam uitæ habuiſſe funeſtos: nec di ſpendijs leuibus eſſe populi fractas debilitataſq; uirtutes. Vbi ergo Aeſculapius fuit, ubi ille promiſſus oraculis ue nerabilibus? Cur tēpla poſt cōdita, ſibiq; ex ædificata de lubra, diutius habere perpeſſus eſt bene meritas ciuitates ſuē, cum in id eſſet accitus, ut & malis mederetur inſtanti bus, nec ſineret in futurum tale aliquid quod metueretur irrepere? niſi fortè aliquis dicet: minoribus & cōſequenti bus ſeculis iccirco dei talis defuiſſe cuſtodiā, quod impijs iam moribus et improbabilib. uiueretur: opem aūt contu liſſe maioribus, quod innoxij fuerint, & ab omni ſcelerū contagione dimoti. Quod ratione cū aliqua et audiri for ſitan potuiſſet, & dici, ſi aut tēporibus priſcis omnes eſ ſent uſq; ad unum boni: aut ſequentia tempora malos om nes generarēt, & nulla diuerſitate diſcretos. Cū uero res ita ſit, ut in magnis populis, nationibus, quinimmo & in ciuitatibus cunctis mixtum ſit humanū genus naturis, uo luntatibus, moribus, tamq; potuerint in prioribus ſeculis, quàm in nouellis ætatibus boni ſimul, maliq; exiſtere: ſtul tum ſatis eſt dicere, propter malitias poſteros auxilia nu minum nō meruiſſe mortales. Si enim propter malos ſe

quentium

quentium ſeculorum boni nō ſunt protecti temporū nouellorum, & propter antiquos malos boni æque maiores non debuerant merere beneuolentiā numinum. Sin propter bonos priſcos mali etiam conſeruati ſunt priſci, & propter bonos minores, ætas debuit ſequens, quamuis eſſet improbabilis, protegi. Aut ergo iam fracta atq; imminuta ui morbi, anguis ille perlatus famam conſeruatoris aſſumpſit, cum nihil omnino commoditatis attuliſſet: aut fatalia dicenda ſunt carmina multum ueris aberraſſe præſagijs, cum remedium ab his datum non deinceps cunctis, ſed auxilio fuiſſe uni tantum reperiatur ætati. Sed & magna (inquit) mater accita ex Phrygio Peßinunte, iußis conſimiliter uatum, ſalutaris populo & magnarum cauſa lætitiarum fuit. Nam & diu potens hoſtis ab Italiæ poſſeßione detruſus eſt, & glorioſis illuſtribusque uictorijs decus urbis reſtitutum eſt priſtinum, & Imperij fines longe lateq; porrecti, & innumeris gentibus, ciuitatibus, populis libertatis ius raptum eſt, & iugum ſeruitutis impoſitum: multaq; res aliæ foris domique perfectæ, ineluctabili firmitate gentis nomen, maieſtatémque fundarunt. Si uerum loquuntur hiſtoriæ, neque ullas inſerunt rerum conſcriptionibus falſitates, allatum ex Phrygia nihil quidem aliud ſcribitur miſſum rege ab Attalo, niſi lapis quidam non magnus, ferri manu hominis ſine ulla impreßione qui poſſet: coloris furui, atque atri, angulis prominentibus inæqualis: & quē omnes hodie ipſo illo uidemus in ſigno oris loco poſitū, indolatum, & aſperum, & ſimulachro faciem minus expreßam ſimulatione prębentē, Quid ergo dicemus? Hannibalem illum Pœ

num, hoſtem potentem ac ualidum, ſub quo anceps & dubia res Romana contremuit, & magnitudo trepidauit, lapis ex Italia depulit, lapis fregit, lapis fugacem, ac timidum, ſuique eſſe diſsimilem fecit? Et quod rurſus exiliuit ad Imperij columen, & regium principatum, nihil conſilijs actum eſt, nihil hominum uiribus, nec ad reditum ſublimitatis antiquæ tot tantisq; ab ducibus quicquam eſt ſcientia militari aut rerum experientia collatum? Lapis alijs uires, alijs roboris infirmitatem dedit: hos ſecundis præcipitauit ab rebus, aliorum extulit ſtratas deſperatione fortunas? Et quis hominum credat terra ſumptum lapidem ſenſu agitabilem nullo, fuliginei coloris atque atri corporis, Deum fuiſſe matrem? aut quis rurſus accipiat (hoc enim ſolum reſtat) numinis alicuius habitaſſe in ſilicis fragmentis molem ſubiectam, uenisque in eius abſtruſam? Et unde parta uictoria eſt, ſi peßimuntio lapidi nullum inerat numen? Sedulitate poſſumus dicere, ac uirtute pugnantium, uſu, tempore, conſilio, ratione, fato etiam poſſumus, & reciproca uarietate fortunæ. Sed ſi auxilio lapidis res facta eſt melior, & felix recuperata uictoria eſt, ubinam mater Phrygia tempore illo fuit, cum tot, tantisq; exercitibus cæſis inclinata eſt res ſumma, et ad ultimæ labis periculum uenit? Cur non minaci fortiter ſe obtulit? Cur impetus tantos belli non prius fregit, ac repulit, quàm immanes inciderent plagæ, quibus omnis effunderetur ſanguis, & exhauſtis rueret uita ipſa pene uitalibus? Aduecta enim nondum, nec fauorem fuerat ut commodaret rogata. Sed bonus auxiliator nunquam rogari ſe poſcit, ſpontanea ſemper

per opitulatione ſubueniens. Hoſtem pellere, ac fugare non potuit, multo adhuc mari, terriſque habitabilibus diſcreta. Sed deo (ſi deus eſt) longum nihil omnino eſt, cui punctum terra eſt, & ſub nutu omnia conſtituta. Sed fuerit præſens, ut expoſcitis credi, illo ipſo numen in la=pide: & mortalium quiſquam eſt, quamuis ille ſit credu=lus, & facillimas aures quibuslibet fictionibus præbeat, qui eam iudicet fuiſſe, aut tempore illo deam, aut hodie dici appellarique debere? quæ modo hæc appetat, mo=do illa depoſcat, ſuos deſerat, faſtidiatq; cultores: prouin=cijs ab humilioribus migret, potentioribus populis, di=tioribusq; ſe iungat. Verum bellicas res amat, interque eſſe deſiderat pugnis, cædibus, mortalitatibus, & cruo=ri. Si deorum eſt proprium (ſi modo ſunt ueri, & quos deceat nuncupari ui uocis iſtius, & potentia numinis) ni hil facere malitioſe, nihil iniuſte, hominibusque ſe cun=ctis una & parili gratia ſine ulla inclinatione præbere: generis eam fuiſſe diuini quiſquam ne hominum credat, aut habuiſſe æquitatem dijs dignam, quæ humanis ſeſe di ſcordijs inſerens, aliorum opes fregit, alijs ſe præbuit, ex hibuitq; fautricem, libertatem his abſtulit, alios ad colu=men dominationis erexit: quæ ut una ciuitas emi=neret in humani generis perniciem na=ta orbem ſubiugauit in=noxium.

ARNOBII DISPV-tationum aduerſus Gentes Lib. VIII.

COGITANTI mihi, & cum animo meo Octauij boni & fidelißimi contubernalis memoriam recenſenti, tanta dulcedo, & affectio hominis inhæſit, ut ipſe quodammodo mihi uiderer in præterita redire, non ea quæ iam tranſacta & decurſa ſunt recordatione reuocare. Ita eius contemplatio, quantum ſubtracta eſt oculis, tantum pectori meo, ac pene intimis ſenſibus implicata eſt. Nec immerito diſcedens uir eximius, & ſanctus, immẽſum ſui deſideriũ nobis reliquit: utpote cum et ipſe tanto noſtri ſemper amore flagrauerit, ut et in ludicris, & ſerijs, pari mecum uoluntate concineret: eadem uellet, uel nollet: crederes unam mentem in duobus fuiſſe diuiſam. Sic ſolus in amoribus conſcius ipſe, ſocius in erroribus: & cum diſcuſſa caligine de tenebrarum profundo in lucem ſapientiæ, & ueritatis emergerem, non reſpuit comitem, ſed quod eſt glorioſius præcurrit. Itaq; cum per uniuerſam conuictus noſtri, & familiaritatis ætatem mea cogitatio uolueretur, in illo præcipue ſermone eius mẽtis meæ reſedit intentio, quo Cæcilium ſuperſtitioſis uanitatibus etiamnum inhærentẽ, diſputatione grauißima ad ueram Religionẽ reformauit. Nam negocij, & uiſendi mei gratia Romam contenderat, relicta domo, cõiuge, liberis, & quod eſt in liberis amabilius, adhuc annis innocentibus, & adhuc dimidiata uerba tentantibus, loquelam ipſo offenſantis linguæ fragmine dulciorẽ. Quo in aduentu eius non poſſum

exprime

exprimere ſermonibus, quanto, quãq; impatienti gaudio exultauerim: cũ augeret maxime lætitiã meã amiciſſimi hominis inopinata præſentia. Igitur poſt unum & alterũ diem, cũ iam et auiditatem deſiderij frequens aſſiduitatis uſus impleſſet: & quæ per abſentiã mutuam de nobis neſciebamus, relatione alterna cõperiſſemus, placuit Hoſtiam petere amœniſſimã ciuitatẽ, quod eſſet corpori meo ſiccandis humoribus de marinis lauacris blanda et appoſita curatio. ſanè & ad uindemiam feriæ iudiciariam curam relaxauerant. nam id temporis poſt æſtiuam diem in temperiem ſemet autumnitas dirigebat. Itaq; cum diluculo ad mare inambulando litori pergeremus, ut & aura aſpirãs leniter membra uegetaret, & cũ eximia uoluptate molli ueſtigio cedens arena ſubſideret, Cæcilius ſimulachro Serapidis denotato (ut uulgus ſuperſtitioſus ſolet) manum ori admouens, oſculum labijs preſſit. Tunc Octauius ait: Non boni uiri eſt Marce frater, hominẽ domi foriſq; lateri tuo inhærentem, ſic in hac imperitiæ uulgaris cæcitate deſerere: ut tam luculento die in lapides eum patiaris impingere, effigiatos ſanè, & unctos, et coronatos: cum ſcias huius erroris non minorẽ ad te quàm ad ipſum infamiam redundare. Cũ hoc ſermone eius mediũ ſpaciũ ciuitatis emenſi, iam liberum litus tenebamus. Ibi arenas extimas, uelut ſterneret ambulacro, perfundens lenis unda tendebat: & ut ſemper mare etiam poſitis flatibus inquietum eſt, etſi non canis ſpumoſiſq; fluctibus exibat ad terram, tamen criſpis toroſiſq;. Ibidem erroribus delectati perquã ſumus, cum in ipſo æquoris limine plantas tingueremus, quod uiciſſim nũc adpulſum noſtris pedib. al-

luderet fluctus:nunc relabens,ac ueſtigia retrahẽs, in ſeſe reſorberet.Senſim itaq; tranquilleq; progreßi, oram cur ui molliter littoris, iter fabulis fallẽtib. legebamus,Hæ fabulæ erant Octauij differentis de nauigatione narratio. Sed ubi eundi ſpaciũ ſatis iuſtum cũ ſermone conſumpſimus:eandẽ emenſi uiam rurſus uerſis ueſtigijs terebamus: Et cum ad id loci uentũ eſt,ubi ſubductæ nauiculæ ſubſtratis roboribus,à terrena labe ſuſpẽſæ quieſcebãt:pueros uidemus certatim geſtientes,teſtarũ in mare iaculationibus ludere: is luſus eſt teſtam teretem iactatione fluctuũ leuigatam legere de littore,eam teſta plano ſitu digitis comprehenſam,inclinem ipſum atq; humilem, quantũ poteſt undas irrotare:ut illud iaculũ uel dorſum maris raderet, uel enataret,dum leni impetu labitur:uel ſummis fluctib. tonſis emicaret,emergeret,dum aßiduo ſaltu ſubleuatur. Is ſe in pueris uictorem ferebat, cuius teſta & procurreret lõgius,& frequentius reſiliret.Igitur cum omnes hac ſpectaculi uoluptate caperemur,Cæcilius nihil intẽdere, neq; de contentione ridere,ſed tacens,anxius,ſegregatus dolore,neſcio quid uultu fatebatur. Cui ego,quid hoc eſt rei?cur non agnoſco Cæcili alacritatẽ tuam illam? & illã oculorũ etiam in ſerijs hilaritatẽ requiro? Tum ille. Iam dudum me Octauij noſtri acriter angit,& remordet oratio:qua in te inuectus obiurgauit negligentiæ, ut me dißimulanter grauius argueret inſciẽtiæ.Itaq; progrediar ulteriũs,de toto & integro mihi cũ Octauio res eſt.Si placet,ut ipſius ſectæ homo cũ eo diſputem,iam profecto intelliget facilius eſſe in cõtubernalib. diſputare quã cõſerere ſapientiã, modo in iſtis ad tutelam balnearũ iactis, & in

in altum procurrentibus petrarum obicibus reſidamus, ut & requieſcere de itinere poßimus, & intentius diſpu= tare. Et cum dicto eius aſſedimus: ita ut me ex tribus me= dium lateris ambitione protegerent, nec hoc obſequij fuit aut ordinis, aut honoris quippe cum amicitia pares ſem= per aut accipiat aut faciat: ſed ut arbiter, & utriſque pro ximus aures darem, & diſcreptantes duos medius ſegre= garem. tum ſic Cæcilius exorſus eſt: Quanquam tibi Mar ce frater, de quo cum maxime quærimus nõ ſit ambiguũ: utpote cũ diligenter in utroq; uiuendi genere uerſatus re pudiaris alterũ, alterũ comprobaris: impræſentiarũ tamẽ ita tibi informandus eſt animus, ut libram teneas æquißi= mi iudicis, nec in alteram partem propenſius incumbas: ne non tam ex noſtris diſputationibus nata ſententia, quàm ex tuis ſenſib. prolata uideatur: proinde ſi mihi quaſi no= uus aliquis, & quaſi ignarus partis utriuſq; conſidas, nul lum negocium eſt patefacere, omnia in rebus humanis du bia, incerta, ſuſpenſa, magisq; omnia ueriſimilia, quàm ue ra. Quo magis mirum eſt, nonnullos tædio inueſtigandæ penitus ueritatis cuilibet opinioni temere ſuccumbere: quàm inexplorando pertinaci diligentia perſeuerare. Ita que indignandum omnibus, indoleſcendum eſt, audire quoſdam, et hoc ſtudiorum rudes, literarum profanos, ex pertes artium etiam ſordidarum, certum aliquid de ſum ma rerum, aut maieſtate decernere, de qua tot omnibus ſe culis ſectarum plurimarum uſq; adhuc ipſa philoſophia deliberat: nec immerito, cum tantum abſit ab exploratio ne diuina humana mediocritas, ut neq; quæ ſupra nos cœ lo ſuſpenſa ſublata ſunt, neq; quæ infra terram profunda

demerſa ſunt, aut ſcire ſit datum, aut ſcitari permiſſum, aut ſcrutari religioſum: beati ſatis, ſatiſq; prudentes iure uideamur, ſi ſecundum illud uetus ſapientis oraculum, noſmetipſos familiarius nouerimus. Sed quatenus indulgentes inſano atq; inepto labori ultra humilitatis noſtræ terminos euagamur, & in terram proiecti cœlum ipſum & ipſa ſydera audaci cupiditate tranſcendimus, uel hunc errorem ſaltem non uanis & formidoloſis opinionibus implicamus: ſint principia omnium ſemina natura in ſe coeunte denſata; quis hic auctor deus? Sint fortuitis concurſionibus totius mundi membra coalita, digeſta, formata quis deus machinator? Sidera licet ignis accenderit, & cœlum licet ſua materia ſuſpenderit: licet terram fundauerit pondere, & mare licet influxerit è liquore, unde hæc religio, unde formido, quæ ſuperſtitio eſt? Homo, & animal omne quod naſcitur, inſpiratur, attollitur, elementorum id uoluntaria concretio eſt: in quæ rurſum homo, & animal omne diuiditur, ſoluitur, diſſipatur. ita in fontem refluunt, & in ſemet omnia reuoluuntur, nullo artifice, nec iudice, nec auctore, ſic congregatis ignium ſeminibus ſoles alios, atque alios ſemper ſplendere: ſic exhalatis terræ uaporibus nebulas ſemper adoleſcere: quibus denſatis coactiſq; nubes altius ſurgere: iiſdem labantibus pluuias fluere: flare uentos: grandines increpare: uel nimbis collidentibus tonitrua mugire: rutilare fulgura, fulmina præmicare: adeo paßim cadunt, montes irruunt, arboribus incurrunt: ſine delectu tangunt loca ſacra, & profana: homines noxios feriunt, & ſæpe religioſos. Quid tempeſtates loquar uarias, & incertas? quibus nullo ordine,

uel

uel examine rerum omnium impetus uolutatur, in naufragijs bonorum, malorumq́; fata mixta, merita confuſa, in incendijs interitum conuenire inſontium, nocentiumq́;, & cum tabe peſtifera cœli tractus inficitur, ſine diſcrimine omnes deperire: & cum belli ardore ſæuitur, meliores potius occumbere. In pace etiam non tantum æquatur nequitia melioribus, ſed & colitur: ut in pluribus neſcias, utrum ſit eorum deteſtanda prauitas, an optanda felicitas. Quod ſi mundus diuina prouidentia, & alicuius numinis auctoritate regeretur, nunquam mereretur Phalaris, & Dionyſius *regnum: nunquam* Rutilius & Camillus *exilium, nũquam* Socrates *uenenum. Ecce arbuſta frugifera, ecce etiam ſeges cana, iam temulenta uindemia, imbri corrumpitur, grandine cæditur: adeo ut incerta nobis ueritas occultatur, & premitur: aut, quod magis credendum eſt, uarijs & lubricis caſibus, ſoluta legibus fortuna dominatur. Cum igitur aut fortuna certa, aut incerta natura ſit, quando uenerabilius ac melius, antiſtites ueritatis maiorum excipere diſciplinam, religiones traditas colere, deos, quos à parentibus ante imbutus exiſtimare quàm cognoſſe, familiarius adorare, nec de numinibus ferre ſententiam, ſed prioribus credere, qui adhuc rudi ſæculo in ipſis mundi natalib. meruerunt deos uel faciles habere uel reges. Inde adeo per uniuerſa imperia, prouincias, oppida uidemus ſingulos ſacrorum ritus gentiles habere, & deos colere municipes, & eleuſinios Cererem,* Phrygas *Magnã matrem,* Epidaurios Aeſculapium. Chaldæos Belum, Aſtartem Syros, Dianã Tauros, Gallos Mercurium, uniuerſa Romanos. *Sic eorum poteſtas, & auctoritas*

ritas totius orbis ambitus occupauit: ſic imperium ſuũ ultra ſolis uias, & ipſius Oceani *limites propagauit, dum exercent in armis uirtutem religioſam, dum orbem muniunt ſacrorum religionibus, caſtis uirginibus, multis honoribus ac nominibus ſacerdotũ: dum obſeſſi, & citra ſolum capitoliũ capti, colunt deos, quos alius iam ſpreuiſſet iratos, & per* Gallorum *acies mirantiũ ſuperſtitionis audaciam pergunt telis inermes, ſed cultu religionis armati: dum captis in hoſtilibus mœnibus adhuc ferociente uictoria numina uicta uenerãtur; dũ undiq; hoſpites deos quærunt, & ſuos faciunt: dum aras extruũt, etiam ignotis numinibus, & manibus. Sic dum uniuerſarũ gentium ſacra ſuſcipiunt, etiam regna meruerũt.* Hic *perpetuus uenerationis tenor manſit, qui longa ætate non infringitur, ſed augetur: quippe antiquitas cærimonijs atq; fanis tantum ſanctitatis tribuere conſueuit, quantum adſtruxerit uetuſtatis.* Nec *tamen temere (auſim enim interim & ipſe concedere, & ſic melius errare) maiores noſtri, aut obſeruandis augurijs, aut extis conſulendis, aut inſtituendis ſacris, aut delubris dedicandis operam nauauerunt.* Specta *de libris memoriam, iam eos deprehendes imitaſſe ritus omnium religionum, uel ut remuneraretur diuina indulgentia, uel ut auerteretur imminens ira, aut iam tumens & ſæuiens placaretur.* Teſtis *mater deum, quæ aduentu ſuo & probauit matronæ caſtitatem, & urbem metu hoſtili liberauit.* Teſtes *equeſtrium fratrum in lacu ſicut oſtenderant ſtatuæ conſecratæ, qui anheli ſpumantibus equis atque fumantibus de* Perſe *uictoriam eadem die qua fecerant nunciauerũt.* Teſtis *ludorum offenſo* Ioue *de ſomno plebei hominis*

minis iteratio: & Deciorum deuotio rata teſtis eſt: teſtis & Curtius, qui equitis ſui uel mole uel honore hiatum profundæ uoraginis coæquauit. frequentius etiam quàm uolebamus deorum præſentiam contempta auſpicia conteſtata ſunt. Sic Allia nomen infauſtum, ſic Claudij & Iunij, nõ prælium in Pœnos, ſed ferale naufragium eſt. Et ut Thraſimenus Romanorum ſanguine et maior eſſet & decolor, ſpreuit auguria Flaminius: & ut Parthos ſigna repetamus, dirarum imprecationes Craſſus & meruit & irriſit. Omitto uetera quæ multa ſunt, & de deorum natalibus, donis, muneribus, negligo carmina poetarum: prædicta etiam de oraculis fata tranſilio, ne uobis antiquitas nimium fabuloſa uideatur: intende templis, ac delubris deorum, quibus Romana ciuitas & protegitur & ornatur, magis ſunt auguſta numinibus incolis, præſentibus, inquilinis, quàm cultu inſignia et muneribus opulenta. Inde a deo pleni, & mixti deo uates futura præcerpunt, dant cautelam periculis, morbis medelam, ſpem afflictis, opem miſeris, ſolatium calamitatibus, laboribus leuamentum: etiam per quietem deos uidemus, audimus, agnoſcimus, quos impie per diem negamus, uiolamus, peieramus. Itaque cum omnium gentium de dijs immortalibus, quamuis incerta ſit uel ratio, uel origo, maneat tamen firma cõſenſio, neminem fero tanta audacia, tamq; irreligioſe neſcio qua prudentia tumeſcentem, qui hãc religionem tam uetuſtam, tam utilem, tam ſalubrem diſſoluere, aut infirmare nitatur. Sic licet ille Theodorus Cyrenæus, uel qui prior Diagoras Melius, cui Atheon cognomen appoſuit antiquitas, qui uterq; nullos deos aſſeuerando, timorem

omnem

omnem, quo humanitas regitur, uenerationemq; penitus ſuſtulerunt: nunquam tamen in hac impietatis diſciplina ſimulatæ philoſophiæ nomine, atq; auctoritate pollebũt. Cum Abderitem Protagoram Athenienſes uiri, conſultè potius quàm prophane diſputantem & expulerint ſuis finibus, & in concione eius ſcripta deriſerint: quid homines (ſuſtinebitis enim me impetum ſuſceptæ actionis liberius exerentem) homines inquam, deploratæ, inclinatæ, ac deſperatæ factionis graſſari in deos non ingemiſcendũ eſt, qui de ultima fæce collectis imperitioribus, & mulieribus credulis ſexus ſui facilitate labentibus, plebẽ profanæ coniurationis inſtituunt: quæ nocturnis congregationibus, & ieiunijs ſolennibus, & inhumanis cibis, non ſacro quodam ſed piaculo fœderantur, latebroſa & lucifugax natio, in publico muta, in angulis garrula: templa ut buſta deſpiciunt: deos deſpuunt, rident ſacra, miſerantur miſeri (ſi fas eſt) ſacerdotum honores, & purpuras deſpiciunt ipſi ſeminudi, pro mira ſtultitia & incredibili audacia ſpernunt tormenta præſentia, dum incerta metuunt et futura, & dum mori poſt mortem timent, interim mori non timent. ita illis pauor & fallax ſpes ſolatio rediuiuo blanditur. Ac iam ut fœcundius nequiora proueniunt, ſerpentibus in dies perditis moribus per uniuerſum orbem ſacraria iſta teterrima impiæ coitionis adoleſcunt, eruenda prorſus hæc, & execrãda cõſenſio. occultis ſe notis & inſignibus noſcunt, & amant mutuò pene antequam nouerint: paßim etiam inter eos uelut quædam libidinum religio miſcetur. ac ſe promiſcue appellant fratres, & ſorores, ut etiam non inſolens ſtuprum interceßione ſacri nominis

minis fiat inceſtum. ita uana & demens ſuperſtitio ſceleribus gloriatur. Nec de ipſis, niſi ſubſiſteret ueritas maxima & uaria & honore præfanda ſagax fama loqueretur. Audio eos turpiſſimæ pecudis caput aſini cõſecratum inepta neſcio qua perſuaſione uenerari: digna & nata religio talibus moribus: alij eos ferunt ipſius antiſtitis ac ſacerdotis colere genitalia & quaſi parentis ſui adorare naturã. neſcio an falſa, certe occultis ac nocturnis ſacris appoſita ſuſpitio: & hominem ſummo ſupplicio pro facinore punitum, & crucis ligna feralia eorum cærimonias fabulatur, congruentia perditis ſceleratisq; tribuit altaria, ut id colant quod merẽtur. Iam de initiandis tirũculis fabula tam deteſtanda quàm nota eſt. infans farre contectus, ut decipiat incautos, apponitur ei qui ſacris imbuatur. is infans à tirũculo farris ſuperficie quaſi ad innoxios ictis prouocato cæcis occultisq; uulneribus occiditur: huius (prô nefas) ſatienter ſanguinem lambũt: huius certatim membra diſpertiũt. hac fœderantur hoſtia: hac conſcientia ſceleris ad ſilentium mutuum pignorantur. hæc ſacra ſacrilegijs omnibus tetriora. Et de conuiuio notum eſt, paſſim omnes loquuntur, id etiam Cirtenſis noſtri teſtatur oratio: ad epulas ſolenni die coeunt, cum omnibus liberis, ſororibus, matribus, ſexus omnis homines, & omnis ætatis. illic poſt multas epulas, ubi conuiuium caluit, & inceſtæ libidinis ebrietate feruor exarſit, canis, qui candelabro nexus eſt, iactu offulæ ultra ſpacium lineæ qua uinctus eſt ad impetum & ſaltum prouocatur: ſic euerſo & extincto conſcio lumine impudentibus tenebris nexus infandæ cupiditatis inuoluunt per incertum ſortis, & ſi nõ omnes opera, con-

ſcientia

ſcientia tamẽ pariter inceſti. quoniam uoto uniuerſorum appetitur, quicquid accidere poteſt in actu ſingulorum. Multa prætereo conſulto. nam & hæc nimis multa ſunt, quæ aut omnia, aut pleraq; omnium uera declarat ipſius prauæ religionis obſcuritas. cur etenim occultare et abſcõdere quicquid illud colunt magnopere nituntur? cũ honeſta ſemper publico gaudeant, ſcelera ſecreta ſint? cur nullas aras habent, templa nulla, nulla nota ſimulachra, nunquam palam loqui, nunquam libere congregari, niſi illud quod colunt, & interprimũt, aut puniendum eſt, aut pudendum? Vnde autẽ, uel quis ille, aut ubi deus unicus, ſolitarius, deſtitutus: quẽ non gens libera, nõ regna, non ſaltẽ Romana ſuperſtitio nouerũt? Iudæorũ ſola et miſera gentilitas unũ & ipſi deum, ſed palàm, ſed templis, aris, uictimis, cærimonijsq; coluerunt: cuius adeo nulla uis, nec poteſtas eſt, ut ſit Romanis hominibus cũ ſua ſibi natione captiuus. At etiã Chriſtiani quænam mõſtra, quæ portenta cõfingunt? deũ illum ſuum quẽ nec oſtendere poſſunt, nec uidere, in omniũ mores, actus omnium, uerba deniq;, & occultas cogitationes diligẽter inquirere: diſcurrentẽ ſcilicet, atq; ubiq; præſentem: moleſtũ illum uolunt, inquietum, impudenter etiam curioſum. ſiquidẽ aſtat factis omnibus, locis omnib. intererrat: cum nec ſingulis inſeruire poßit per uniuerſa diſtrictus, nec uniuerſis ſufficere in ſingulis occupatus. Quid quod toto orbi, & ipſi mundo cũ ſyderibus ſuis minantur incendiũ, ruinam moliuntur, quaſi aut naturæ diuinis legibus conſtitutus æternus ordo turbetur: aut rũpto elementorum omnium fœdere & cœleſti cõpagine diuiſa, moles iſta, qua cõtinetur & cingitur, ſub

ruatur

ruatur. Nec hac furioſa opinione contenti aniles fabulas adſtruunt, & annectunt. renaſci ſe ferunt poſt mortem, et cineres & fauillas: & neſcio qua fiducia mẽdacijs ſuis inuicem credunt. putes eos iam reuixiſſe. anceps malum & gemina dementia: cœlo & aſtris quæ ſic relinquimus, ut inuenimus, interitũ denunciare: ſibi mortuis extinctis, qui ſicut neſcimur & interimus, æternitatem repromittere. Inde uidelicet & execrantur rogos, & damnant ignium ſepulturas. quaſi non omne corpus, & ſi flammis ſubtrahatur, annis tamen & ætatibus in terram reſoluatur: nec interſit, utrum feræ diripiant, an maria conſumant: an humus contegat, an flamma ſubducat: cum cadaueribus omnis ſepultura, ſi ſentiunt, pœna ſit: ſi non ſentiunt, ipſa conficiendi celeritate medicina. Hoc errore decepti beatam ſibi, ut bonis, & perpetem uitam mortuis pollicentur: cæteris, ut iniuſtis, pœnam ſempiternam. Multa ad hæc ſuppetunt ni feſtinet oratio, iniuſtos ipſos magis: nec laboro, iam docui: quanquam & ſi iuſtos darem, culpam tamen uel innocentiam fato tribui ſententijs plurimorum, etiam ueſtra conſenſio eſt. nã quicquid agimus, ut alij fato, ita uos deo, addicitis. ſic ſectæ ueſtræ non ſpontaneos cupere, ſed electos. Igitur iniquum iudicem fingitis, qui ſortem in hominibus puniat, non uoluntatem. Vellem tamen ſciſcitari, utrúmne cum corporibus, & corporibus quibus, ipſisne, an innouatis ſurgatur. ſine corpore? ſine corpore hoc, quod ſciam, neq; mens, neq; anima, nec uita eſt. Ipſo corpore? ſed iam ante dilapſum eſt. alio corpore? ergo homo nouus naſcitur, non prior ille reparatur. & tamen tanta ætas abijt, ſecula innumera fluxerunt, quis unus ullus ab

inferis uel Proteſilai ſorte remeauit horarum ſaltem per-miſſo cõmeatu: uel ut exemplo crederemus? Omnia *iſta fi-gmenta male ſanæ opinionis,& inepta ſolatia à poetis fal-lacibus in dulcedine carminis luſa à uobis nimium credu-lis in deum ueſtrũ turpiter reformata ſunt. nec ſaltem de præſentibus capitis experimentũ,quàm uos irritæ pollici tationis caſſa uota decipiant.quid poſt mortẽ impendeat, miſeri dum adhuc uiuitis æſtimate. ecce pars ueſtrum & maior & melior ut dicitis,egetis,algetis,opere, fame, la-boratis.& deus patitur,diſſimulat.non uult,aut non po-teſt opitulari ſuis. ita aut inualidus,aut iniquus eſt.tu qui immortalitatẽ poſthumam ſomnias, cum querquero qua teris, cum febribus ureris,cum dolore laceraris,non tum conditionẽ tuam ſentis?nõ tum agnoſcis fragilitatem? in-uitus miſer infirmitatis argueris, nec fateris? Sed omitto cõmunia.ecce uobis minæ,ſupplicia,tormenta,& iam nõ adorandæ ſed ſubeundæ cruces:ignes etiam, quos & præ dicitis & timetis:ubi deus ille qui ſubuenire reuiuiſcenti-bus poteſt, uiuentibus nõ poteſt?* Nonne Romani *ſine ue-ſtro deo imperant,regnãt, fruuntur orbe toto,ueſtriq; do minantur? uos uero ſuſpenſi interim atq; ſoliciti honeſtis uoluptatibus abſtinetis: non ſpectacula uiſitis,nõ pompis intereſtis: cõuiuia publica abſq; uobis: ſacra certamina, præcerptos cibos, et delibatos altarib. potus abhorretis. Sic reformidatis deos,quos negatis. nõ florib.caput necti tis:non corpus odoribus honeſtatis: reſeruatis unguẽta fu neribus:coronas etiam ſepulchris denegatis,pallidi,trepi di,miſericordia digni, ſed noſtrorum deorum. ita nec re-ſurgitis miſeri,nec interim uiuitis.Proinde ſiquid ſapien-*

tiæ

tiæ uobis,aut uerecundiæ eſt,definite cœli plagas,et mundi fata et ſecreta rimari,ſatis eſt pro pedibus aſpicere,maxime indoctis,impolitis,rudibus,agreſtibus:quibus nõ eſt datum intelligere ciuilia,multo magis denegatum eſt diſſerere diuina. Quanquam ſi philoſophandi libido eſt, Socratem ſapientiæ principem,quiſquis ueſtrum tantus eſt, ſi potuerit imitetur eius uiri,quoties de cœleſtib.rogabatur,nota reſponſio eſt.quod ſupra nos, nihil ad nos. merito ergo de oraculo teſtimonium meruit prudentiæ ſingularis.quod oraculum idem ipſe præſenſit,iccirco uniuerſis ſe præpoſitum: non quod omnia comperiſſet,ſed quod nihil ſe ſcire didiciſſet:ita cõfeſſæ imperitiæ ſumma prudẽtia eſt.Hoc fonte defluxit Arceſilæ,& multo poſt Carneadis et Academicorũ plurimorum in ſummis quæſtionibus tuta dubitatio,quo genere philoſophari,& caute indocti poſſunt,& docti glorioſe.Quid Simonidis Melici nonne admiranda omnibus & ſectanda cũctatio?qui Simonides cum de eo, quid, & quales arbitraretur deos ab Hierone tyranno quæreretur, primo deliberationi diem petijt:poſtridie biduum prorogauit,mox alterum tantum admonitus adiunxit: poſtremo cũ cauſas tantæ moræ tyrãnus inquireret,reſpondit ille,quod ſibi quãto inquiſitio tardior pergeret, tanto ueritas fieret obſcurior. Mea quoq; opinione,quæ ſunt dubia,ut ſunt,relinquenda ſunt,nec tot ac tantis uiris deliberantibus temere & audaciter in alterã partem ferenda ſententia eſt, ne aut anilis inducatur ſuperſtitio,aut omnis religio deſtruatur.Sic Cæcilius, & renidens:nam indignationis eius tumorem effuſæ orationis impetus relaxauerat:Et quid ad hæc (ait)audet Octauius

homo plautinæ proſapiæ, ut piſtorum præcipuus, ita poſtremus philoſophorum? Parce, inquam *in eum plaudere: neque enim prius exultare te dignum eſt concinnitate ſermonis, quàm utrinque plenius fuerit peroratum, maxime cum non laudi, ſed ueritati diſceptatio ueſtra nitatur.* Et *quanquam magnum in modum me ſubtili uarietate tua delectarit oratio, tamen altius moueor, non de præſenti actione, ſed de toto genere diſputandi: quod plerunque pro differentium uiribus, & eloquentiæ poteſtate, etiam perſpicua ueritatis cõditio mutetur.* Id *accidere per notum eſt auditorum facilitate, qui dum uerborum lenocinio à rerum intentionibus auocantur, ſine delectu aſſentiuntur dictis omnibus: nec à rectis falſa ſecernunt, neſcientes ineſſe & incredibili uerum, & in uerifimili mendacium.* Itaque *quo ſæpius aſſeuerationibus credunt, eo frequentius à peritioribus arguuntur: ſic aßidue temeritate decepti, culpam iudicis transferunt ad incerti querelam, ut damnatis omnibus malint uniuerſa ſuſpendere, quàm de fallacibus iudicare.* Igitur *nobis prouidendum eſt, ne odio identidem ſermonum omniũ laboremus: ita ut in execrationem, & odium hominum pleriq; ſimpliciores efferantur.* Nam *incaute creduli circũueniuntur ab his, quos bonos putauerunt: mox errore conſimili iam ſuſpectis omnibus, ut improbos metuunt, etiam quos optimos ſentire potuerunt.* Nos *proinde ſoliciti, quod utrinque omni negocio diſſeratur, & ex altera parte plerunque obſcura ſit ueritas, ex altero latere mira ſubtilitas, quæ nonnunquam ubertate dicendi, fidem confiſſæ probationis imitetur, diligenter, quantum poteſt, ſingula ponderemus,*

ut

ut argutias quidē laudare, ea uero quæ recta ſunt eligere, probare, ſuſcipere poſsimus. Decedis (inquit Cæcilius) of ficio iudicis religioſi: nam per iniurium eſt, uires te actio nis meæ intergreſſu grauiſsimæ diſputationis infringere, cum Octauius integra, & illibata habeat ſingula. Si po teſt refutari id quod criminaris, inquam in commune, ni ſi fallor, compendium protuli, ut examine ſcrupuloſo no ſtram ſententiam non eloquentiæ tumore, ſed rerum ipſa rum ſoliditate libremus: nec auocāda, quod quereris, diu tius intentio, cum toto ſilentio liceat reſponſionem Ianua rij noſtri iam geſtientis audire. & Octauius: Dicam equi dem, ut potero, pro uiribus: & adnitendum tibi mecū eſt, ut conuitiorum amariſsimam labem uerborum ueracium lumine diluamus. nec diſsimulabo principio ita Natalis mei errantem, uagam, lubricam nutaſſe ſententiam ut ſit nobis ambigendum, utrum ſua eruditio turbata ſit, an ua cillauerit per errorem: nam interim deos credere, interim ſe deliberare uariauit, ut propoſitionis incerto, certior re ſponſionis noſtræ intentio fundaretur. Sed in natali meo uerſutiam nolo, non credo, procul eſt ab eius ſimplicitate ſubtilis urbanitas. Quid igitur? ut qui rectam uiam neſcit, ubi ut fit, in plures una diffinditur, hæret anxius, nec ſin gulas audet eligere, nec uniuerſas probare: ſic cui nō eſt ue ri ſtabile iudicium, prout infida ſuſpitio ſpargitur, ita eius dubia opinio diſsipatur. Nullum itaq; miraculū eſt, ſi Cæ cilius identidem in contrarijs ac repugnantibus iactetur æſtu & fluctuetur: quod ne fiat ulterius, conuincam, & re darguā: quāuis diuerſa, quæ dicta ſunt, una ueritate confir mata probataq;: nec dubitandū ei de cætero eſt, nec uagan

dum. Et quoniam meus frater erupit ægre ſe ferre, ſtomachari, indignari, dolere illiteratos, pauperes, imperitos, de rebus cœleſtib. diſputare: ſciat omnes homines ſine delectu ætatis, ſexus, dignitatis rationis & ſenſus capaces et habiles procreatores: nec fortuna nactos, ſed natura inſitos eſſe ſapientiam: quin ipſos etiam philoſophos, uel ſi qui alij artium repertores in memorias exierunt, priuſquam ſolertia mentis parerent nominis claritatem, habitos eſſe plebeios, indoctos, ſeminudos, adeo diuites facultatibus ſuis illigatos, magis aurum ſuſcipere conſueſſe, quàm cœlum: noſtrates pauperes, & commentos eſſe prudentiam, & tradidiſſe cæteris diſciplinam. Vnde apparet ingenium nō dari facultatibus, nec ſtudio parari, ſed cum ipſa mentis formatione generari. Nihil itaque indignandum, uel dolendum, ſi quicunque de diuinis quærat, ſentiat, proferat, cum non diſputantis auctoritas, ſed diſputationis ipſius ueritas requiratur: atque etiam, quo imperitior ſermo, hoc illuſtrior ratio eſt: quoniam non fucatur pompa facundiæ, & gratiæ, ſed, ut eſt, recti regula ſuſtinetur. Nec recuſo, quod Cæcilius aſſerere inter præcipua connixus eſt, hominem noſſe ſe, & circūſpicere, quid ſit, unde ſit, quare ſit, utrum elementis concretus, an concinnatus atomis, an potius à deo factus, formatus, animatus. Quod ipſum explorare, & eruere ſine uniuerſitatis inquiſitione non poſſumus, cum ita cohærentia, connexa, concatenata ſint, ut niſi diuinitatis rationem diligenter excuſſeris, neſcias humanitatis: nec poßis pulchre gerere rem ciuilem, niſi cognoueris hanc communem omnium mundi ciuitatem: præcipue cum à feris, beluis, hoc diffe-

differamus, quod illa prona, in terramq; uergentia, nihil nata ſint proſpicere, niſi pabulum: nos quibus uultus ereꝫ ctus, quibus ſuſpectus in cœlum datus eſt, ſermo, & ratio, per quæ dominum agnoſcimus, ſentimus, imitamur igno rare nec fas, nec licet ingerentem ſeſe oculis, & ſenſibus noſtris cœleſtem claritatem. Sacrilegij enim uel maximi inſtar eſt, humi quærere, quod in ſublimi debeas inueniꝫ re. Quo magis mihi uidentur qui hunc mundi totius orꝫ natum non diuina ratione perfectum uolunt: ſed fruſtis quibuſdam temere cohærentibus conglobatum, mentem, ſenſum, oculos denique ipſos non habere. Quid enim po teſt eſſe tam apertum, tam confeſſum, tamq; perſpicuum, cum oculos in cœlum ſuſtuleris, & quæ ſunt infra circáꝫ que luſtraueris, quàm eſſe aliquod numen præſtantiſſimæ mentis, quo omnis natura inſpiretur, moueatur, alatur, gubernetur? Cœlum ipſum uide quàm late tenditur, quàm rapide uoluitur, uel quod in noctem aſtris diſtinguitur, uel quod in diem ſole luſtratur: iam ſcies quàm ſit in eo ſummi moderatoris mira & diuina libratio. Vide & anꝫ num ut ſolis ambitus faciat, & menſem uide ut luna auꝫ ctu, ſenio, labore circumagat. Quid tenebrarum, & luꝫ minis dicam recurſantes uices, ut nobis operis, & quieꝫ tis alterna reparatio? Relinquenda uero aſtrologis proꝫ lixior de ſyderibus oratio, uel quæ regant curſum nauiꝫ gandi, uel quæ arandi, metendiq; tempus inducant, quæ ſingula non modo ut crearentur, fierent, diſponerentur, ſummi opificis, & perfectæ rationis eguerunt, uerumeꝫ tiam ſentiri, perſpici, intelligi, ſine ſumma ſolertia & raꝫ tione non poſſunt. Quid cum ordo temporum hac frugũ

ſtabili uarietate diſtinguitur: nonne auctorem ſuum parentemq; teſtatur? Ver æque cum ſuis floribus, & æſtas cum ſuis meßibus, & autũni maturitas grata & biberna oliuitas neceſſaria: qui ordo facile turbaretur, niſi maxima ratione cõſiſteret. Iam prouidentiæ quantæ, ne hyems ſola glacie ureret, aut ſola æſtas ardore torreret, autũni, & ueris inſerere medium temperamentũ, ut per ueſtigia ſua anni reuertentis occulti & innoxij tranſitus laberentur. Mari intende, lege litoris ſtringitur, quicquid arborum eſt uide, quàm è terra uiſceribus animatur. Aſpice oceanum, refluit reciprocis æſtibus: uide fontes, manant uenis perennibus: fluuios intuere, eunt ſemper exercitis lapſibus. Quid loquar apte diſpoſita recta montiũ, collium flexa, porrecta camporũ? Quidue animantiũ loquar aduerſus ſeſe tutelã multiformem? alias armatas cornibus, alias dentibus ſeptas, & fundatas ungulis, & ſpicatas aculeis: aut pedum celeritate liberas, aut elatione pinnarum. Ipſa præcipuæ formæ noſtræ pulchritudo deũ fatetur artificem, ſtatus rigidus, uultus erectus, oculi in ſummo uelut in ſpecula conſtituti, & omnes cæteri ſenſus uelut in arce cõpoſiti. Longum eſt ire per ſingula, nihil in homine mẽbrorũ eſt, quod nõ & neceßitatis cauſa ſit, & decoris, & quod magis mirum eſt, eadẽ figura omnibus, ſed quædam unicuiq; liniamenta deflexa, ſic & ſimiles uniuerſi uidemur, & inter ſe ſinguli diſsimiles inuenimur. Quid naſcẽdi ratio, quid cupido generãdi? Nonne à deo data eſt, et ut ubera partu matureſcẽte lacteſcant, & ut tener fœtus ubertate lactei roris adoleſcat? Nec uniuerſitati ſolũmodo deus, ſed & partibus cõſulit. Britannia ſole deficitur, ſed

circum-

circũfluentis maris tepore recreatur, Aegypti ſiccitatẽ tẽperat Nilus amnis: colit Euphrates Meſopotamiã, pro imbribus penſat: Indus flumen & ſerere orientẽ dicitur, & rigare. Quod ſi ingreſſus aliquã domum, omnia exculta, diſpoſita, ornata uidiſſes: utiq; præeſſe ei crederes dominũ, & illis bonis rebus multo eſſe meliorẽ. Ita in hac mundi domo, cum cœlum, terramq; perſpicias, prouidentiam, ordinem, legem, crede eſſe uniuerſitatis dominum, parentẽq;, ipſis ſyderibus & totius mundi partibus pulchriorem. Ni fortè, quoniam de prouidẽtia nulla dubitatio eſt, inquirẽdum putas, utrum unius imperio, an arbitrio plurimorũ cœleſte regnum gubernetur: quod ipſum non eſt multi laboris aperire cogitanti imperia terrena, quibus exempla utiq; de cœlo: quando unquam regni ſocietas aut cum fide cœpit, aut ſine cruore diſceſſit? Omitto Perſas de equorum hinnitu augurantes principatum, & Thebanorum permortuam fabulam tranſeo, ob paſtorum & caſæ regnum de geminis memoria notiſſima eſt: generi & ſoceri bella toto orbe diffuſa ſunt, & tam magni imperij duos fortuna non cœpit. Vide cætera, rex unus apibus, dux unus in gregibus, in armẽtis rector unus: tu in cœlo ſummam poteſtatem diuidi credas, et ſcindi ueri illius ac diuini imperij totam poteſtatem? cum palam ſit parentem omnium deum, nec principium habere, nec terminum: qui natiuitatem omnibus præſtet, ſibi perpetuitatem, qui ante mundum fuerit ſibi ipſe pro mundo, qui uniuerſa quæcunq; ſunt, uerbo iubet, ratione diſpenſat, uirtute conſummat. Hic nec uideri poteſt, uiſu clarior eſt, nec comprehendi poteſt, nec æſtimari, ſenſibus maior

 eſt,

eſt, infinitus, immenſus, & ſoli ſibi tantus quantus eſt notus. Nobis uero ad intellectũ pectus anguſtum eſt: & ideo ſic eum digne æſtimamus, dum inæſtimabilem dicimus. Eloquar quemadmodum ſentio: magnitudinem dei, qui ſe putat noſſe, minuit: qui non uult minuere, non nouit. nec nomen Deo quæras deus nomen eſt: illic uocabulis opus eſt, cum per ſingulos proprijs appellationũ inſignib. multitudo dirimenda eſt. Deo, qui ſolus eſt, dei uocabulum totum eſt: quem ſi patrem dixero, terrenum opineris: ſi regem, carnalem ſuſpiceris, ſi dominũ, intelliges utiq; mortalem. Aufer additamenta nominũ, & perſpicies eius claritatem. Quid quod omniũ de iſto habeo conſenſum? Audio uulgus, cũ ad cœlum manus tendũt, nihil aliud quàm deum dicunt, & deus magnus eſt, & deus uerus eſt: & ſi deus dederit, uulgi iſte naturalis ſermo eſt, an Chriſtiani cõfitentis oratio? et qui Iouẽ principem uolunt, falluntur in nomine, ſed de una poteſtate conſentiunt. Audio poetas quoq; unũ patrem diuum, atq; hominũ prædicantes, & talem eſſe mortalium mentem, qualem parens omnium deus induxerit. Quid Mantuanus Maro? Nonne apertius, proximius, uerius. principio (ait) cœlum, & terras, & cætera mundi membra ſpiritus intus alit, & infuſa mens agitat? Inde hominũ, pecudumq; genus, & quicquid aliud animalium idem alio loco mẽtem iſtam & ſpiritum deum nominat. Hæc enim uera ſunt: Deum namq; ire per omnes terraſq;, tractuſq; maris, cœlumq; profundum, Vnde homines, & pecudes, unde imber, & ignes. Quid aliud à nobis deus quàm mens, & ratio, & ſpiritus prædicatur? Recenſeamus, ſi placet, diſciplinam philoſo-

loſophorum, deprehendes eos, & ſi ſermonibus uarijs, ipſis tamen rebus in hanc unam coire & conſpirare ſententiam. Omitto illos rudes, & ueteres, qui de ſuis dictis ſapientes eſſe meruerunt: ſit Thales Mileſius omniũ primus, qui primus omnium de cœleſtibus diſputauit. idem Mileſius Thales rerum initium aquam dixit: deum autem eam mentem, quæ ex aqua cuncta formauerit: & altior, & ſublimior aquæ, & ſpiritus ratio, quàm ut ab homine potuerit inueniri, à deo tradita. Vides philoſophi principalis nobiſcum penitus opinionem conſonare. Anaximenes deinceps & poſt Apolloniates Diogenes aera deum ſtatuunt, infinitum, & immẽſum. Horum quoq; ſimilis de diuinitate conſenſio eſt. Anaxagoræ uero deſcriptio, & modus infinitæ mentis deus dicitur: & Pythagoræ deus eſt animus, per uniuerſam rerum naturam cõmeans, & intentus: ex quo etiam animalium omnium uita capiatur. Xenophanem notũ eſt omne infinitum cum mente deum tradere: et Antiſthenem populares deos multos, ſed naturalem unũ præcipuum. Speuſippũ uim naturalem, animalem, qua omnia regãtur deum noſſe. Quid Democritus, quamuis atomorum primus inuentor nónne plerũq; naturam, quæ imagines fundat & intelligentiã deum loquitur? Straton quoq; et ipſe naturã. etiam Epicurus ille, qui deos aut ocioſos fingit, aut nullos, naturã tamen ſuperponit. Ariſtoteles uariat, & aßignat tamen unam poteſtatẽ. nam interim mentẽ, mundum interim deum dicit, interim mũdo deũ præficit. Ariſtoteles ponticus uariat, aliàs mundo, aliàs menti diuinæ tribuens principatum. Heraclides ponticus quoq; deo diuinam mentẽ (quamuis uarie) aſcribit.

bit.Theophraſtus,& Zenon, & Chryſippus, & Cleanthes ſunt & ipſi multiformes,ſed ad unitatẽ prouidentiæ omnes reuoluuntur.Cleanthes enim mentem,modo animum, modo æthera, plerunq; rationem Deum diſſeruit! Zenon eiuſdem magiſter naturalem legem atque diuinã, et æthera interim interdumq; rationem uult omnium eſſe principium:idem interpretando Iunonem aera,Iouem cœlum,Neptunum mare,ignem eſſe Vulcanum,& cæteros ſimiliter uulgi deos elementa eſſe monſtrando, publicum arguit grauiter, & reuincit errorem. Eadem ferè Chryſippus uim diuinam,rationalem naturam,& mundum interim,& fatalem neceßitatem deum credit, Zenonemq; interpretatione phyſiologiæ in Heſiodi, Homeri, Orpheiq; carminibus imitatur, Babylonio etiam Diogeni diſciplina eſt exponendi, & diſſerendi, Iouis partum, & ortum Mineruæ,& hoc genus cæterarum rerum uocabula eſſe non deorum. Nam Socraticus Xenophon formam dei ueri negat uideri poſſe,& ideo quæri non oportere. Ariſto Chius comprehendi omnino nõ poſſe. Vterq; maieſtatem dei intelligendi deſperatione ſenſerunt. Platoni apertior de deo, & rebus ipſis, & nominibus oratio eſt:& quæ tota eſſet cœleſtis, niſi perſuaſionis ciuilis non nunquã admixtione ſordeſceret. Platoni itaq; in Timæo deus eſt ipſo nomine,mundi parens,artifex animæ,cœleſtium terrenorumq; fabricator: quem & inuenire difficile præ nimia & incredibili poteſtate,et cum inueneris in publicum dicere impoßibile præfatur. Eadem ferè ei iſta quæ noſtra ſunt:nam & deum nouimus, et parentem omnium dicimus, & nunquã publice niſi interrogati prædicamus.

camus. Expoſui opiniones omnium ferme philoſophorũ, quibus illuſtrior gloria eſt, deum unum multis licet deſignaſſe nominibus: ut quiuis arbitretur aut nunc Chriſtianos philoſophos eſſe aut philoſophos fuiſſe iam tũc Chriſtianos. Quod ſi prouidentia mundus regitur, & unius Dei nutu gubernatur, non nos debet antiquitas imperitorum fabellis ſuis delectata, uel capta ad errorem mutui rapere conſenſus: cum philoſophorum ſuorum ſententijs refellatur, quibus & rationis, & uetuſtatis aſsiſtit auctoritas. Maioribus enim noſtris tam facilis in mẽdacijs fides fuit, ut temere crediderint etiam alia monſtruoſa miracula: Scyllam multiplicem, chimæram multiformem, & hydram felicibus uulneribus renaſcentem, & centauros equos ſuis hominibus implexos: et quicquid famæ licet fingere, illis erat libenter audire. quid illas aniles fabulas de hominibus aues, & feras homines, & de hominibus arbores atq; flores? quæ ſi eſſent facta, fierent quæ fieri non poſſunt, ideo nec facta ſunt. ſimiliter uero erga deos quoque maiores noſtri improuidi, creduli, rudi ſimplicitate crediderunt: dum reges ſuos colunt religioſe, dum defunctos eos deſiderant in imaginibus uidere, dum geſtiunt eorũ memorias inſtantius detinere, ſacra facta ſunt quæ fuerant aſſumpta ſolatia. Deniq; & antequam cõmercijs orbis pateret, & antequam gentes ritus ſuos moresq; miſcerent, unaquæq; natio conditorem ſuum, aut ducem inclytum, aut reginam pudicam ſexu ſuo fortiorem, aut alicuius muneris uel artis repertorem uenerabatur, ut ciuem bonæ memoriæ. ſic & defunctis præmium, & futuris dabatur exẽplum. Lege ſtoicorũ ſcripta, uel ſcripta ſapientium,

tium,eadem mecum recognoſces, ob merita uirtutis, aut muneris deos habitos. Euhemerus exequitur & eorũ natales, patrias, ſepulchra dinumerat, & per prouincias monſtrat:dictæi Iouis,*&* Apollinis Delphici, *&* Phariæ Iſidis,*&* Cereris Eleuſiniæ. *pro dijs aſſumptos in deos loquitur, qui errando inuentis nouis frugibus utilitati hominum profuere.*In eandem ſententiam *&* Perſeus *philoſophatur, & annectit inuentas fruges, & frugum ipſarũ repertores,iiſdem nominibus: ut comicus ſermo eſt,* Venerem *ſine* Libero *&* Cerere *frigere.*Alexander ille magnus Macedo *inſigni uolumine ad matrem ſuam ſcripſit, metu ſuæ poteſtatis proditum ſibi de dijs hominibus à ſacerdote ſecretũ:ille* Vulcanum *facit omnium principẽ, et poſtea* Iouis *gentem, & diſpicis* Iſidis *ad hirundinem ſiſtrum, & aſperſis mẽbris inanem tui* Serapidis,*ſiue* Oſiridis *tumulum.conſidera deniq; ſacra ipſa:& ipſa myſteria,inuenies exitus triſtes,fata, & funera, & luctus, atq; planctus miſerorum deorum.* Iſis *perditum filium cũ* Cynocephalo *ſuo,& alijs ſacerdotibus luget,plangit, inquirit: &* Iſiaci *miſeri cædunt pectora, et dolorem infelicisſimæ matris imitantur: mox inuẽto paruulo gaudet* Iſis, *exultant ſacerdotes,* Cynocephalus *inuentor gloriatur: nec deſinunt annis omnibus,uel pergere quod inueniunt, uel inuenire quod perdunt.* Nonne *ridiculum eſt, uel lugere quod colas,uel colere quod lugeas?* Hæc tamen Aegyptia *quondam,nunc &* ſacra Romana *ſunt.* Ceres *facibus accenſis,& ſerpente circũlata,errore ſubreptam,& corruptã liberam anxia & ſolicita ueſtigat. hæc ſunt* Eleuſinia.*& quæ* Iouis *ſacra ſunt?nutrix capella eſt,et aui*

do pa-

do patri ſubtrahitur infans, ne uoretur, & corybantum cymbalis, ne pater audiat uagitus, tinnitus eliditur. de Cybele dyndimena pudet dicere, quæ adulterum ſuum infeliciter placitum, quoniam & ipſa deformis, & uetula, & multorum deorum mater, ad ſtuprum illicere non poterat, execuit, ut deum ſcilicet faceret eunuchum. Propter *hanc fabulam galli eam, & ſemiuiri ſui corporis ſupplicio colunt: hæc iam non ſunt ſacra, tormenta ſunt.* Quid *formæ ipſæ, & habitus? nonne arguunt ludibria & dedecora deorum ueſtrorum?* Vulcanus *claudus deus, & debilis:* Apollo *tot ætatibus leuis:* Aeſculapius *bene barbatus, & ſi ſemper adoleſcentis* Apollinis *filius:* Neptunus *glaucis oculis,* Minerua *cæſiis, bubulis* Iuno, *pedib.* Mercurius *alatis,* Pan *ungulatis,* Saturnus *cõpeditis:* Ianus *uero frontes duas geſtat, quaſi et auerſus incedat:* Diana *interim eſt alte ſuccincta uenatrix: &* Epheſia *mãmis multis, & uberibus extructa: & triuia trinis capitibus, & multis manibus horrifica. quid ipſe* Iuppiter *ueſter? modo imberbis ſtatuitur, modo barbatus locatur: & cũ hammon dicitur, habet cornua, & cũ capitolinus, tũc gerit fulmina, & cũ latiaris, cruore perfunditur: & cũ feretrius, non auditur.* Et *ne longius multos* Ioues *obeam, tot ſunt* Iouis *mõſtra, quot nomina.* Erigone *ſuſpẽſa de laqueo eſt, ut uirgo inter aſtra ignita ſit:* Caſtores *alternis moriũtur, ut uiuant:* Aeſculapius *ut in deũ ſurgat, fulminatur:* Hercules, *ut hominẽ exuat, œtæis ignibus cõcrematur.* Has *fabulas & errores & ab imperitis parentibus didicimus, & (quod eſt grauius) ipſis ſtudijs & diſciplinis elaboramus, carminibus præcipue poetarum: qui, permirum, quantum ueritati ipſi*

ti ipſi ſua auctoritate nocuere. et Plato *ideo præclare* Homerum *illum inclytũ laudatum & coronatũ de ciuitate quam in ſermone inſtituebat, eiecit.* Hic *enim præcipuus bello troico deos ueſtros, & ſi ludos facit, tamen in hominum rebus & actibus miſcuit, hic eorum paria compoſuit, ſauciauit* Venerem, Martem *uinxit, uulnerauit, fugauit:* Iouem *narrat* Briareo *liberatum, ne à dijs cæteris ligaretur: &* Sarpedonem *filium, quoniam morti non poterat eripere, cruentis imbribus fleuiſſe, & Ceſto* Veneris *illectum, flagrantius quàm in adulteras ſoleat cum* Iunone *uxore concumbere. alibi* Hercules *ſtercora egerit; et* Apollo Admeto *pecus paſcit.* Laomedonti *uero muros* Neptunus *inſtituit, nec mercedem operis infelix ſtructor accipit: illic* Iouis *fulmen cum* Aneæ *armis in incude fabricatur: cum cœlum & fulmina & fulgura longe ante fuerint, quàm* Iuppiter *in* Creta *naſceretur, & flammas ueri fulminis nec* Cyclops *potuerit imitari, nec ipſe* Iuppiter *non uereri.* Quid *loquar* Martis *&* Veneris *adulterium deprehenſum? & in* Ganymedem Iouis *ſtuprũ cœlo cõſecratum? quæ omnia in hoc prodita, ut uitijs hominum quædã auctoritas pararetur.* His *atq; huiuſmodi figmentis, & mendacijs dulcioribus corrumpuntur ingenia puerorũ: & hiſdẽ fabulis inhærẽtibus, aduſq; ſummæ ætatis robur adoleſcũt: & in ijſdem opinionib. miſeri conſeneſcunt: cũ ſit ueritas obuia, ſed requirentibus.* Saturnũ *enim principẽ huius generis & examinis omnes ſcriptores uetuſtatis,* Græci Romaniq;, *hominẽ prodiderũt: ſcit hoc* Nepos *&* Caßius *in hiſtoria, &* Thallus *ac* Diodorus *hoc loquũtur.* Is *itaq;* Saturnus Creta *profugus,* Ita-

liam

liam metu filij ſæuientis acceſſerat, etiã ſuſceptus hoſpitio rudes illos homines & agreſtes multa docuit, ut græculus & pol.tus, literas imprimere, nũmos ſignare, inſtrumenta conficere. Itaq; *latebrã ſuam, quod tuto latuiſſet, uocari maluit Latiũ: et urbem ſaturniam de ſuo nomine, &* Ianiculum Ianus, *ad memoriã uterq; poſteritatis reliquerunt.* Homo *igitur utiq; qui fugit. homo utiq; qui latuit, & pater hominis, & natus ex homine. terræ enim et cœli filius, quod apud* Italos *eſſet ignotis parentibus, proditus: ut in hodiernum inopinato uiſos, cœlo miſſos, ignobiles & ignotos, terræ filios nominamus. eius filius* Iupiter *Cretæ excluſo parente regnauit, illic obijt, illic filios habuit, adhuc antrum Iouis uiſitur, & ſepulchrũ eius oſtẽditur, & ipſis ſacris ſuis humanitatis arguitur.* Ocioſum *eſt ire per ſingulos, & totã ſeriem generis iſtius explicare, cum in primis parentibus probata mortalitas in cæteros ipſo ordine ſucceſſionis influxerit.* Niſi *fortè poſt mortem deos fingitis, & peierante* Proculo *deus* Romulus, & Iuba *Mauris uolentibus deus eſt, & diui cæteri reges, qui conſecrantur non ad fidem numinis, ſed ad honorem emeritæ poteſtatis.* Inuitis *his deniq; hoc nomẽ aſcribitur: optant in homine perſeuerare: fieri ſe deos metuũt: & ſi iam ſenes nolunt.* Ergo *nec de mortuis dij, quoniam deus mori non poßit: nec de natis, quoniam moritur omne quod naſcitur: diuinũ autem id eſt, quod nec ortum habet, nec occaſum.* Cur *enim ſi nati ſunt, nõ hodieq; naſcuntur: niſi fortè iam* Iuppiter *ſenuit, & partus in* Iunone *defecit: &* Minerua *canuit antequã peperit?* An *ideo ceſſauit iſta generatio, quoniã nulla huiuſmodi fabulis præbe*

tur aſſenſio? Cæterũ ſi dij creari poſſent, interire nõ poſſent: plures totis hominib. deos haberemus, ut iam, eos nec cœlum contineret, nec aer caperet, nec terra geſtaret. Vnde manifeſtum eſt homines illos fuiſſe, quos & natos legimus & mortuos ſcimus. Quis ergo dubitat horũ imagines conſecratas uulgus orare, & publice colere? dũ opinio, & mens imperitorũ artis cõcinnitate decipitur, auri fulgore præſtringitur, argẽti nitore & cãdore eboris hebetatur. Quod ſi animum quis inducat tormẽtis quibus, & quibus machinis ſimulachrum omne formetur, erubeſcet temere ſe materiei ab artifice, ut deũ faceret illuſum. Deus enim ligneus, rogi fortaſſe uel infelicis ſtipitis portio, ſuſpenditur, cæditur, dolatur, runcinatur. Et Deus æreus, uel argentẽus de immundo uaſculo, ut ſæpius factũ Aegyptio regi, conflatur, tunditur malleis, & incudibus figuratur: & lapideus cæditur, ſcalpitur, & ab imperito homine læuigatur: nec ſentit ſuæ natiuitatis iniuriã: ita ut nec poſtea de ueſtra ueneratione culturam, niſi forte non dum deus ſaxum eſt, uel lignum, uel argentum. Quando igitur hic naſcitur? ecce funditur, fabricatur, ſcalpitur, nõ dum deus eſt. Ecce plũbatur, cõſtruitur, erigitur nec adhuc deus eſt. Ecce ornatur, cõſecratur, oratur: tũc poſtremo deus eſt, cũ homo ille uoluit, & dedicauit. Quãta uero de dijs ueſtris animalia muta naturaliter iudicãt, mures, hirũdines, milui, nõ ſentire eos ſciũt, norũt, inculcãt, inſident: ac niſi abigatis, in ipſo dei ueſtri ore nidificant. Araneæ uero faciẽ eius intexunt, & de ipſo capite ſua fila ſuſpendunt: uos tergitis, mundatis, eraditis, & illos, quos facitis, protegitis & timetis. Dum unuſquiſq; ueſtrũ non

cogitat

cogitat, prius ſe debere deum noſſe, quã colere: dũ inconſulte geſtiunt parentibus obedire: dum fieri malunt alieni erroris acceſſio, quàm ſibi credere: dũ nihil ex his quæ timent: norunt: ſic in auro, & argento auaritia conſecrata eſt: ſic ſtatuarũ inaniũ cõſignata forma: ſic nata Romana *ſuperſtitio, quorũ ritus ſi percẽſeas, ridenda quàm multa, multa etiã miſeranda ſunt.* Nudi *cruda hyeme diſcurrũt, alij incedunt pileati, ſcuta uetera circumferunt, pelles cædunt, mendicantes uicatim deos ducunt. Quædam fana ſemel anno adire permittũt, quædam in totum nefas uiſere eſt, quædã uiro nõ licet, nõnulla abſq; fœminis ſacra ſunt: etiam ſeruo quibuſdã cærimonijs intereſſe piaculare flagitiũ eſt: alia ſacra coronat uniuira, alia multiuira, et magna religione conquiritur, quæ plura poßit adulteria numerare. Quid qui ſanguine ſuo libat, & uulneribus ſuis ſupplicat, non profanus melius eſſet, quàm ſic religioſus? aut cui teſta ſunt obſcœna demeſſa, quomodo deũ uiolat, qui hoc modo placat? cum ſi eunuchos deus uellet, poſſet procreare, non facere. Quis nõ intelligat male ſanos, & uanæ & perditæ mentis in iſta deſipere, & ipſam errantium turbam mutua ſibi patrocinia præſtare?* Hic *defenſio cõmunis furoris eſt furentiũ multitudo.* At *tamen iſta ipſa ſuperſtitio* Romanis *dedit, auxit, fundauit imperiũ: cum nõ tam uirtute, quàm religione, & pietate pollerẽt: nimirum inſignis, & nobilis iuſtitia* Romana *ab ipſis* Imperij *naſcentis incunabulis auſpicata eſt.* Nonne *in ortu ſuo, & ſcelere collecti, & muniti immanitatis ſuæ terrore creuerunt?* Nam *aſylo prima plebs congregata eſt: confluxerant perditi, facinoroſi, inceſti, ſicarij, proditores:*

Et ut ipſe Romulus,Imperator & rector,populum ſuum facinore præcelleret, parricidiũ fecit. Hæc prima ſunt auſpicia religioſæ ciuitatis: mox alienas uirgines iam deſpõſatas,iam deſtinatas, & nõnullas de matrimonio mulierculas ſine more rapuit,uiolauit,illuſit:& cũ earũ parentibus,id eſt cum ſoceris ſuis,bellum miſcuit,propinquum ſanguinem fudit. Quid irreligioſius,quid audacius, quid ipſa ſceleris cõfidentia tutius?Iam finitimos agro pellere, ciuitates proximas euertere cum templis & altaribus:captos cogere, damnis alienis, & ſuis ſceleribus adoleſcere. Cum Romulo regibus cæteris et poſtremis ducibus diſciplina cõmunis eſt. ita quicquid Romani tenent, colũt, poſſident,audaciæ præda eſt,templa omnia de manubijs, id eſt de ruinis urbium,de ſpolijs deorũ, de cædibus ſacerdotum:hoc inſultare & illudere eſt,uictis religionib.ſeruire,captiuas eas poſt uictorias adorare.Nã adorare quæ manu cœperis,ſacrilegiũ eſt conſecrare,nõ numina.Toties ergo Romanis impiatũ eſt, quoties triumphatũ quot de dijs ſpolia, quot de gentibus & trophea. Igitur Romani non ideo tanti quòd religioſi, ſed quòd impune ſacrilegi Neq; enim potuerunt in ipſis bellis deos adiutores habere,aduerſus quos arma rapuerũt, & quos poſt cladem triumphatos colere cœperunt. Quid autẽ iſti dij pro Romanis poſſunt,qui nihil pro ſuis aduerſus eorũ arma ualuerunt Romanorũ enim uernaculos deos nouimus. Romulus,Picus,Tyberinus,& Conſus, & Pilumnus,ac Picumnus.Cloacinam Tatius & inuenit, & coluit: Pauorẽ Hoſtilius atq; Pallorem, mox à neſcio quo Febris dedicata:hæc alumna urbis iſtius ſuperſtitio, morbi & malæ ua-

letu-

letudines. Sanè & Acca Laurentia, & Flora, meretrices propudioſæ, inter morbos Romanorũ & deos cõputandæ. iſti ſcilicet aduerſus cæteros, qui in gentibus colebantur, Romanorũ imperiũ protulerũt. neq; enim eos aduerſum ſuos homines uel Mars Thracius, uel Iuppiter Creticus, uel Iuno nũc Argiua, nunc Samia, nũc Pœna, uel Diana Taurica, uel mater Idæa, uel Aegyptia illa nõ numina ſed portenta iuuerunt. Niſi fortè apud iſtos maior caſtitas uirginum, aut religio ſanctior ſacerdotũ: cum penè in pluribus uirginibus, & quæ incõſultius ſe uiris miſcuiſſent, Veſta ſanè neſciente ſit inceſtũ uindicatum: in reſiduis impunitatẽ fecerit, non caſtitas tutior, ſed impudicitia felicior. Vbi autẽ magis à ſacerdotibus, quàm inter aras & delubra cõducuntur ſtupra: tractantur lenocinia: adulteria meditantur? frequentius deniq; in ædituorũ cellulis, quàm in ipſis lupanaribus, flagrans libido defungitur. & tamen ante eos deo diſpenſante diu regna tenuerunt Aſſyrij, Medi, Perſæ, Græci etiam, & Aegyptij, cum pontifices et aruales & ſalios, ueſtales & augures nõ haberent, nec pullos cauea recluſos, quorum cibo uel faſtidio reſpublica ſumma regeretur. Iã enim uenio ad illa auſpicia et auguria Romana, quæ ſummo labore collecta teſtatus es, & pœnitẽter omiſſa, & obſeruata feliciter. Clodius ſcilicet, & Flaminius & Iunius ideo exercitus perdiderunt, quòd pullorũ ſoliſtimũ tripudium expectandũ non putauerunt? Quid Regulus? nonne auguria ſeruauit, & captus eſt? Mancinus religionem tenuit, & ſub iugum miſſus eſt, & deditus. Pullos edaces habuit & Paulus apud Cannas, tamen cũ maiore rei publicæ parte pro

ſtratus eſt. Caius Cæſar ne ante brumã in Africã nauigia trãſmitteret, augurijs & auſpicijs renitẽtibus ſpreuit: eo facilius & nauigauit et uicit. quæ uero et quãta de oraculis proſequar? Poſt mortẽ Amphiaraus uẽtura reſpondit, qui proditus eſt ipſe ob monile ab uxore neſcius. Tireſias cæcus futura uidebat, qui præſentia nõ uidebat. De Pyrrho Ennius Apollinis Pythij reſponſa confinxit, cum iam Apollo uerſus facere deſiſſet: cuius tunc cautum illud & ambiguum defecit oraculum, cum & politiores homines & minus creduli eſſe cœperunt: & Demoſthenes, quòd ſciret reſponſa ſimulata, Philippizin Pythiam querebatur, At nonnunquam tamẽ ueritatem uel auſpicia uel oracula tetigere. Quanquã inter multa mendacia uideri poſſit induſtriam caſus imitatus, aggrediar tamen fontem ipſum erroris & prauitatis, unde omnis caligo iſta manauit, & altius eruere, & aperire manifeſtius. Spiritus ſunt inſynceri, uagi, à cœleſti uigore terrenis labibus & cupiditatibus digrauati: iſti igitur ſpiritus, poſteaquã ſimplicitatem ſubſtantiæ ſuæ onuſti & immerſi uitijs perdiderũt, ad ſolatium calamitatis ſuæ non deſinunt perditi iam perdere, & deprauati errorem prauitatis infundere, & alienati à deo inductis prauis religionibus à deo ſegregare. eos ſpiritus dæmonas eſſe poetæ ſciunt, philoſophi diſſerunt, Socrates nouit, qui ad nutum & arbitriũ aßidentis ſibi dæmonis uel declinabat negocia, uel petebat. Magi quoq; non tantũ ſciunt dæmonas, ſed etiam quicquid miraculi ludunt, per dæmonas faciunt illis aſpirantibus & infundentibus præſtigias edunt: uel quæ non ſunt, uideri, uel quæ ſunt, non uideri: eorum Magorũ & eloquia &

negocio

negocio primus Hoſthanes, *& uerũ deum merita maie=ſtate proſequitur, & angelos, id eſt miniſtros & nuncios dei, ſed ueri: eiusq; uenerationi nouit aßiſtere, ut & nu=tu ipſo & uultu domini territi cõtremiſcant: idem etiam dæmonas prodidit terrenos, uagos, humanitatis inimi=cos.* Quid Plato, *qui inuenire deũ negociũ credidit, non=ne et angelos ſine negocio narrat et dæmonas? & in Sym poſio etiã ſuo naturã dæmonũ exprimere cõnititur. uult enim eſſe ſubſtantiã inter mortalẽ immortalẽq;, id eſt in ter corpus & ſpiritũ, mediam, terreni põderis et cœleſtis leuitatis admixtione concretã, ex qua manare in nos pro cupidinẽ amoris, & dicit informari & illabi pectoribus humanis, et ſenſum mouere, et affectus fingere, et ardorẽ cupiditatis infundere. Iſti igitur impuri ſpiritus dæmões (ut oſtenſum à magis, à philoſophis, & à* Platone) *ſub ſta tuis & imaginibus cõſecrati delitеſcunt, et afflatu ſuo au ctoritatem quaſi præſentis numinis conſequuntur.* Dum *inſpirantur interim uatibus, dum ſanis immorantur, dum nonnunquã extorum fibras animãt, auium uolatus guber nant, ſortes regunt, oracula efficiunt falſis pluribus inuo luta: nam & falluntur, & fallunt, ut & neſcientes ſynce=ram ueritatem, & quã ſciunt in perditionem ſui non con fitentes. Sic à cœlo deorſum grauãt, & à deo uero ad ma terias auocant, uitam turbant, omnes inquietant, irrepen tes etiã corporibus occulte, ut ſpiritus tenues, morbos fin gunt, terrent mentes, membra diſtorquent, ut ad cultũ ſui cogant, ut nidore altariũ, uel hoſtijs pecudũ ſaginati re=mißius quæ conſtrinxerant, curaſſe uideantur.* Hi *ſunt et furentes, quos in publicũ uidetis excurrere: uates & ipſi*

abſq; templo ſic inſaniunt. ſic bacchãtur, ſic rotantur: par & in illis inſtigatio dæmonis, ſed argumentũ diſpar furoris. De ipſis etiã illa, quæ pauloante tibi dicta ſunt, ut Iup*piter ludos repeteret ex ſomnio, ut cũ equis Caſtores uiderentur, ut cingulum matronæ nauicula ſequeretur. hæc omnia ſciunt pleriq; ueſtrũ ipſos dæmonas de ſemetipſis cõfiteri, quoties à nobis & meritis uerborũ, & orationis incendijs de corporibus exiguntur.* Ipſe Saturnus, & Serapis, & Iuppiter, *& quicquid dæmonum colitis, uicti dolore, quod ſunt, eloquuntur: nec utique in turpitudinem ſui, nonnullis præſertim ueſtrum aſsiſtentibus, mentiuntur.* Ipſis *teſtibus eſſe eos dæmonas de ſe uerum confitentibus credite. adiurati enim per deum uerum & ſolum, inuiti miſeris corporibus inhorreſcunt: & uel exiliunt ſtatim, uel euaneſcunt gradatim, prout fides patientis adiuuat, aut gratia curantis aſpirat.* Sic *Chriſtianos de proximo fugitant, quos longe in cœtibus per uos laceſſebant.* Ideo *inſerti mentibus imperitorum, odium noſtri ſerunt occulte per timorem.* Naturale *eſt enim & odiſſe, quem times, & quem metueris infeſtare ſi poſsis.* Sic *occupant animos, & obſtruunt pectora, ut ante nos incipiant homines odiſſe, quàm noſſe: ne cognitos aut imitari poſsint, aut damnare non poſsint.* Q*uãtum autem uitium ſit incognitis & inexploratis iudicare, quod facitis nobis ipſis pœnitentib. credite: & nos enim idem fuimus, & eadem uobiſcũ quondam adhuc cæci et hebetes ſentiebamus: quaſi Chriſtiani monſtra colerent, infantes uorarent, cõuiuia inceſta miſcerent: nec intelligebamus ab his fabulas iſtas ſemper uentilari, & nunquã uel inueſtigari,*

uel

uel probari,nec tanto tempore aliquem exiſtere,qui pro deret, non tantum facti ueniam,uerumetiam indicij gratiam conſecuturum. Malum autem adeo non eſſe,ut Chriſtianus reus nec erubeſceret,nec timeret, & unum ſolum modo quod non ante fuerit, pœniteret.Nos tamen cum ſacrilegos aliquos, et inceſtos, parricidas etiam defendẽdos & tuendos ſuſcipiebamus,hoc nec audiendos in totũ putabamus: nonnunquam etiam miſerantes eorum crudelius ſæuiebamus,ut urgeremus confitentes ad negandum, uidelicet ne perirent,exercentes in his peruerſam quæſtionem, non quæ uerum erueret, ſed quæ mendacium cogeret. Et ſi quis infirmior malo preſſus & uictus Chriſtianum ſe negaſſet, fauebamus ei, quaſi eierato nomine iam omnia facta ſua illa negatione purgaret. Agnoſcitis ne eadem nos ſenſiſſe, & egiſſe, quæ ſentitis,& geritis?cum,ſi ratio, non inſtigatio dæmonis iudicaret,arguendi magis, nõ ut diffiterẽtur ſe Chriſtianos, ſed ut de inceſtis ſtupris, de impiatis ſacris,de infantibus immolatis faterentur. his enim & huiuſmodi fabulis ijdem dæmones ad execrationis horrorem imperitorum aures aduerſus nos referſerunt.nec tamẽ mirum, cum omnium fama,quæ ſemper inſparſis mendacijs alitur, oſtenſa ueritate conſumitur. Sic eſt negocium dæmonum: ab ipſis enim rumor falſus & ſeritur, & fouetur.Inde eſt quòd audire te dicis caput aſini rẽ nobis eſſe diuinam.Quis tam ſtultus ut hoc colat? quis ſtultior ut hoc coli credat,niſi quòd uos et totos aſinos in ſtabulis, cum ueſtra Hippona conſecratis,& eoſdem aſinos cum Iſide religioſe deuoratis: item boum capita, & capita ueruecum,& immolatis,& colitis:de capro etiam

& homine mixtos deos, & leonum & canum uultu deos dedicatis. Nonne & Apim bouem cum Aegyptijs *adoratis & paſcitis? nec eorum ſacra damnatis inſtituta ſerpentibus, crocodilis, beluis cæteris, et auibus, & piſcibus, quorum aliquem deum ſiquis occiderit, etiam capite punitur.* Iidem Aegyptij cũ pleriſq; *uobis non magis* Iſidem, *quàm ceparum acrimonias metuunt: nec* Serapidẽ *magis, quàm ſtrepitus per pudenda corporis expreſſos extremiſcunt.* Etiam ille, *qui de adoratis ſacerdotis uirilibus aduerſum nos fabulatur, tentat in nos conferre, quæ ſua ſunt. Iſta enim impudicitiæ eorum forſitan ſacra ſint, apud quos ſexus omnis membris omnibus proſtat: apud quos tota impudicia uocatur urbanitas: qui ſcortorum licentiæ inuident, qui medios uiros lambunt: libidinoſo ore inguinibus inhæreſcunt, homines malæ linguæ etiamſi tacerent: quos prius tædeſcit impudicitiæ ſuæ, quàm pudeſcit.* Proh *nefas id in ſe peßimi facinoris admittunt, quod nec ætas poteſt pati mollior, nec cogi ſeruitus durior. Hæc & huiuſmodi propudia nobis non licet nec audire, etiam pluribus turpe defendere eſt.* Ea *enim de caſtis fingitis & pudicis, quæ fieri non crederemus, niſi de uobis probaretis.* Nam *quòd religioni noſtræ hominem noxium, & crucem eius aſcribitis, longe de uicinia ueritatis erratis, qui putatis deũ credi, aut meruiſſe noxium, aut potuiſſe terrenum. ne ille miſerabilis, cuius in homine mortali ſpes omnis innititur: totum enim eius auxilium cũ extincto homine finitur.* Aegyptij *ſanè hominem ſibi quem colant, eligũt, illum unum propitiant, illum de omnibus conſulunt, illi uictimas cædunt: & ille qui cæteris deus, ſibi certe homo eſt, uelit nolit:*

lit:nec enim conſcientiam ſuam decipit, ſi fallit alienam. Etiam principibus & regibus, non ut magnis et electis uiris (ſicut fas eſt) ſed ut deis turpiter adulatio falſa blanditur, & cũ præclaro uiro honor uerius, & optimo amor dulcius præbeatur. Sic eorum numen inuocant, ad imagines ſupplicant, genium, id eſt dæmonem eius, implorant: & eſt eis tutius per Iouis genium peierare, quàm regis. Cruces etiam nec colimus, nec optamus. uos planè qui ligneos deos conſecratis, cruces ligneas, ut deorum ueſtrorum partes, forſitan adoratis. Nam & ſigna ipſa, & cantabra, & uexilla caſtrorũ, quid aliud quàm inauratæ cruces ſunt, & ornatæ? trophæa ueſtra uictricia non tantum ſimplicis crucis faciem, uerum & affixi hominis imitantur. Signum ſane crucis naturaliter uiſimus in naui, cum uelis tumentibus uehitur, cum expanſis palmulis labitur: & cum erigitur iugum, crucis ſignum eſt, & cum homo porrectis manibus deum pura mente ueneratur: ita ſigno crucis, aut ratio naturalis innititur, aut ueſtra religio formatur. Illum iam uelim conuenire, qui initiari nos dicit aut credit de cæde infantis & ſanguine. Putas poſſe fieri, ut tam molle, tam paruulum corpus fata uulnerum capiat: ut quiſquam illum rudem ſanguinem nouelli, & uix dũ hominis cædat, fundat, exhauriat? Nemo hoc poteſt credere, niſi qui poſſit audere. Vos enim uideo procreatos filios nunc feris & auibus exponere, nunc adſtrangutos miſero mortis genere elidere: ſunt quæ in ipſis uiſceribus medicaminibus epotis originem futuri hominis extinguant, & parricidiũ faciant antequã pariãt. Et hæc utiq; de deorum ueſtrorũ diſciplina deſcendunt. Nam Saturnus filios

ſuos

ſuos non expoſuit, ſed uorauit. Merito ei in nonnullis Aſricæ partibus à parentibus infantes immolabantur, blanditijs & oſculo comprimente uagitum, ne flebilis hoſtia immoletur. Tauris etiam ponticis, & Aegyptio Buſiridi ritus fuit hoſpites immolare: & Mercurio Gallos humanas uel inhumanas uictimas cædere. Romani græcum & græcam, gallum & gallam, ſacrifici uiuentes obruere: hodieq; ab ipſis latiaris Iuppiter homicidio colitur: & quod Saturni filio dignum eſt, mali & noxij hominis ſanguine ſaginatur. Ipſum credo docuiſſe ſanguinis fœdere coniurare Catilinam: & Bellonam ſeruum ſuum hauſtu humani cruoris imbuere: & comitialem morbum hominis ſanguine, id eſt morbo grauiore, ſanare. Non diſsimiles & qui de arena feras deuorant illitas & infectas cruore, uel membris hominis & uiſcere ſaginatas. Nobis homicidium nec uidere fas, nec audire: tantumq; ab humano ſanguine cauemus, ut nec edulium pecorum in cibis ſanguinem nouerimus: et de inceſto conuiuio fabulam grandem aduerſum nos dæmonum concio mentita eſt: ut gloriam pudicitiæ deformis infamiæ auerſione macularet: ut ante exploratam ueritatem homines à nobis terrore infandæ opinionis auerteret: Sic de iſto & tuus Fronto, non ut affirmator teſtimonium fecit, ſed conuitium ut orator aſperſit. Hæc enim potius de ueſtris gẽtibus nata ſunt. Ius eſt apud Perſas miſceri cũ matribus: Aegyptijs, et Athenis cũ ſororibus legitima connubia. Memoriæ, & tragœdiæ ueſtræ inceſtis gloriantur, quas uos libenter & legitis & auditis: ſic & deos colitis inceſtos, cum matre, cum filia, cũ ſorore coniunctos. Merito igitur inceſtum penes uos ſæpe de-

pe deprehenditur,ſemper admittitur:etiam neſcientes mi ſeri poteſtis in illicita proruere: dum Venerē promiſcue ſpargitis: dum paßim liberos ſeritis.dum etiam domi natos alienæ miſericordiæ frequenter exponitis: neceſſe eſt in ueſtros recurrere: in filios inerrare.Sic inceſti fabulam nectitis, etiam cum conſcientiam non habetis. At nos pudorem non facie, ſed mente præſtamus:unius matrimonij uinculo libenter inhæremus: cupiditate procreandi aut unam ſcimus,aut nullam.conuiuia non tantum pudica colimus,ſed & ſobria.nec enim indulgemus epulis, aut conuiuium mero ducimus, ſed grauitate hilaritatem temperamus, caſto ſermone, corpore caſtiore: plerią; inuiolati corporis uirginitate perpetua fruuntur potius quàm gloriantur. Tantum denique abeſt inceſti cupido, ut non nullis rubori ſit etiam pudica coniunctio. Nec de ultima ſtatim plebe conſiſtimus: ſi honores ueſtros,& purpuras recuſamus:nec faſtidioſi ſumus,ſi omnes unum bonum ſapimus, eadem congregati quiete, qua ſinguli,nec in angulis garruli, ſi audire nos publice aut erubeſcitis,aut timetis. Et quod in dies noſtri numerus augetur, non eſt crimen erroris, ſed teſtimonium laudis.nam in pulchro genere uiuendi et perſtat & perſeuerat ſuus,& accreſcit alienus. Sic nos denique non notaculo corporis,ut putatis, ſed innocentiæ,ac modeſtiæ ſigno facile dignoſcimus. Sic mutuo, quod doletis,amore dil:g:mus,quoniam odiſſe nō nouimus. ſic nos, quod inuidetis,fratres uocamus,ut unius dei parentis homines,ut conſortes fidei,ut ſpei cohæredes. Vos enim nec inuicęm agnoſcitis, & in mutua odia ſæuitis.nec fratres uos,niſi ſane ad parricidium recognoſcitis

ſcitis. *Putatis autem nos occultare quod colimus, ſi delubra & aras non habemus? quod enim ſimulachrum deo fingam, cum ſi recte exiſtimes, ſit dei homo ipſe ſimulachrum? templumquod ei extruam, cum totus hic mundus eius opere fabricatus eum capere non poßit? & cum homo latius maneam, intra unam ædiculam uim tantæ maieſtatis includam? nonne melius in noſtra dedicandus eſt mẽte? in noſtro imò conſecrandus eſt pectore? hoſtias & uictimas domino offeram, quas in uſum mei protulit? ut reijciam ei ſuum munus, ingratum eſt, cum ſit litabilis hoſtia, bonus animus, & pura mens, & ſyncera ſententia. Igitur qui innocentia colit, Domino ſupplicat: qui iuſtitiam, Deo libat: qui fraudibus abſtinet propitiat deũ: qui hominem periculo ſurripit, opimam uictimã cædit. Hæc noſtra ſacrificia, hæ dei ſacra ſunt: ſic & apud nos religioſior eſt ille, qui iuſtior. At enim quem colimus deum, nec oſtendimus, nec uidemus. immo ex hoc deum credimus, quod eum ſentire poſſumus, uidere non poſſumus. In operibus enim eius, & in mundi omnibus uirtutem eius ſemper præſentem aſpicimus: cum tonat, fulgurat, fulminat, cum ſerenat. Nec mireris ſi deum non uides. uento & flatibus omnia impelluntur, uibrantur, agitantur, & ſub oculis tamen non uenit uentus, & flatus. ſolem adeo, qui uidendi omnibus cauſa eſt, uidere non poſſumus: radijs acies ſubmouetur: obtutus intuentis hebetatur: & ſi diutius inſpicias, omnis uiſus extinguitur. Quid ipſum ſolis artificem, illum luminis fontem poßis ſuſtinere? cum te ab eius fulgoribus auertas, à fulminibus abſcondas? Deum oculis carnalibus uis uidere, num ipſam animam tuam, qua uiuificaris,*

ficaris, & loqueris, nec aſpicere poßis, nec tenere? Sed enim deus actum hominis ignorat: & in cœlo conſtitutus non poteſt aut omnes obire, aut ſingulos noſſe. Erras ô homo & falleris: unde enim deus longe eſt, cum omnia cœleſtia, terrenaq;, & quæ extra iſtam orbis prouinciam ſunt, deo cognita plena ſint? ubiq; non tantum nobis proximus, ſed infuſus eſt. In ſolem adeo rurſus intende, cœlo affixus, ſed terris omnibus ſparſus eſt: pariter præſens ubiq; intereſt, & miſcetur omnibus: nuſquam enim claritudo uiolatur, quanto magis deus auctor omnium, ac ſpeculator omnium, à quo nullum poteſt eſſe ſecretum, tenebris intereſt: intereſt cogitationibus noſtris, quaſi alteris tenebris? Non tantum ſub illo agimus, ſed cum illo (ut prope dixerim) uiuimus. Nec nobis de noſtra frequentia blandiamur, multi nobis uidemur, ſed deo admodum pauci ſumus. Nos gentes, nationesq́; diſtinguimus: deo una domus eſt mundus hic totus. Reges tantum regni ſui per officia miniſtrorum uniuerſa nouere: deo indicijs opus non eſt, non ſolum in oculis eius, ſed et in ſinu uiuimus. Sed Iudæis nihil profuit, quòd unum & ipſi deũ aris atq; templis maxima ſuperſtitione coluerunt. Ignorantia laberis, ſi priorum aut oblitus, aut inſcius, poſteriorum recordaris. Nam & ipſi deum noſtrum (idem enim omuium deus eſt) quãdiu caſte, innoxie, religioſeq́; coluerũt, quandiu præceptis ſalubribus obtemperauerũt, de paucis innumeri facti, de egentibus diuites, de ſeruiẽtibus reges: modici multos, inermi armatos dũ fugiunt inſequentes dei iuſſu, & elementis adnitẽtibus obruerũt. Scripta eorũ relege, uel ſi Romanis magis gaudes, ut trãſeamus ueteres, Flauij Ioſephi, uel Antonij

Antonij Iuliani, de Iudæis require, iam ſcies nequitia ſua hanc eos meruiſſe fortunam. nec quicquid accidiſſe, quod non ſit his, ſi in contumacia perſeuerarent, ante prædictum. Ita prius eos deſeruiſſe comprehendes, quàm eſſe deſertos. nec, ut impie loqueris, cum deo ſuo eſſe captos, ſed à deo ut diſciplinæ transfugas deditos. Cæterum de incendio mundi, aut improuiſum ignem cadere, aut difficilem, non credere uulgaris erroris eſt. Quis enim ſapientium dubitat, quis ignorat, omnia quæ orta ſunt occidere, quæ facta ſunt interire? Cœlum quoque cum omnibus, quæ cœlo continentur, ita ut cœpiſſet, deſinere? Fontium dulci aqua, mariſúe nutriri, in uim ignis abiturum ſtoicis cõſtans opinio eſt, quod conſumpto humore mundus hic omnis igneſcat. & Epicureis de elementorum conflagratione, & mundi ruina eadem ipſa ſententia eſt. Loquitur Plato partes orbis nunc inundare. dicit nunc alternis uicibus ardeſcere, & cum ipſum mundum perpetuum, & inſolubilẽ diceret eſſe fabricatum, addit tamen ipſi artifici deo ſoli, & ſolubilem, & eſſe mortalem. Ita nihil mirum eſt, ſi iſta moles ab eo, quo extructa eſt, deſtruatur. Animaduertis philoſophos eadem diſputare quæ dicimus, non quòd nos ſimus eorũ ueſtigia ſubſecuti, ſed quòd illi de diuinis prædictionibus prophetarũ umbram interpolatæ ueritatis imitati ſint. Sic etiam conditionem renaſcendi ſapientium clariores, Pythagoras primus, & præcipuus Plato, corrupta & dimidiata fide tradiderunt, nam corporibus diſſolutis ſolas animas uolunt & perpetuo manere, & in alia noua corpora ſæpius cõmeare. Addunt iſtis & illa ad torquendam ueritatem, in pecudes, aues, belluas hominũ animas

mas

mus redire. Nō philoſophi ſanè ſtudio, ſed mimi officio digna iſta ſententia eſt. Sed ad propoſitum ſatis eſt, etiam in hoc ſapientes ueſtros in aliquē modum nobiſcū conſonare. Cæterum quis tam ſtultus aut brutus eſt, ut audeat repugnare hominem à deo ut primum potuiſſe fingi, ita poſſe denuo reformari? Nihil eſſe poſt obitum, & ante ortum nihil fuiſſe; ſicut de nihilo naſci licuit, ita de nihilo licere reparari? Porrò difficilius eſt id quod non ſit incipere, q̃ id quod fuerit iterare. Tu perire & deo credis, ſiquid oculis noſtris hebetib. ſubtrahitur? Corpus omne ſiue areſcit in puluerem: ſiue in humorem ſoluitur, uel in cinerē comprimitur, uel in nidorē tenuatur, ſubducitur nobis: ſed deo elementorum cuſtodia reſeruatur. Nec (ut creditis) ullum damnū ſepulturæ timemus, ſed ueterē & meliorē conſuetudinem humandi frequentamus. Vide adeo q̃ in ſolatium noſtri reſurrectionē futuram omnis natura meditetur: ſol demergit, & naſcitur, aſtra labuntur, & redeunt, flores occidunt, & reuiuiſcunt: poſt ſeniū arbuſta frondeſcunt; ſemina nō niſi corrupta reuireſcunt: ita corpus in ſeculo; ut arbores in hyberno, occultant uirorem ariditate mentita. Quid feſtinas ut cruda adhuc hyeme reuiuiſcat, & redeat? expectandū nobis etiam corporis uer eſt. Nec ignoro pleroſq; conſcientia meritorum nihil ſe eſſe poſt mortem magis optare, quàm credere: malūt enim extingui penitus, quàm ad ſupplicia reparari. Quorum error augetur, & in ſeculo libertate remiſſa, & dei patientia maxima, cuius quanto iudicium tardū, tanto magis iuſtum eſt. Et tamen admonentur hominum doctiſſimorum libris, et carminibus poetarum, illius ignei fluminis, & de ſtygia

palude ſæpius ambientis ardoris, quæ cruciatib. æternis præparata, & dæmonum indicijs, & de oraculis prophetarũ cognita tradiderunt. Et ideo apud eos etiam ipſe rex Iuppiter per torrentes ripas, & atram uoraginem iurat religioſe: deſtinatam enim ſibi cum ſuis cultoribus pœnã præſcius perhorreſcit: nec tormentis aut modus ullus, aut terminus. Illic ſapiens ignis membra urit, & reficit, carpit, & nutrit, ſicut ignes fulminum corpora tangunt, nec abſumunt: ſicut ignes Aetnæ montis, & Veſuuij mõtis, & ardentium ubiq; terrarũ flagrant, nec erogantur: ita pœnale illud incendium non damnis ardentium paſcitur, ſed inexeſa corporũ laceratione nutritur. eos autem merito torqueri. qui deũ neſciunt, ut impios, ut iniuſtos, niſi profanus nemo deliberat, cum parentem omnium, & omnium dominum non minoris ſceleris ſit ignorare, quàm lædere. Et quanquam imperitia dei ſufficiat ad pœnam, ita notitia proſit ad ueniam, tamen ſi uobiſcum Chriſtiani comparemur, quamuis in nonnullis diſciplina noſtra minor eſt, multo tamen uobis meliores deprehendemur. Vos enim adulteria prohibetis, & facitis, nos uxoribus noſtris ſolummodo uiri naſcimur: uos ſcelera admiſſa punitis: apud nos & cogitare peccare eſt: uos conſcios timetis, nos etiam conſcientiam ſolam, ſine qua eſſe non poſſumus. Denique de ueſtro numero carcer exæſtuat, Chriſtianus ibi nullus, niſi aut reus ſuæ religionis, aut profugus. Nec de fato quiſquam aut ſolatium captet, aut excuſet, euentum ſit ſortis fortunæ, mens tamen libera eſt: & ideo actus hominis non dignitas iudicatur. Quid enim aliud eſt fatum, quàm quod de unoquoq; noſtrum deus fatus

tus

tus eſt? qui cum poßit præſcire materiam, pro meritis, & qualitatibus ſingulorum etiam fata determinat. Ita in nobis non genitura plectitur, ſed ingenij natura punitur. ac de fato ſatis, uel ſi pauca pro tempore diſputaturi alias & uerius & plenius. Cæterum quod plerique pauperes dicimur, non eſt infamia noſtra, ſed gloria: animus enim ut luxu ſoluitur, ita frugalitate firmatur: & tamen quis poteſt pauper eſſe, qui non eget, qui non inhiat alieno, qui deo diues eſt? magis pauper ille eſt, qui cum multa habeat, plura deſiderat. Dicam tandem quemadmodum ſentio: nemo tam pauper poteſt eſſe, quàm natus eſt. Aues ſine patrimonio uiuunt, & in deum paſcua paſcuntur: & hæc nobis tamen nata ſunt: quæ omnia ſi non concupiſcimus, poßidemus. Igitur ut qui uiam terit, eo fœlicior quo leuior incedit: ita beatior in hoc itinere uiuendi qui paupertate ſe ſubleuat, non ſub diuitiarum onere ſuſpirat: & tamen facultates, ſi utiles putaremus, à deo poſceremus utique. indulgere poſſet aliquantum, cuius eſt totum, ſed nos contemnere malumus opes, quam continere: innocentiam magis cupimus, magis patientiam flagitamus, malumus nos bonos eſſe, quàm prodigos, & quod corporis humana uitia ſentimus & patimur, non eſt pœna, malitia eſt. fortitudo enim infirmitatibus roboratur, & calamitas ſæpius diſciplina uirtutis eſt, uires deniq; & mẽtis & corporis ſine laboris exercitatione torpeſcũt: omnes adeo ueſtri uiri fortes, quos in exemplũ prædicatis, ærũnis ſuis incliti floruerunt. Itaq; & nobis deus nec non poteſt ſubuenire, nec deſpicit: cũ ſit & omniũ rector et amator ſuorũ, ſed in aduerſis unũquenq; explorat & exa-

minat: ingenium ſingulorũ periculis penſitat, uſq; ad extremam mortẽ uolunt atem hominis ſciſcitatur, nihil ſibi poſſe perire ſecurus. Itaq; ut aurũ ignibus, ſic nos diſcriminibus arguimur. Quam pulchrum ſpectaculum deo, cum Chriſtianus cum dolore congreditur: cum aduerſum minas & ſupplicia et tormenta componitur: cum ſtrepitum mortis & horrorem carnifi. is irridens inculcat: cũ libertatem ſuam aduerſus reges et principes erigit: ſoli deo, cuius eſt, cedit: cum triumphator & uictor, ipſi qui aduerſum ſe ſententiam dixit, inſultat. Vicit enim, qui quod contendit, obtinuit. Quis nõ miles ſub oculis Imperatoris audacius periculum prouocet? nemo enim præmiũ percipit ante experimentũ: & Imperator tamen quod non habet non dat: non poteſt propagare uitam: poteſt honeſtare militiam. At enim dei miles nec in dolore deſeritur, nec morte finitur. Sic Chriſtianus miſer uideri poteſt: nõ poteſt inueniri. Vos ipſi calamitoſos uiros fertis ad cœlũ, Mutium Sceuolam, qui cum erraſſet in regem, periſſet in hoſtibus, niſi dexteram perdidiſſet. Et quot ex noſtris non dexterã ſolum, ſed totum corpus uri, cremari ſine ullis eiulatibus pertulerunt, cum dimitti præſertim haberent in ſua poteſtate? Viros cum Mutio, uel cum Aquilio aut Regulo comparo. Pueri & mulierculæ noſtræ cruces & tormenta, feras, & omnes ſuppliciorum terriculas inſpirata patientia doloris illudunt. Nec intelligitis ô miſeri neminẽ eſſe qui aut ſine ratione uelit pœnam ſubire: aut tormẽta ſine deo poſſit ſuſtinere. Niſi forte uos decipit, quòd deũ neſcientes diuitijs affluant, honoribus floreãt, polleant poteſtatibus. Miſeri in hoc altius tolluntur, ut decidant altius. Hi enim

ut uicti-

ut uictimæ ad ſupplicium ſaginantur: ut hoſtiæ ad pœnam coronantur. In hoc adeo quidã imperijs ac dominationib. eriguntur, ut ingenium eorum perditæ mentis licentiæ poteſtatis libere nundinctur. Abſq; enim notitia dei, quæ poteſt eſſe ſolida fœlicitas, cum ſit ſomnio ſimilis. Antequã tenetur, elabitur. Rex es, tam times, q̃ timeris: et quã libet ſis multo comitatu ſtipatus, ad periculũ tamẽ ſolus es. Diues es, ſed fortunæ male creditur, & magno uiatico breue uitæ iter non inſtruitur, ſed oneratur. Faſcibus & purpuris gloriaris: uanus error hominis, & inanis cultus dignitatis, fulgere purpura, mente ſordeſcere. Nobilitate generoſus es, parentes tuos laudas: omnes tamen pari ſorte naſcimur: ſola uirtute diſtinguimur. Nos igitur qui morib. & pudore cenſemur, merito malis uoluptatibus, & pompis ueſtris & ſpectaculis abſtinemus, quorũ & de ſacris originem nouimus, & noxia blandimenta damnamus. Nam in ludis curulib. quis nõ horreat populi in ſe rixantis inſaniam? in gladiatorijs homicidij diſciplinã: in ſcænicis etiã non minor furor, turpitudo prolixior. Nunc enim mimus uel exponit adulteria, uel monſtrat. Nunc eneruis hiſtrio amorẽ dum fingit, infligit. Idem deos ueſtros induendo ſtupra, ſuſpiria, odia, dedecorat. Idem ſimulatis doloribus lachrymas ueſtras uanis geſtibus & nutib. prouocat. Sic homicidiũ in uero flagitatis: in mendacio fletis. Quod uero ſacrificiorũ reliquias, & pocula delibata contemnimus: non confeſſio timoris eſt, ſed ueræ libertatis aſſertio. Nam & ſi omne quod naſcitur, ut inuiolabile dei manus nullo opere corrumpitur, abſtinemus tamen ne quis exiſtimet aut dæmonijs quibus libatum eſt cedere, aut noſtræ reli-

gionis pudere. Quis autē ille qui dubitat uernis indulgere nos floribus, cū capiamus & roſam ueris & lilium, & quicquid aliud in florib. blandi coloris & odoris eſt? his enim & ſparſis utimur mollibus ac ſolutis, & ſertis colla cōplectimur. Sanè quòd caput non coronamus, ignoſcite. Aurā boni floris narib. ducere, nō occipitio capillisúe ſolemus haurire. Nec mortuos coronamus. Ego uos in hoc magis miror quemadmodū tribuatis exanimi, aut ſentienti facē, aut non ſentienti coronā, cum & beatus non egeat & miſer non gaudeat floribus. At enim nos exequias adoramus. Eadē tranquillitate qua uiuimus, nec adnectimus areſcentē coronā, ſed à deo terrenis floribus uiuidam ſuſtinemus: qui & modeſti dei noſtri liberalitate, ſecuri ſpe futuræ fœlicitatis, fide præſentis eius maieſtatis animamur. Sic & beati reſurgimus, & futuri contemplatione iam uiuimus. Proinde Socrates ſcurra Atticus uiderit nihil ſe ſcire confeſſus, teſtimonio licet fallaciſsimi dæmonis glorioſus: Arceſilaus quoq;, & Carneades, & Pyrrho, & omnis academicorū multitudo deliberet: Simonides etiā in perpetuum cōperendinet, philoſophorū ſupercilia contēnimus, quos corruptores, & adulteros nouimus, & tyrannos, & ſemper aduerſus ſua uitia facundos. Nos non habitu ſapientiam, ſed mente præferimus: non eloquimur magna ſed uiuimus. Gloriamur nos conſecutos, quod illi ſumma intentione quæſierunt, nec inuenire potuerunt. Quid ingrati ſumus? quid nobis inuidemus, ſi ueritas diuinitatis noſtri temporis ætate maturuit? Fruamur bono noſtro, & recti ſententiam temperemus, cohibeatur ſuperſtitio, impietas expietur, uera religio reſeruetur. Cum

Octauius

Octauius peroraſſet, aliquandiu nos ad ſilentium ſtupefacti, intenti uultus tenebamus: & quod ad me eſt, magnitudine admirationis euanui, quòd ea, quæ facilius eſt ſentire, quàm dicere, & argumentis, & exemplis, & lectionũ auctoritatibus, adornaſſet: & quòd maleuolos iiſdem illis quibus armantur, philoſophorũ telis retudiſſet: oſtendiſſet etiam ueritatem non tantũmodo facilem, ſed & fauorabilem. Dum iſthæc igitur apud me tacitus reuoluo, Cæcilius ſic erupit. Ego Octauio meo plurimũ, quantũ ad tranquillitatem, qua uiuimus: ſed & mihi gratulor. nec expectato ſententiã: uicimus, et ita, ut improbus, uſurpo uictoriã nam ut ille mei uictor eſt, ita ego triumphator erroris. Itaque quod pertineat ad ſummã quæſtionis, & de prouidẽtia fateor, & deo cedo, & de ſectæ iam noſtræ ſynceritate conſentio. Etiam nunc tamen aliqua conſubſidunt nõ obſtrepentia ueritati, ſed perfectæ inſtitutioni neceſſaria, de quibus craſtino (quòd iam ſol occaſui decliuis eſt) ut de toto congruentius, promptius requiremus. At ego (inquã) prolixius omnium noſtrũ uice gaudeo: quod etiam Octauius mihi uicerit, cum maxima iudicandi mihi inuidia detracta ſit. Nec tamen poſſum meritum eius uerborum laudibus repenſare: teſtimonium & hominis & unius infirmum eſt. Habet dei munus eximiũ, à quo & inſpiratus orauit, & obtinuit adiutus. Poſt hæc læti, hilareſq; diſceſſimus: Cæcilius quòd crediderit, Octauius gaudere quòd uicerit: ego & quòd hic crediderit, & hic uicerit.

Arnobij Diſputationum aduerſus Gentes
Libri octaui, & ultimi Finis.

AVTORES QVOS ARNOBIVS TESTES CITAT in hoc Contra Gentes opere.

Aelius
Ageſarchus
Alexander Magnus
Antiochus hiſtoricus
Antiſthenes
Antonius Iulianus
Ariſto Chius
Apollodorus
Ariſtoteles
Arrianus
Cæſius
Caſſius
Cincius
Chryſippus
Cleanthes
Cicero
Cornelius nepos
Cornificius
Crates
Cteſias Gnidius
Democritus
Demoſthenes
Diagoras Melius
Diodorus
Diogenes Babylonius
Ennius
Ephorus
Epicharmus
Epicurus
Euhemerus
Euripides
Fabius
Flaccus
Fronto
Granius
Heraclides
Heraclitus
Hermippus
Heſiodus
Hippo Melius
Homerus
Hoſthanes Magus
Ioſephus
Leander
Leo Pellæus
Lucilius

Lucretius
Manilius
Mnaſeas
Myrtilus
Nicagoras Cyprius
Nigidius
Orpheus
Panyaſis
Patrocles
Perſeus
Philoſtephanus
Pindarus
Piſo
Plato
Plutarchus
Polemo
Poſidippus
Ptolemæus Philopator
Sammonicus
Sex. Clodius
Sophocles
Soſibius
Speuſippus
Straton
Thallus
Theodorus Cyrenæus
Theophraſtus
Timotheus theologus
Trebatius
Valerianus
Valerius Antias
Varro
Vergilius
Xenophanes
Xenophon
Zeno Myndius
Zeno Cittienſis

FINIS.

INDEX RERVM NOTATV
digniorum quæ in hoc opere continentur.

A

Abdera Abdera, exclamatio prouerbialis 637
Acca Laurentia meretrix inter deos relata pagina 771
Acdeſtis fabula 629
Aegyptiorum & Athenienſium cum ſororibus connubia 778
Aeneas Latini gener 561
Aeſculapij tres 605
Aeſculapius fulminatus, pag. 613
Aeſculapius ſerpens 735
Aeſculap. Epidauro aduectus ibid.
Aetna & Veſuuius montes 784
Afri Saturno filios imolant 777
Africia libi genus 711
Aius locutius deus 472
Alexander Macedo 458
Allegoriæ fabularum pagina 654 (702
Altaria rogi animalium
Animæ non immortales, ſed mediæ qualitatis pagina 514
Amicitia pares aut accipit aut facit 743
Amphiarai oraculum pagina 772
Angelos quoque eſſe mediæ qualitatis, non immortales à natura 530
Animarum origo incerta pag. 519
Animam ex placitis Platonis corpoream & mortalem conuinci 524
Anima qualis iuxta philoſophorum quorundã opinionem ibid.
Animarum immortalitatis opinio quoſdam deteriores facit 526

Ani-

Animas non eſſe in terram tanquam in coloniã miſſas 532
Animarum in corpore quã miſera conditio 533
Animas non fieri obliuioſas ex corporis contagio 525
Animas non eſſe natura dei filias 532
Antiquitas errorum mater 494
Antiqui ritus mutati 557
Antiochi Cyziceni ſacrilegium 683
Anubis deus 687
Apis bos 776
Apexabo quid 710
Apollonius Tyaneus 491
Apollines quatuor 605
Apollo non ſemper Romæ cultus 562
Apollo, Liber, Sol, unum numen 588
Apollo ſeruus Admeti pagina 614
Apollinis amicæ 615
Apollo deſiuit oracula redere, poſt quàm homines facti ſunt minus creduli 772
Apoſtrophe ad deum pagina 475
Aquilij mors 482
Argus à Mercurio cæſus pag. 605
Arnobij ætas 465
Arnobius Rom. cauſidicus pag. 740
Artes inuentæ non innatæ 518
Artes non eſſe antiquas pagina 558
Aſinini capitis cultus Chriſtianis obiectus pagina 749
Atellanæ & mimi 721
Athei conuicium in ethnicos retortum 652
Atlas aſtronomiæ inuentor 558
Atlantica inſula 460
Attalus rex 737
Atticæ terrigenæ 647
Atys qui ſol 662
Atys cadauer non putreſcat

ſcit, & digitus minimus uiuit 632
Atys amaſius matris deum 482.630
Auro ac gemmis non placari deos 667

B

Bacchi interitus pagina 482
Balnea marina apud Hoſtiam 741
Barbari quoque Chriſtum recipiunt 503
Baubo Cereris hoſpita pagina 647
Bella priſca 461
Bellona dea 472.582
Bellonæ ſacra 778
Beneficium inuito nõ obtrudendum 554
Beneficia diuina gratuita pag. 582
Beneficia deorum uenalia 698
Bona dea quæ Fauna et Fatua 478.641
Bonæ deæ ſacra 641
Bona noua malis ueteribus non mutanda 556
Bonorum hominum raritas 541
Briareus liberator Iouis pagina 766
Britannia inſula 759
Bruta inter deos conſecrata 472
Bruta quoque rationis nõ omnino expertia 517
Brutorum docilitas 523
Buſiris Aegyptius 778

C

Caecilius amicus Arnobij 741
Cæſar contemptis Auſpicijs uictor 772
Calamitates nullis ſeculis defuiſſe 459
Calamitatum cauſæ uariæ pag. 462
Canariæ inſulæ 668
Capitolium à Toli capite pag. 670

Carum-

Carum hoſtiæ 614
Caſtores fulgores marini pag. 478
Caſtores terni 605
Caſtores in Laconia ſepulti 614
Caſtores nuncij uictoriæ de Perſco partæ 746
Catumeũ libi genus 711
Ceres mammoſa 572
Ceres quæ terra 587
Chaldæi Belũ colunt 745
Chriſti aduentus beneficia pag. 480
Chriſtus deus 483.551
Chriſto magicæ artes obiectæ 484
Chriſtum nõ fuiſſe purum & uulgarem hominem pag. ibid.
Chriſti miracula 485
Chriſtus fatis potentior pagina 487
Chriſtus indifferenter in omnes beneficus 489
Chriſti & diſcipulorũ opitulationes pares 489
Chriſti diuinitas in morte reuelata 492
Chriſto totum genus humanum atteſtatur ibid.
Chriſtus deus cur in forma hominis 497
Chriſtus non eſt mortuus, ſed homo quem induerat 498
Chriſt. uolens paſſus 499
Chriſt. gratis exoſus gentilibus 505
Chriſtus religionis non extinctor, ſed auctor 501
Chriſtus philoſophis cõfertur 510
Chriſtus ſolus ſalutis autor à patre conſtitutus pag. 556
Chriſt. præcipit ne ſcrutemur quæ captũ noſtrũ excedunt 551
Chriſtum nõ ſero in mundum ueniſſe 553
Chriſtus quod in ſe eſt omnes ſeruat 554
Chriſtianorum tantum ſalus 555
Chriſtiana religione nihil in

hil in rerum natura nouatum 457
Chriſtianis publicæ calamitates à gentilibus imputantur 456
Chriſtiana religio pacis magis quàm belli cauſa pag. 461
Chriſtiani per omnes gentes propagati 465
Chriſtianos iræ deorum relinquendos 468
Chriſtianorũ religionẽ nõ eſſe nouam 471
Chriſtiana religio qd 472
Chriſtianorũ placita philoſophorũ teſtimonijs cõfirmantur 512
Chriſt. credulitatẽ nemini eſſe noxiam 544
Chriſtiani minime curioſi pag. 546
Chriſtianorum ſcripturæ exuſtæ 624
Chriſtianis nouitas religionis obiecta 558
Chriſtiani cur calamitatib. obnoxij 565
Chriſtiani cur alios deos non colant 567
Chriſtianorũ opinio de diuina natura 665
Chriſtianæ relig. impugnatio per Cæcilium pagina 743
Chriſtianorum agones pagina 786
Chriſtiani fratres 779
Chriſtianorũ & philoſophorum conſenſus 761 & 763
Chriſtiani rei nõ audiebantur, ſed negare cogebantur 774
Chriſtiani omnium rerum contemptu beati 787
Ciceronis opinio de dijs pagina 570
Cicero Ro diſertiſſ. ibid.
Ciceronis iocus 659
Cinxia dea 582
Circe Solis filia 604
Claudij & Iunij clades pagina 747
Cloacina dea 770
Comparatio opinionũ de diui

diuina natura noſtrarum ac ethnicarum pagina 723
Conferentes dij 641
Conſpolium libi genus pagina 711
Conſus deus conſiliorum pag. 581
Coronæ in ſacris 719
Coronas Chriſtianis non fuiſſe in uſu 788
Craſsi clades 747
Crateris platonici uanitas pag. 543
Creaturas pro creatore colentes 473
Credendum potius quod ſpem aliquã affert, quã quod nullam 502
Crucem etiam gentiles adorare 777
Crucifixi adoratio 749
Cubula libi genus 711
Cupidines tres 605
Curtij deuotio 747
Cymbala in ſacris 719
Cyniras rex 642
Cynnus Græcis Cyceon pagina 647

D

Dæmones hominibus ſe pro dijs uẽditantes 603. & 773
Dæmones à Chriſtianis coacti fatentur q ſint 774
Dæmonũ præſtigiæ 773
Deciorum deuotio 747
Defenſio religiõis Chriſtianæ per Octauium uſq; finem libri 755
Deucalion & Pyrra 632
Deum humanis rationibus nec negandum nec aſſerendum 476
Dij gentiũ poſteriores mũdo condito 475
De Deo opinio omnib. innata 476
Dij gentilium omnes ex hominibus 479
Deorum gẽtilium auxilia qualia 478
Deorũ ingratitudo 699
Dei beneficia 473
Deos nõ iraſci 467.624

Deum

Deum nõ eſſe malorum autorem 539.546
Dei ſine uoluntate an aliquid fiat 544
Dei ſolius cognitio neceſſaria 551
Deus ſolus ſeruator animarum 552
Deorum ætates ſupputantur 560
Dij Gentilium ipſis cultoribus ignoti 568
Dearum ac deorum nudorum promiſcua conuerſatio 572
Deorum formæ 574
Deus quomodo uideat & audiat 578
Deorum officia ridicula. pag 579
Dij an ſint artium præſides 580
Deorum myſtica ratio pagina 585
Dij Romanorum 596
Deos reſponſa nõ dare pagina 603
Dij poteſtatem 602
Dearum amaſii 616
Deorum amaſii ibidem
Dei cultus uerus in pectore non in ceremonijs pagina 619
Deos uictimis placari, opinio pernicioſa pagina 695
Deos ſacrificijs non propitiari 696
Dei mali 710
Deum non fuiſſe qui ſibi ludos inſtaurari iuſſit pagina 729
Diagoras atheos 747
Diana, Ceres, Luna, unum numen 588
Dianæ tres 605
Dionyſi quinq; ibidem
Dionyſius iunior illuſor ſimulachrorum 683
Dioſcori qui caſtores 611
Docti ueram religionem amplexi 503
Dyſaules caprarius 647

E

Ccleſiarum incendia 624

Egeria nympha 626
Eleuſinij Cererem colunt pag. 647
Ennius Euhemerum Latine uertit 614
Epicurus quoque mũdum interiturum aſſerit pagina 782 (527
Epicureorũ dog. 476.
Epidaurij Aeſculapium colunt 745
Erigone laqueo ſuſpenſa in aſtra refertur 765
Error eorum qui à ſeipſis ſalutem petunt 529
Euangelicæ hiſtoriæ ueritas 493
Euboleus ſubulcus 647
Eumolpus opilio 647
Eumolpidarum gens Athenis ibid.
Euphrates fluuius 759
Exempla deorum perniencioſa 651

F

Fabius Ambuſtus Iouis pullus 616
Fabula Acdeſtis pagina 629
Fabulæ Cereris à Ioue ſtupratæ 643
Fabula Cereris filiam quærentis 647
Fabula bacchi ad inferos deſcendentis 650
Fabula Iouis 626
Fabulas allegoriam nõ ſemper admittere 663
Fabularum abſurditas pagina 764
Farciminum genera 710
Fatum Sacrificijs non mutari 697
Fatum dijs potentius pagina ibid.
Fatales miſeriæ 698
Fauni uxor 478
Faunus rex latinorũ 561
Febris dea 770
Fendicæ ſacrificorum uocabulum 711
Fictio pulchra per quãreminiſcentia platonica exploditur 519
Fictio pulcra 703
Fictio pulcra de Mineruis rixantibus

rixantibus 606
Fides in omnibus negocijs admiſta 508
Fides penes auctores, ibid.
Fitilla puls 711
Flaminij clades 747
Flora dea Florum 581. & 771
Floralia ludi 721
Fluuij infernales 513
Fratres ſacrificorum uocabulum 712
Frumen pultis genus 711

G

GAlli mercuriũ colunt 745
Galli magnæ matris ſacerdotes 641. & 765
Gallorum humanæ uictimæ 778
Genitalia ſacerdotis adorare, Chriſtianis obiectum 749
Genius Iouialis 592
Gentes quæ res inanimas pro dijs colunt 673
Gen. quæ quos colũt. 743
Gentiles non colere omnes deos 569
Gentiliũ opiniones de dijs inconſiſtentes 585
Gentilium ſcripta noſtris incertiora 494.542
Gentilium de dijs opiniones 724
Gentiles in deos ſuos magis blaſphemi quã Chriſtiani 613
Germanorum irruptiones pag. 460
Grammatici priſci 497
Gratilla libi genus 711
Grundules lares 472

H

HAmmõ deus 674
Hannibal Pœnus pag. 738
Herculis exitium 482
Hercules ſex 605
Hercules ſeruus Omphales 614
Herculis morbus comitialis 615
Herculis in Oeta crematus ibid.

Hercules nouem noctium concubitu progeneratus 615
Herculis ſalacitas ibidem
Hermæ Alcibiadis iconem referentes 675
Hetruria mater ſuperſtitionum 713
Hippona dea ſtabulorum pag 775
Hircij & Panſæ conſulatus duobus milibus annorum diluuio Deucalionis poſterior 633
Hiſtoriæ de dijs ueræ pagina 659
Hiſtoriæ de dijs placatis pag. 727
Hiſtoria de ludis Ioui inſtauratis 728
Homini quàm multa cum brutis communia 515
Hominum ignorãtia quanta 507.534
Hominum genera ſuperuacanea 533
Hominum malicia 534
Hominum impietas ibid.
Hominum miſeria 535
Hominum auaritia ibid.
Hominum crudelitas pagina 536
Hominum luxus ibid.
Hominum ſcelera ibid.
Hominum obſcœnitas pagina 537
Homo non aliud quàm anima 540
Hominum priſcorum ſtatura 564
Homines pecudibus nocentiores 696
Homines putant deos ſibi ſimiles 723
Homines formicis quàm dijs ſimiliores ibid.
Hominem pro deo colere ethnicorum eſt 776
Homo ſimulachrum Dei pag. 780
Humanæ hoſtiæ apud Romanos 559
Honor quid 599
Honorandi ſpecies ibid.
Honor & uirtus dij 595
Hoſtilius quos deos conſecrauit

crauit 771
Humatio ſepulturarum optima 783

I

IA uirgo in uiolam uerſa 631
Ialyſus ſolis filius 640
Ianus deus 478.585
Ignis infernalis 784
Immortalitas non niſi à deo 474
Immortalitatis opinio etiam apud gentiles pagina 530
Imperium ſummum nõ admittit ſocium 759
Impugnatio religionis Chriſtianæ per Cæcilium 743
Innocens interemptus nemo infamis 482
Inceſta gentilium 778
Inceſtæ libidines de Chriſtianis confictæ 749
Indus flumen 729
Indigetamenta pompiliana 562
Indocti fide digniores quã docti 495
Infanticidij crimen in ethnicos retortum 777
Infanticidiũ Chriſtianis falſo obiectum 749
Inferorum opinio etiam apud gentiles 513
Inferio quid ſignificet pagina 718
Iniuriarum actio 622
Inuus pecorum cuſtos pagina 581
Iſis et Serapis quando Ro. recepti 562
Iſidis luctus 764
Iſicium quid 710
Ithyphallus ſimulachrum mentulæ 650
Iuba à Mauris conſecratus 767
Iudæi ope diuina quare deſtituti 781
Iulius Proculus 767
Iuno qui aer 586
Iuno ubi colatur 771
Iunonis cognomina 586
Iupiter qui Sol ibid.

Iupiter Dodonæus 471
Iupiter nõ eſt princeps deorum 477
Iupiter & reliqui dij nil aliud quàm dæmones pag. 774
Iuppiter colluuio ſpurcitiæ 645
Iupiter Latiaris homicidio colitur 778
Iupiter apud Cretam ſepultus 614
Ioues tres 604
Iouis tot monſtra quot nomina 765
Io. metamorphoſes 615
Iouis adulteria 612
Iuturna Iani uxor 585
pag. 673
Liber à Titanibus membratim ſectus 642
Libentinus deus 472
Libentina & Liburnus pagina 601
Limus deus ibid.
Literati maxime Chriſtianæ religioni infeſti pagina 506
Longæuo quid 710
Lucina Iuno 508.582
Lucrius deus 601
Ludi uarij deorum in honorem 721
Luperca dea 596
Luſus puerorum feſtiuus pag.

L

Lac hircinum 637
Lapis cœlitus delapſus 737
Lares dij 593
Lateranus deus 599
Latinus rex 561
Lauerna dea furum 583
Leonum capita in templis

M

Mactus hoc uino inferio eſto pagina 719
Magi celebres 491
Magorũ preces 513.552
Magorũ prodigia ope dæmonum 773
Magicarum artium ſtudio ſe

ſæ gentes 603
Magmenta & augmina ſacrificorũ uocabula pagina 711
Maieſtatis læſæ crimen pagina 621
Malos legibus non religione coerceri 688
Malum unde 545
Malum nõ ſtatim quod alicui malum 464
Mania dea 593
Mars fœdus deus 583
Martis cum Venere à Vulcano irretiti allegoria pag. 661
Mars thrax 614
Mateolæ, id eſt, bellaria pagina 712
Mater magna Peſinunte aduecta 741
Mater magna quæ terra pag. 587
Mater deũ cur turrito capite 631
Mater deorũ quando Romæ à ciuibus recepta et dedicata 562
Mater deorũ diluuio Deucalioneo poſterior pagina 632
Matutini cantus in honorẽ deorum 719
Myrmidon unde natus pagina 615
Melæ filius Homer. 614
Melonia dea 600
Memoria dea 590
Mercurius unde dictus pagina 587
Merops templorum inuentor 667
Merum in ſacrificijs 716
Midas rex 638
Mimorum ſcurrilitas & nequitia 623
Minerua quæ luna 586
Minerua unde dicta pagina 587
Mineruæ quinq; 605
Miſer qui in homine ſperat 776
Montinus deus 601
Mors hominis uera 514
Mortis animæ remedium à Solo deo 528
Mun-

Mundus uniuerſus unũ animal 589
Murcia dea 601
Muſarum numerus 590
Muſæ ternæ 605
Muſæ ancillæ 613
Mutunus deus 600
Mutanus & Tutunus pagina 602
Mutius Sceuola 786

N

Nænia quid 710
Nænia cantus ad conciliandũ ſomnum 721
Nana Sangarij filia 630
Nationes Chriſtum colentes 511
Nemeſtrinus deus 600
Neptuno adamatæ 615
Nilus amnis 759
Ninus & Zoroaſter reges pag. 461
Nodutis & Noduterenſis pag. 600
Nomina deorum ſingularis tantum numeri pagina 604
Nomina dubij generis pagina 496
Nouenſiles dij 591
Numa Iouem quomodo circumuenit 625
Numenius philoſoph. 509

O

Criſia Seruij Tulli mater 642
Octauius amicus Arnobij 740
Offa penita quid 711
Omenta quid ibid.
Opinio religionem facit 727
Orbona dea 600
Ornytos heros 614
Orphei uerſus 648
Oſſilago dea 600

P

Pales armẽtorum cuſtos 581
Pales Iouis uillicus 592
Pallas mineruæ pater 605
Pantauches amaſius Phidiæ 676
Panda dea ſine Pãtica 597

Patellana

Patellana & Patella 600
Paupertas Chriſtianorum 785
Pauſus deus 472
Pecudes homine innocentiores 695
Pecunia dea 601
Pellonia dea 597
Penates dij 592
Perſarum cū matribus connubia 778
Perfica dea 599
Pertunda dea 600
Peta dea ibidem
Phidias princeps ſtatuariorum 676
Philoſophos non eſſe bonos, niſi malorum collatione 542
Philoſophorum opiniones inter ſe pugnantes 547
Philoſophorum opiniones de anima incertæ 548
Philoſophos cauſas rerum ignorare ibidem
Philoſophorum & Chriſtianorū conſenſus 761
& 763
Philoſophi aduerſus ſua uitia facundi 784
Philoſophorum dogmata 508
Philoſophorum placita nil certi habere 508
Phoroneus templorum inuentor 667
Phryges magnam matrem colunt 745
Phryne meretrix 675
Piacula in cæremonijs quomodo committantur pagina 619
Picus rex 561
Pilunnus & Picunnus pagina 770
Plateа quid 711
Plato præcipuus philoſophorum 782
Platonica reminiſcētia exploſa 519
Pluto ab Hercule ſauciatus 614
Plutonis regnum nullum 706
Poetas nō omnino eſſe mēdaces

daces 619
Polimonia quid 711
Pomona quæ Iuno 586
Portunus nautarum deus 581
Potua dea 583
Præſtana dea 597
Priapus fœdus deus 572
Prodigium capitolij de cœlo tacti, & eius procuratio 728
Proles, id eſt, teſticuli 711
Proſerpina quæ libera pagina 644
Proſopopœia elegans pagina 695
Proſperorum ac aduerſorum uiciſſitudo 465
Proſpera & aduerſa tam pijs quàm impijs communia 466
Profuminus bacchi amator 650
Protagoras abderites Athenis pulſus 748

PROVERBIA

Cœlo miſſus 767
Terræ filius ibid.
In prima poſitum fronte 728
O ab dera abdera 637
Fabrum cadere cum ferias fullonem 672
Gangrenam addere pagina 663
Tricas tellenas conduplicare 650
Taurus draconem genuit, & taurum draco 644
Pueri & mulierculæ noſtræ uiris ethnicis fortiores 786
Pulpamentum quid 711
Punicum malum unde pagina 603
Puta dea 600
Pygmalo cum ſimulachro concumbit 684
Pyrro redditum oraculum 772
Pythagoras primus philoſophorum 728
Pythagoræ exitium 482
Pythia Philippizei 772
Pythius uates 582

R

Ratio non ſemper in conſilium adhibenda 566
Religionis noſtræ antiquitas 651
Reminiſcẽtia Platonica explosa 519
Reſurrectionis exempla in rerum natura 783
Romani primi facinoroſi 770
Romanum imperium audaciæ præda ibid.
Romanorum dij ibid.
Romulus qualis ibid.
Romuli cædes 482
Ruma quid non erumna. 711 712

S

Sacerdotes confeſſi deos ex hominibus factos 764
Sacerdotum in ædituorum cellulis libidines 771
Sacerdotia gentilium pagina 622
Sacra ithyphallorum pagina 650
Sacra cereris theſmophoria 647.764
Sacra Phrygum 643
Sacra bacchanalia 642
Sacra Corybantia 642. & 765
Sacra Veneris myſtica pagina 642
Sacra bacchi omophagia ibidem
Sacra bonæ deæ 641
Sacra matris deum 640
Sacrificiorum ratio nulla 707
Sacrificijs deos non propitiari 697
Sacrificijs deos non placari 692
Sacrificiorũ uoluptas nulla 691
Sacrificijs deos non paſci 690
Sacrificiorum utilitas nulla 689 699
Sais minerua 605
Salſamina quid 711
Sangarius rex 630

Sarpedon

Sarpedon Iouis filius 766
Saturnus filiorum uorator 778
Scenici quomodo dijs illudant 620
Sciri omnia non eſt opus 456
Scriptorum monumenta 500
Scytharum hoſtiæ 614
Sepulchrũ Iouis apud Cretam ibid.
Sepulchrum Caſtorum in Laconia ibid.
Sepulchrum Acriſij 669
Sepulchrũ Cecropis ibid.
Sepulchrum Erichthonij ibidem
Sepulchrum Telmeſsi ibidem
Sepulchrum Cyniræ ibid.
Sepulchrum Toli Vulcentani 670
Serapis deus 478
Serapidis ſiue Oſiridis tumulus 764
Sermonis ratio naturalis nulla 496
Sexus diſcrimen in dijs quàm fœdum 571
Sigillaria, id eſt, ſigna deorum 676
Silicernium quid 710
Simile elegans 577. 578 & 710
Simonis magi interitus pagina 511
Simulachrorum uilitas deſcribitur 677
Simulachra non habitari à dijs 680
Simulachra nec ſibijpſis opem ferre 683
Simulachra non ualere ad malos metu cohercendos 686
Simulachra contemptu digniora quàm metu pagina 687
Simulachrorum cultus impugnatur 671
Siue tu deus es, ſiue tu dea ſolennis uox in præcibus 571
Socrates ſcurra Atticus pagina 788

Socratis interitus 482
Solis & Dei comparatio 781
Solœciſmis non uitiari ueritatem 495
Spiritus malos illabi hominibus 772
Spiritus mali ibid.
Strebula caro quid 711
Stultis contradicere maioris eſt ſtultitiæ 426
Styx quare Ioui religioſa 784
Summanus qui Pluto 658
Supellex uaria 518.521
Superſtitiones uariæ 769
Superſtitioſus honor 741
Symphoniæ in ſacris 719
Syri Aſtarten colunt 745

T

Tages aruſpicinæ inuentor 558
Tanaql regina pagina 641
Tatius Cloacinam conſecrauit 770
Taurorum humanæ uictimæ 778
Tauri Dianam colūt 745
Tellus dea 708
Templa ſuperuacanea in cultu diuino 666
Templa non eſſe deorum domicilia 667
Templa quædam eſſe mortuorū ſepulturas 669
Templa à dijs ſuis male defenſa 685
Teuth Aegyptiorum mercurius 605
Themis dea 629
Theologi gentilium ipſi ſibi fidē abrogant 608
Theutis aſtronomiæ inuētor 558
Thus in ſacris res noua pagina 713
Triptolemus aratri inuentor 480.647
Trophæa 777
Trophonius quis 605
Tucetum quid 710
Turpitudo ethnicorū pagina 775
Tyberinus deus 770
Tyberina inſula 735

Tympana in ſacris 719
Tyranni conſecrati 500

V

Varro multiformibus diſciplinis eminens 633
Varronis libri De gēte Romani populi ibid.
Venus fœda dea 584
Venus militaris 599
Venus meretricula 614
Veneres ad effigiem nobilium meretricū expreſſæ 675
Veſta quæ terra 587
Veſtalium caſtitas 771
Vibilia dea uiarum 600
Victa dea ſiue Victua 583
Victimarū delectus 703 & 705. 708
Vindemiarum feriæ 741
Vnxia dea 583
Vnxia quæ proſerpina pagina 707
Vulcanus qui ignis 588
Vulcani quatuor 605
Vulgi cōcitatores in Chriſtianos 470
Vulturnus ſocer Iani 585

X

Xerxes Rex perſarum 461

Z

Zoroaſtres rex magus 491

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

BASILEAE APVD HIER. FROBENIVM ET NIC. EPISCOPIVM M D LX.